DANIELIS WILHELMI TRILLERI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS CONSILIARII AVLICI ELECTORIS SAXONIAE MEDICINAE PROFESSORIS PRIMARII IN ACADEMIA WITTEBERGENSI ET ILLVSTRIS ACADEMIAE SCIENTIARVM BONONIENSIS SODALIS

OPVSCVLA MEDICA AC MEDICO PHILOLOGICA

ANTEA SPARSIM EDITA

NVNC AVTEM IN VNVM COLLECTA ATQVE DIGESTA

AB

AVCTORE IPSO PRIVS RECOGNITA

AVCTA CASTIGATA ET EMENDATA

CVRAVIT ET PRAEFATVS EST

CAROLVS CHRISTIANVS KRAVSE

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR IN ACADEMIA LIPSIENSI ANATOMIAE ET CHIRVRGIAE PROFESSOR PVBLICVS EXTRAORDINARIVS FACVLTATIS MEDICAE ASSESSOR MINORIS PRINCIPVM COLLEGII COLLEGA.

VOLVMEN II.

ADIECTVS EST INDEX RERVM IN VTROQVE VOLVMINE OBVIARVM COPIOSISSIMVS.

FRANCOFVRTI ET *LIPSIAE*

SVMPTIBVS IOANNIS GEORGII FLEISCHERI

CIↃ IↃ CCLXVI.

ILLVSTRI ET CONSVLTISSIMO

VIRO

GEORGIO HENRICO AYRERO

REGIO CONSILIARIO AVLICO ET IVRIS PROFESSORI IN ACADEMIA GOETTINGENSI CELEBERRIMO

AMICO SVO VETERI ET INTEGERRIMO

ATQVE

ITINERVM QVONDAM SOCIO IVCVNDISSIMO

IAM

SENI VENERANDO

AMICVS SENEX

DANIEL WILHELMVS TRILLERVS

IN PERPETVAM

HAVD SENESCENTIS FIDEI ATQVE AMORIS

MEMORIAM

ALTERVM HOC SVVM

OPVSCVLORVM MEDICORVM

VOLVMEN

D. M. Q. D. I. D.

TIBI vero, IVCVNDISSIME AYRERE, poſt venerandum RICHTERVM, communem noſtrum amicum, ſtatuendum quoque a me erat aliquod amoris et honoris monumentum, ſi non magnum, interno quidem pondere, aut externo ſplendore, aut denique doctrinae reconditioris praeſtantia; haud tamen plane paruum, amicitia nempe, candore et iuſta TVARVM virtutum aeſtimatione. Nondum enim amoena iucundiſſimi illius temporis memoria animo effluxit, quo ante hos triginta ſexque annos, primum inter nos peregrinantes, *Argentorati*, orta eſt notitia, ex hac vero nata amicitia, ex iſta porro familiaritas, ex hac fiducia, ex illa vero conſtans denique, perpetuus et fraternus fere amor; qui nos deinde etiam, tanquam fidus indiuulſusque comes, per longa itinera, vbique comitatus eſt, per *Galliam*, *Flandriam*, *Brabantiam*, *Belgium*, aliasque regiones, nec, mutatis licet coelo et terris, vnquam tamen mutatus, aut imminutus fuit, propter morum nempe ſimilitudinem, quae ad connectendas amicitias vel tenaciſſimum ſolet eſſe vinculum, quod vniuscuiusque ſolido iudicio incoacta voluntas arctius contrahit. Neque in hunc vſque diem intepuit ille, multo minus refrixit, aut plane exſpirauit. Licet enim fatis ſic iubentibus, per ſpatioſa locorum diſſitorum interualla, corporibus quidem disiunctiſſimi eſſemus, mentibus tamen ſemper coniunctiſſimi viximus, atque per mutuas Epiſtolas, ſinceram illam noſtram amicitiam fauſtis auſpiciis olim contractam, etiam abſentes, magis firmauimus, ſuſtentauimus, et veluti arctius conglutinauimus: quod ſicut TIBI non ingratum erat; ita et mihimet ipſi perquam acceptum, iucundum, quin et honorificum fuit. Etſi vero amabiles Tui vultus fido meo pectori altius ſemper infixi haerebant; hac tamen imaginaria vel-

uti voluptate sola haud contentus, solidiorem desiderabam; atque hinc a longo iam tempore, TE et RICHTERVM nostrum praesens praesentem videre, amplecti, vltimumque vale vobis dicere vehementer auebam, imo ardebam. Vis tamen aliqua maior honestissimis meis desideriis semper obstitit, votaque mea irrita prorsus fecit. Quid vero TIBI hic longe lateque referam notissimas illas durissimi belli calamitates, vltra sex integros annos, magno fastidio, maiore tamen patientia, toleratas, multa alia publica et priuata mala, varia subita impedimenta; ab officio, aduersa valetudine, et aliunde, mihi saepius obiecta; et exhaustam denique euisceratamque belli diuturni iniquitate, et moneta praesertim adulterina, crumenam?

Interea autem temporis, sensim facti sumus senes grandaeui ac fato nostro maturiores, adeo, vt hinc spes longiores inchoare, aut concipere nec deceat, nec liceat. Recurre quaeso mecum paullisper, si lubet, in ista quidem peregrinationis nostrae tempora, iam dudum elapsa. Vbi nunc sunt, obsecro, magni isti maximique Viri, quos tum in *Gallia*, *Belgio* et alibi, frequentius salutauimus, coluimus ac venerati sumus? vbi sunt inquam, MONTFAVCONII, MARTENII, DVRANDI et alii benedictae illius et eruditae Societatis venerandi Sodales? vbi sunt TOVRNEMINII, FOVRMONTI, FONTENELLII, BANDVRII, ROLLINI, LANCELOTTI, SEVINI, SALLIERII, MOTTAEI, aliaque illustria Nomina parisiensia? Vbi denique sunt BOERHAVII, BVRMANNI, DRACKENBORCHII, DVCKERI, OTTONES, VITRIARII, BYNCKERSHOEKII, aliaque *litteratae Batauiae* splendida decora atque lumina? Scilicet omnes dudum abierunt ad plures, nobisque acerbum sui desiderium reliquerunt. Vbi pariter iam sunt clarissimi illi humanissimique

Professores Argentinenses, BOECLERI, LEDERLINI, SACHSII, NICOLAI, HERTENSTEINII, SALZMANNI, aliique? heu! nulli amplius sunt; nisi forte in vno meo illustri SCHOEPFLINO, omnes illos adhuc superstites esse, rectius statuamus; illo inquam, *Thuano rediuiuo*, et verarum artis typographicae originum vindice vnico grauissimo, praesentis Seculi gloria, futuri admiratione, Viro moribus politissimo, studiis omnis generis instructissimo, doctis per meliorem orbem peregrinationibus excultissimo; ipsisque inde Imperatoribus, Regibus, ac Principibus acceptissimo, Amico nostro, quo merito gloriamur, integerrimo, qui mihi praesertim, tum *Argentorati*, graui et diuturno morbo decumbenti, frequentissima sua et iucundissima praesentia lenia veluti fomenta, ac solatia suauissima in moesta ista mea solitudine, subinde praebebat, longaque vitae acerbae taedia sapientissimis suis doctissimisque colloquiis blande temperabat ac sensim abstergebat: Cuius summi beneficii et singularis humanitatis officii nunquam certe ingratus obliuiscar, donec viuam. *Amoenissima enim illius nostrae amicitiae arctioris recordatione sic semper fruar, vt beate omnino vixisse videar, quia cum* SCHOEPFLINO *meo vixerim, quo cum mihi coniuncta cura de re litteraria fuit, quocum et domus, et mensa quoque saepius communis*, vt sic cum CICERONE loquar. Vigeat itaque vireatque in publica commoda et praecipua *Argentinensis Academiae* celeberrimae, imo totius orbis eruditi, ornamenta, venerandus iste Senex, SCHOEPFLINVS meus, Amicus vetus et verus, iam ante hos triginta annos, a me quidem per famam mendacem, inducto, lugubri carmine publicato, tanquam mortuus, acerbe defletus; sed per Dei gratiam, adhuc superstes; ipsique *renouata senectus in florem redeat, primosque recolligat annos.*

Vbi

Vbi denique nunc sunt inueniendi officiosi isti amici, si parua quidem magnis componere, seriisque iocosa, pace Tua, vt spero, hic interserere liceat; Nimirum bonus iste P. ZILL, stoico semper vultu minax, et, vt rei herbariae peritus videretur, perpetuo nescio quae vbiuis notissima, de Dauco atque Sisaro grauiter edisserens, seu crepans; porro facetus ille et semper contra ridens SPIZ. qui vbique in pera secum ferebat BOERHAVII *Aphorismos*, quos inde protractos, obuiis quibusuis, vel inuitis, monstrabat, et tamen ne verbum quidem in illis intelligebat; ac denique castus sobriusque iste Iuuentutis generosae moderator, cum suaueolenti et roseo veluti nomine, qui ceteris suis sodalibus ad iter confestim suscipiendum, iamiam accinctis, solus absens desiderabatur; donec tandem post longam inquisitionem ac discursionem, venerandum illum virum medias inter puellarum, nescio qualium; cateruas decenter scilicet sedentem inuenirent quaerentes famuli, ceu alterum propemodum SARDANAPALVM, absit hic malus interpres! quem inter scortorum greges, purpuram colo nentem, pensaque inter virgines partientem, pariter deprehendebat indignatus ipsius praefectus, vel et tanquam nouum HERCVLEM, *qui manu, clauam modo qua gerebat, fila deduxit, properante fuso*, vt de hoc quidem femineo HERCVLE eleganter loquitur SENECA ille cothurnatus. Sed mittamus iam haec ludicra, et ante hos triginta annos, risum sannamque nobis excutientia, tanquam iocosae lyrae conuenientiora, quam quidem seriae, aut tragicae: Interea vero et boni isti viri, cum reliquis multis, nobis tum notis, dudum nisi fallor, abierunt,

Quo pius Aeneas, quo Tullus diues, et Ancus.

Quum

Quum igitur vitae noſtrae, praeſertim ſenilis, ſors admodum incerta ſit, atque propoſitorum noſtrorum ratio perquam dubia: mors contra nobis proxime forſan imminens, tanto certior; vt ex hactenus dictis et aliunde, ſat manifeſto conſtat: en! ocyus rapiamus de die occaſionem, quam minimum poſtero creduli, et ex ſapientiſſimi PLINII conſilio, *tanto magis hoc quidquid eſt temporis, futilis et caduci, ſi non datur factis; certe ſtudiis, proferamus; et, quatenus denegatur nobis diu viuere; relinquamus aliquid, quo nos vixiſſe, nosque inuicem amaſſe et coluiſſe teſtemur.*

His ergo honeſtis ſtimulis incitatus, his inquam, generoſis igniculis incenſus, TVO praeſertim chariſſimo mihi NOMINI inſcribere volui debuique *alterum* hoc *opuſculorum meorum Volumen*, animo quidem manſurae olim famae forſan cupidiore, quam certiore; cetera tamen bono, candido TVIque amantiſſimo. Quare non dubito, quin potius ſpe iam praeſumta, confido, TIBI gratum aliquantulum fore tenue hocce munuſculum, ab amica mente TIBI deſtinatum, amicaque manu oblatum. Medica quidem maximam partem in iſto tractantur, atque hinc a foro TVO alieniora; ſed non medica ſola, nuda arida, ac ſeuera; verum medica potius, amoeno illo blandoque humanitatis ſale, quantum quidem licuit, vbique perſperſa, vt ſcilicet hoc veluti adiecto ſpecioſo mangonio, conditiora nonnihil ac ſapidiora redderentur faſtidioſioribus lectorum delicatiorum palatis. Praeſertim, quum TVTEMET ipſe eodem eximio artificio in ſcriptis TVIS prudenter vſus, id ſane effeciſti, vt opuſcula illa TVA, implicitis iuris nodis et obſcuris legum aenigmatis ſoluendis, vnice dicata, non ſolum legantur ex neceſſitate, propter vtilitatem; ſed et ſimul cum voluptate,

propter iucunditatem. Praeter ſingularem enim rerum ſcitu dignarum delectum, ſtili quoque purioris ac nitidioris rationem diligenter habuiſti, neque parca denique manu, vbi modo licuit, adieciſti amoeniora illa elegantiorum litterarum condimenta, quibus veluti addito quodam Hymettio melle, triſtis alias legum tetricarum amarities ſenſim dulceſceret atque temperaretur. Quanti vero has ipſas interiores litteras merito faceres, ſine quibus nempe nemo, nemo inquam, Viri vere et eleganter docti nomen vnquam mereri, aut dignitatem ſatis tueri poteſt, iam ante Triginta annos, publice oſtendiſti, luculento iſto ſpecimine, quo primum ad famam naſcentem iter TIBI aperuiſti, dum nempe praeſtantiſſimam illam et vtiliſſimam ANTON. BLACKWALLII Commentationem, *de Claſſicorum Auctorum praeſtantia*, pure nitideque latine, ex Anglico, conuerteres, variisque Animaduerſionibus et additamentis doctiſſimis amplificares ac locupletares, illumque egregium librum ſic vbique meliorem, ornatiorem et vtiliorem opera Tua redderes; adeo, vt ipſe quidem Auctor, ſi fatorum indulgentia, forſan in vitam rediret, nunc TVVM BLACKWALLIVM pluris haud dubie aeſtimaret, quam ſuum, malletque hinc forte lubentius AYRERVS eſſe, quam ipſe BLACKWALLIVS. Quem admodum rediuiuus ille Galliarum Iuuenalis, BOILAEVS, quondam perquam acute ac facete dixiſſe fertur ad Auctorem, opera ipſius poetica egregiis obſeruationibus criticis et hiſtoricis illuſtraturum:

TVVS BOILAEVS *melior tunc erit, quam meus ipſe.*

Quum igitur tantus ſis politiorum litterarum cultor atque amator; quidni ſperem, imo confidam, vt iam ſupra augurabar, gratum quoque et acceptum TIBI fore hoc ipſum meum opuſculum,

lum, in quo omnibus fere paginis, liquido oſtendi, quantum luminis, ornamenti et vtilitatis ſedula horum Claſſicorum vtriusque linguae Auctorum lectio adferat etiam ipſis Medicis, in illuſtrandis et explicandis pluribus Medicinae partibus, nempe Anatomicis, Pathologicis, Botanicis, Chemicis, atque aliis; idque ad illuſtre exemplum maximorum quondam Medicorum, MERCVRIALIS, IVNII, LANGII, REINESII, WELSCHII, PETITI, SPONII, MEIBOMIORVM, BARTHOLINORVM, WIGANI, MEADII, aliorumque, alibi iam a me data quidem opera, laudatorum, quorum tamen ſplendidiſſima veſtigia me eminus potius paſſibus haud aequis, eſſe ſequutum, quam cominus aſſequutum, moeſto quidem cum corde, ingenue fateor.

Quibus cunctis accedit adhuc vel maxime, TE a longo iam tempore, non ſolum me amare, ſed etiam mea, qualiacunque ea demum ſint, ſiue id factum fuerit, ex veraci iuſti arbitri iudicio, ſiue vero ex fallaci forte amici nimium fauentis ac conniuentis praeiudicio; male enim plerumque iudicat ille, qui fauet.

Quod haud ita pridem candide teſtatus es ipſi Venerando noſtro RICHTERO, quum forſan ſupra meritum, eximie laudares *poema* illud meum *phyſico-ethicum*, contra temerariam illam variolarum inſitionem, nuper editum, ad TE nempe, a capite, vſque ad calcem, totum cum voluptate, perlectum: quod vtile ſemper, vti equidem ſpero, ac his praeſertim corruptis noſtris temporibus, neceſſarium etiam, omnino videbitur omnibus rectioris iudicii et ſanctioris conſcientiae Medicis; futile vero atque nefarium, vt iamiam praeſentio, et praeſagio, audacioribus illis et pertinacioribus variolarum inſitoribus, et male ſedulis puris ſordidi inſtitoribus, qui tetrum illud venefi-

cium pro Summo Dei beneficio, frustra omnino et imprudenter, habent, atque certa pericula inuitant, vt incerta forsan euitent. Sed eo hodie res fere deuenit, turbulenta nescio, qua vertigine multorum mentibus paene amentibus, veluti fataliter immissa, vt vix pro Viro honesto, pio et sapienti quisquam haberi possit, nisi tres illos nouos nouae et inauditae fidei articulos, vt sic loquar, certissime credat, et religioso veluti sacramento interposito, validissime confirmet, scilicet I) *Mundum hunc esse optimum, malaque foedissima in eo maxime necessaria, ad ipsius nempe pulchritudinem ac perfectionem plane absoluendam.* II) *Variolarum Insitionem non esse Morbum; sed ipsarum Variolarum potius Remedium, certissimum, securissimum ac saluberrimum, a Deo ipso datum.* III) Denique *Cicutam non esse Venenum; sed Medicamentum potius polychrestum, imo panchrestum, et ad pertinacissimos et immedicabiles alias morbos felicissime fortissimeque expugnandos, diuinitus, hac nostra beata aetate repertum.*

Vae autem nunc mihi, in his omnibus neutiquam approbandis, obstinato et peruicaci veluti haeretico, qui nempe iam senior segniorque inde, ad credendum, factus, speciosis his commentis sola sese nouitate commendantibus, fidem meam nunquam adiungam, nec his ambiguis placitis, exiguae tantum Medicorum ac Philosophorum parti placentibus, contra ipsam meam conscientiam, temere subscribam. Sed patere hic, vt TE, suauissimae recordationis gratia, hac quidem occasione, in adamatam nobis Galliam paullisper reducam.

Forsan ergo nondum memoria TVA excidit celeberrimus ille vtriusque CYRI magni, Persici nempe, atque Gallici, siue TVRENNII, praeco ac Biographus, RAMSAY, quem scilicet

eo

eo tempore, *Parisiis* noueramus. Is ergo Vir praestantissimus, serio veluti ioco, dicere inter familiares, solebat, quod tres inprimis ISMVS, essent, quos, ceu infensiores sanctae religionis hostes euersores, vel maxime detestaretur: nempe *Deismus*, *Pharisaïsmus*, et denique *Socinianismus*. Sic ego ipse etiam, praeter tres istos ISMVS, quos pariter serio abominor, tres insuper alios ISMVS, noui, hodie quidem frequentissimos, quos cum primis odi et arceo, quantum equidem possum. Isti autem sunt, vt de rebus fere barbaris, barbare quoque loquar, *Optimismus*, *Inoculatismus*, et denique *Venenismus*, seu *Cicutismus*. Quibus, quarto veluti loco, paene et addidissem *Hexametrismum*, nouum istud et amphibolum Amphibium, quod nec piscis est, nec auis, nec metrum, nec prosa, nec latinum quid, nec germanicum; sed re vera *mixto-barbarum*: nisi nouum hoc scribendi, aut verius, stridendi, cacoëthes ridiculum potius, frigidum et ineptum esset; quam noxium, aut periculosum, nisi forte solis auribus, atque dentibus, inde saepius dolentibus; sicut e contrario, noxia omnino et periculosa sunt *Optimismus*, *Inoculatismus* aut, si forsan quis malit, *Inoculismus*, et *Cicutismus*. Prior enim, pessimus nempe *Optimismus*, durum quoddam et immutabile fatum stoicum denuo quasi in Orbem temere introducit, ipsiusque Dei maiestati, bonitati, clementiae ac liberrimae praesertim potentiae manifesto aduersatur: Ipsi vero Homini mentis libertatem, tranquillitatem et omnia denique blandiora solicitae vitae solatia crudeliter eripit, et, quod omnium fere deterrimum, ineuitabilem veluti peccandi necessitatem simul imponit, vt alibi luculentius demonstrabimus.

 Posterio-

Posteriores autem, *Inoculatismus* scilicet atque *Cicutismus* ipsi hominum vitae ac sanitati atrox saepe praecoxque periculum minantur, vt vel TE IPSO probante ac plaudente, nuper admodum, liquido solideque a nobis ostensum fuit iusto quidem poemate dirae variolarum insitioni fortiter opposito.

De ipsa vero *Cicuta*, quum tam diuersa sibique inuicem aduersa sint iudicia doctorum quoque Medicorum, nunc nimis laudantium, nunc contra nimis vituperantium; inde tutius forte modestiusque fuerit, sententiam eo vsque caute potius premere; quam libere promere, donec longior dies, sollertiorque et vberior experientia aliquando certiora docuerit: praesertim, quum hodie famam, fidem et ipsam paene vitam facile perditurus sit, quisquis in reuerendam illam *cicutam* quidquam paullo irreuerentius pronunciauerit. Tum enim protinus fecialis illa et feralis vox attonitas omnium aures acuto cum stridore, personat: *impie loquutus Parmularius*, vti est apud SVETONIVM.

Sed relinquamus iam, quaeso, haec seculi huius in noua et inaudita prurientis, et per vetitum nefas ruentis, inuenta, siue portenta, nullos profecto habitura fructus, aut triumphos; donec sero aliquando illud resipiscat, et ad saniorem forsan mentem redeat, quod serio quidem optamus. Nos interea, AMICORVM OPTIME strenue potius sectemur Veterum studia, linguas, praecepta, axiomata, et inprimis virtutes, vt TE pridem ipse TVVS docuit BLACKWALLIVS, TVque per ipsum, omnes Tuos lectores attentiores probe perdocuisti. Antiquos inquam, euoluamus duces! *nec desinat vnquam nobiscum Graia loqui, aut Romana vetustas*, vt CLAVDIANVS nos dudum admonuit. Sed veterem inprimis fidem, amorem et candorem diligentissime porro colamus, vti hucusque per triginta amplius annos, constan-

conſtantiſſime fecimus. Amici ergo, obſecro, maneamũs, quo-vſque nobis iam ſenibus, abire prope paratis, per feſtinantia fata, licuerit. Interea vero in publica commoda et *Academiae* veſtrae ornamenta, meaque ſimul priuata gaudia et ſolatia, optime et diutiſſime viue valeque. At, ſi qui forſan apud Vos ſint, qui mihi adhuc candide faueant, licet forte pauci rarique admodum fuerint, ſicut ſcilicet infelix ille Sardenſium Epiſcopus, pauca tantum habebat nomina fida et electa; Si hoc quidem exemplo impune hic vti liceat, eos quaeſo omnes, poſt RICHTERVM nempe meum, primum illum amicorum meorum corculum atque ocellum, ex me quam officioſiſſime ſaluta; praeſertim vero venerandum illum ſenem, ill. GEBAVERVM et praeſtantiſſimum HEYNIVM, de quorum nempe in me fauore et amore a longo iam tempore, certus plane ſum atque ſecurus.

Iterum iterumque Vale AMICE non tam candidiſſime; quam ipſe potius Candor, et ſemper obſecro Trilleri TVI TIBI addictiſſimi, memento. Scribebam raptim Wittebergae, mente quidem ſana vegetaque; ſed manu contra iam aegra tremulaque, d. XXII. Auguſt. A. O. R. CIↃIↃCCLXVI.

CONSPE-

CONSPECTVS
DISSERTATIONVM ALIARVMQVE EXERCITATIONVM MEDICO-PHILOLOGICARVM
VOLVMINE SECVNDO
COMPREHENSARVM.

I. DANIE-



I.

DANIELIS WILHELMI TRILLERI,

PHIL. ET MED. DOCTORIS ET ARCHIATRI NASSOVIENSIS

EPISTOLAE DVAE DE ANTHRACIBVS ET VARIOLIS VETERVM.

IO. GOTHOFR. HAHN LECTORI S.

Ferias mihi plura dicturo accommodatissimas fecit CELEBERRIMVS TRILLERVS, *ob amicitiae, quae per viginti annos inter nos viguit, necessitudinem in litis societatem accitus. His binis, quae modo sequuntur, doctissimis epistolis propositas in praecedentibus Veritates illustrat et tuetur. In illarum autem epistolarum lectione non tam ad ea respiciat velim benignus Lector, quae ex humanitate et amore* VIRI CLARISSIMI *proficiscuntur: quam ad ea, quae profluunt ex eruditione Medici graecis studiis immersi. Robur ea non tantum addunt argumentis meis, sed ita plane comparata sunt, ut rem omnem conficere videantur. Vale!*

IO. GOTHOFREDO HAHN,

AMICO SVO VETERI ET CONIVNCTISSIMO,

S. D. P.

DANIEL WILHELM. TRILLERVS.

Quum gratiſſima ſoleant eſſe munera, quae inexpectata nobis obveniunt; facile profecto coniicies, quanto cum gaudio litterarium Tuum munus exceperim, quantaque cum voluptate illud perlegerim. Placuit vero multum ob argumenti praeſtantiam et nouitatem; magis, quod eſſet a viro doctiſſimo; maxime vero, quod ab amico, cum quo quondam Lipſiae coniunctiſſime vixeram. Noſti vero, quam exoſum ſemper mihi fuerit medicorum genus, nil niſi febres, ſcabiem et lotium crepantium, et ab omnibus contra elegantioribus litteris alienorum: Ideo ex aduerſa parte concludere nunc poteris, quam prorſus ad palatum meum fuerit doctiſſimum Tuum ſchediaſma, in quo ſaluberrimum poëtae conſilium ſequutus, vtile dulci feliciſſime miſcuiſti: Heu! quoties inter legendum mecum exclamaui, vtinam ſcripſiſſem! Tuo vero, quod tractandum ſuſceperas, Themati ita ex omni parte plene ſatisfeciſti, vt nihil fere amplius iure deſiderari queat. Licet enim prima fronte veri magis ſimilia, quam vera videri poſſint, quae de ſignificatione τῶν ἀνθράκων, pro variolis, in medium attuliſti; vnico tamen eoque grauiſſimo HALY ABBATIS teſtimonio, omnem paene ſcrupulum tollis, omnemque controverſiam vnico quaſi ictu feliciter dirimis, vt vix vllus porro dubitationi locus ſupereſſe poſſit. Probabile igitur eſt et haud plane incredibile, initium *Lib.* II. *Hipp.* de Morbis vulgiuagis tractare forſan de Variolis, et ne quid Te celem, Amicorum Optime, iam ante aliquot annos, video me (praeter alia infra ſeorſum excutienda,) haec notaſſe in margine Editionis meae Lindenianae: Videtur hic variolas deſcripſiſſe aut ſimile quid. Impenſe igitur gauiſus ſum, vbi vidi, ſuſpiciones meas ſpecioſorum Tuorum argumentorum pondere ſolide confirmari et valide ſuſtentari. Licet enim praeter MANARDVM, PRIMEROSIVM, SENNERTVM,

TVM, FRACASTORIVM, *Th.* BARTHOLINVM, AVGENIVM, DIEMERBROCK, DRELINCVRTIVM, FAB. PAVLLINVM in *Comment. ad Thucydyd.*, MEIBOMIVM, WEDELIVM aliosque a Te partim iam allegatos, praesertim vero a laudato iam DRELINCVRTIO, *pag.* 649. *Opp. Tract. de Variolis*, iam suboluerit SALMASIO inprimis atque HVETIO (heu quantis viris!) historiae variolarum originem longe altius repetendam esse, quam quidem ab Arabum aetate, prout hactenus creditum erat, huic quidem in HVETIANIS, integro *Cap.* LIX. *p.* 131. seqq. illi vero in reconditae eruditionis libro de *Annis Climactericis*, *p.* 726. quibus in primis add. HERMANN *ab* HARDT Diss. *de Variolis Aegypti et Palaestinae*: Tibi tamen nihilominus soli illibata manet laus probabilis illius ac speciosae coniecturae: nam primus sane Tu docuisti, ἄνθρακας apud HIPPOCR. GALEN. et HERODOT. esse variolas, idque acutissimis argumentis et testimoniis confirmasti, quod neuter illorum fecerat; forsan tamen tantorum virorum assensus Libro Tuo si non ponderis, certe ornamenti aliquid adiecisset, si eorum commode meminisses. Imprimis vero AETII AMIDENI loca graece erant adscribenda, e *Lib.* IV. *cap.* 21. *p.* 68. seq. neminem enim fere ipso clarius de variolis scripsisse nouimus, quippe qui illum morbum diserte vocat παιδίων νόσον, et ἐξανθήματα παιδίων, quemadmodum VETTIVS VALENS in *Genethliacis*, adhuc luculentius, iisdem paene AETII verbis, φλυκταίνας καὶ καθύγρα ἕλκη κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν γιγνόμενα τοῖς δὲ παιδίοις. Conf. huc DIETERICI *Iatr. Hipp. pag.* 438. et *pag.* 37. sqq. et HEVRNIVM, apud FOREST. *Obs. med.* 41. *Lib.* VI. *pag.* 180. sqq. Iure quidem de raritate exemplaris vnici Aldini conquestus es; verum si praeclari Tui instituti rationes mecum communicare Tibi placuisset; non vnum, sed bina habere potuisses exemplaria, vnum quippe Lipsiae olim mihi comparaui; alterum vero Parisiis: verum et sine his adminiculis omnibus, inconcussa tamen semper tibi stabit splendida ingeniosae coniecturae et acutae inventionis gloria.

Longe plura in laudes Tuas meritas dicere possem et vellem, nisi Tu mihi omnem laudandi occasionem praeripuisses ipse, nimium sci-

licet exiguas meas dotes vel publice extollendo: quid enim nunc dixero, id omne ingenua laude minus videbitur. Quare ſilebo potius, id ſaltim adhuc addens, multum Tibi omnino debere rempublicam medicam, quod praeiudicium vulgare occaecatis mentibus Tua opera nunc abſterſum fuerit, varioloſum morbum ante Arabum tempora orbi ignotum fuiſſe nomen: Tu enim contrarium ſatis euidenter demonſtraſti. Perge itaque, Vir eximie, prout laudabiliter inſtituiſti, liberare a morbis aegros, a praeiudiciis medicos, atque plura nobis eiusmodi egregia ſpecimina doctrinae Tuae atque eminentis ingenii impoſterum largiri, qualia ſunt Recenſio febrium epidemicarum et hoc nobile inprimis opus de variolis ex antiquitate graeca ſolide deductis: tum ſane omnium bonorum laudes et applauſus non precario obtinebis, ſed iure Tuo, ſed quadam potius vi et ab inuitis extorquebis. Ego certe quantum in me erit, cauebo ſedulo, ne nomen Tuum mihi adeo charum et dilectum illaudatum maneat in Commentariis meis Hippocratis iam demum per DEI gratiam abſolutis et prelo paratis, prout iam ante pluſculos annos feceram in poëmatis meis forſan Tibi viſis. Nunquam enim niſi cum vita ipſa deponam memoriam ſuauiſſimae amicitiae olim Lipſiae inchoatae et virtutibus ſolidisque ſtudiis ſuperſtructae, cuius iam vterque noſtrum vberrimos fructus reportauimus. Tibi enim hucusque omnia, quantum audio, ex voto fluxerunt, neque vero mihi candidior fortuna longe defuit: exacto nempe in Saxonia, Nouennio fere, vbi haud ſine ſucceſſu et medicinam feci et Phyſici prouincialis munus geſſi, praeter omnem ſpem atque opinionem Vſingam Naſſoviorum euocor, vt Principi haereditario exteras oras petituro in itinere a ſanitate cuſtodienda eſſem: ſequor illico diuinum nutum, nam talis re vera erat, quum nec prolem nec vxorem haberem amplius, quae me retardaret. Per tres igitur continuos fere annos peragrauimus Galliam, Alſatiam, Heluetiam, Lotharingiam, Belgium, Flandriam et Brabantiam, nec non Germaniam. Pariſiis inprimis diu haeſimus, vbi, vt facile coniicere poteris, in Bibliothecis, inprimis Regia, isliniana, Benedictina, Colbertina etc. nihil intactum nihil intentatum reliqui, hinc non ſolum

lum varios antiquiſſimos Codd. MStos Hippocr. ſedulo cum editis libris contuli; ſed et alia inſuper inedita ad Chemiam, materiam medicam et botanicen ſpectantia in vſus meos deſcripſi, vnde multis eruditis ſpoliis nec non ingenti rariſſimorum librorum copia onuſtus laetus domum reuerſus fui. Longum nimium dictu foret, ſingula, quae vidi quaeque didici, hic percenſere; vnicum addo, me Leydae vidiſſe Hippocratem rediuiuum BOERHAAVIVM, venerandum illum et diuinum plane ſenem, qui me, ceu pater filium, ſuauiſſime amplexus fuit, et ſplendido quoque prandio vna cum ill. BASSANDO Celſiſſ. Ducis Lotharing. tum praeſentis, Archiatro, excepit. BVRMANNVS, GRONOVII, aliique viri eruditiſſimi me non minus comiter ſuſceperunt: prior inprimis anecdotas Lindani ipſius emendationes et obſeruationes in Hipp. ſuum vltro mihi conceſſit, ſicut et ill. MEAD egregias quoque in eundem obſeruationes Londino, ad me miſit, et Criticorum princeps BENTLEIVS, vt et graecantiſſimus WIGAN ſimiles ad me proxime ſe miſſuros pollitici ſunt, et Baſilea denique Celeberrimus BATTIERIVS; adeo vt tot praeclaris ſubſidiis inſtructus, nunc vel ipſe ſpes haud exiguas de nouo meo Hippocrate concipere audeam. Domum igitur vna cum Principe meo mihi reduci Archiatri primarii munus demandatum fuit, vbi et, ſi Deo ita viſum fuerit, ſedem nunc quietam figere animus eſt.

Haec ideo Tibi ſignificare neceſſarium duxi, vt ſcias, vbi quaerendus ſit amicus Tuus, qui Te ceu fratrem ſuum ſincere diligit, hactenus enim apud Saxones, adhuc quaeſieras, vnde per varias ambages ſero tandem ad me peruenerunt ſuauiſſimae Tuae litterae, quas impoſterum Francofurtum ad Moenum, ablegare commode poteris, vnde recta brevique via ad me perferri poſſunt.

Sed tempus eſt, vt aliquando finiam, ne pro epiſtola liber exeat. Excuſationem tamen forſan merebor, vbi me longum Tuum ſilentium et breuiorem epiſtolam longiore reſponſione iuſte vindicaſſe ſignificauero. Vale, dulciſſime Amicorum, et me amare perge! Scribebam Vſingae Naſſouior. d. 6. Iun. A. CIↃ IↃ CC XXXIII.

Excerptum ex Annotatis ad II. Epidem. Libri initium.

Locus ipſe forſan ἀνθρακίζει et foedis puſtulis obſitus eſt vt videtur, quod ex lectionum varietate nonnihil patet. Ἐγένοντο GALENVS legit pro vulg. ἐγένετο νώτῳ, dorſo; ALDVS habet pro νότῳ, auſtro, vid. et VALLES. in h. l. diuerſo plane ſenſu, ὗεν ὕδατι λαύρῳ, alias in HIPP. non occurrit, quod potius in ſimili ſenſu ὕδατα πολλὰ, λαῦρα, dixit, vid. I. et III. *Epid.* vt et ὕδατα συχνὰ ἐπεδήμησαν, VII. *Epid.* Immo interiectum hoc de imbribus, ſenſum valde turbat. Quare integrum locum ita potius conſtituendum cenſuerim: οἷον ἐν καύμασιν, ὕδατι δαηρῷ, δι' ὅλȣ, ἐγένοντο δὲ μᾶλλον νώτῳ, quam lectionem et ſequentia, φλυκταινίδες πυρίκαυστοι, et inprimis locus ex *Lib. de Humor. p.* 316. ſat valide confirmare videntur. Haec ex ingenio, etſi ſubtimide, diu ita notaueram; poſteaquam vero Codices manu exaratos Pariſinos verſare licuit, in mea coniectura magis confirmatus fui; in vno enim pro ὗεν, ſcriptum inueni ειον, et in altero ὗον, vnde fortaſſe, non ſine veri ſpecie, ſcribendum οἷον: in binis vero aliis diſtincte νώτῳ, pro νότῳ, ſcriptum erat, vt de lectionis veritate vix dubitandum ſit amplius. Infinita vero poſſem allegare exempla, vbi τὸ οἷον ita ab HIPPOCRATE adhibetur; nam frequentiſſime et omnibus fere paginis, in ipſius libris occurrunt, quare neceſſarium non videtur. Sic in hoc ipſo libro, mox οἷον ἡ ἡμέρη, et paulo poſt, οἷον ἀποφθειρȣσέων οἱ τιτθοὶ, item οἷον κιρσοὶ, οἷον αἷμα ἐκ ῥινέων, et talia innumera ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε, quibus immorari iam non licet. Locus vero inprimis huc ſpectat ex *Lib. de Humor.* a me laudatus, quippe qui adeo exacte noſtro praeſenti reſpondet, vt vnus ex altero transſcriptus videri poſſit. Ita vero ille: οἷον αἱ ἀπὸ καυμάτων ἐπεγειρόμεναι φλυκτίδες. Habes certe hic omnia, quae in noſtro occurrunt, nempe οἷον, καύματα et φλυκτίδες, ſ. quod idem, φλυκταινίδες, qui locus alterum ſimilem in memoriam mihi reuocat ex *Libr. de Humidor.* vſu, quem ſimul emaculabo; αὐτὸ τὸ δέρμα ἐφήλκωται δέρμȣ διονήσει, legeudum ſcilicet forte eſt φλυκταινȣται; excitantur enim puſtulae et bullulae ab aſperſione feruidae aquae, vti notum eſt. His ergo rationibus haud minimi momenti potiſſimum inductus, ita emendandum

dandum censui hunc locum, sicque nunc vertendum arbitror: Carbunculi in Cranone aestiui, velut in vstionibus ab aqua feruida, per totum quidem corpus excitabantur, maxime vero in dorso, id est, vt verbis Lucretianis exprimam elegantius:

Et simul *vlceribus* quasi *inustis* omne rubere
Corpus.

Nimirum videtur hic HIPPOCRATES maiora exanthemata et peioris indolis descripsisse, quae alibi vocauit ἐκθύματα μεγάλα, φλυκταίνας μεγάλας et ἐξανθήματα πλατέα, post quae dein subsequutae sunt minores et ordinariae variolae, vt Tecum loquar, addit enim, εἶτα φλυκταινίδες, postea vero pustulae, etc.

Ardentes papulae atque immundus olentia sudor
Membra sequebatur. (vt cum Virgilio loquar.)

vel in iisdem, vel diuersis plane subiectis, ita vt variolae maiores cum minoribus coniunctae in vnum fuerint, quod adeo inauditum non est.

Supersunt adhuc quaedam circa vocem δαηρῷ, monenda, quam loco τοῦ λαύρῳ, substituendam in contextu monui. Δαηρὸν nempe idem est ac θερμὸν, veteribus Glossis et HESYCHIO potissimum testibus, scil. a δαίομαι, incendor, ardeo, vnde δαΐς fax accensa, taeda. Quae vox quum vulgo minus nota esset, a supinis librariis in λαῦρον mutata fuisse videtur, quod notius esset et frequentius apud HIPPOCR. occurreret, facillimus vero lapsus est inter Δαηρὸν et Λαῦρον: frequentissime enim in antiquis Libris maiuscula Λ. et Δ. ob exactam sui similitudinem confunduntur. Sic apud HIPP. ipsum *Aph.* 43. *Sect.* II. pro καταλυομένων, quidam Codd. habet καταΔυομένων, et *Lib. de Nat. Mul.* §. XL. pro Λειανθέωσιν, quidam quos vidi, Codd. exhibent Διανθῶσιν: apud PAVSAN. notante SYLBVRG. κύΔων et κύΛων occurrit; apud THVCYDIDEM *L.* VIII. Δέρυ et Λέρυ, et apud LXX. *Interp. Gen.* X. Δάσα scriptum est pro Λάσα, vt alia innumera taceam: vide tamen si volupe, CLERICVM in *Arte Critica Part.* III. *Sect.* I. *cap.* IX. et SALMAS. in *Exercit. Plin. p.* 153. et alibi, *p.* 178. VOSSIVM denique in ARISTARCHO, et PASSERATIVM in *Libro de Litterarum permutatione:* item LAMBERT. BOS, *Obseruat.*

Miscell.

Miscell. cap. 34. *pag.* 145. Scilicet post RVTGERS. *Var. Lect. Lib.* II. *cap.* I. vt et WESSELING. ad DIODOR. SICVL. *T.* I. *p.* 681. et *Tom.* II. *p.* 356. et *pag.* 419. IAC. GRONOV. ad POLYB. *Lib.* II. *pag.* 912. *Tom.* I. et FVLV. VRSINI *Not.* in *Legat. Polyb.* XXXII. *pag.* 880. *Tom.* II. MONTFAVCON. *Bibliothec. MStor. nou. Tom.* II. *pag.* 1030. *Thom.* REINES. *Inscript. p.* 970. item GRVTER. FABRETT. MVRATOR. SPON. FALCONER. CHISHVLL. et alios Inscriptionum Veterum collectores passim, qui eandem confusionem literarum Λ. et Δ. saepius obseruarunt: quibus denique add. si placet, *Obseruat. Crit. nostr. Lib.* IV, *cap.* 7. *pag.* 336. sq. vbi plura cum his adnotata. Sed non opus profecto tot ambagibus: Longe enim minore negotio legendum videtur, ὕδατι λιαρῷ, quomodo HOMERVS de Scamandro fluuio feruentissimo dixit: λιαρὸν vero idem esse ac χλιαρὸν ἢ θερμὸν, pluribus ostendit ATHENAEVS *Lib.* II. *cap.* 4. *p.* 41. vbi vid. CASAVBON. in *Comment. p.* 85. STRABON. *Lib.* XIII. et EVSTATH. ad dictum HOMERI locum: item HESYCH. et SVIDAE Lexica.

Haec habui, quae et ad huius loci Hippocratici illustrationem, et ad ipsam meam emendationem propositam tuendam in medium adferrem, quae mihi tunc demum placebunt, vbi Tibi non penitus displicuisse intellexero.

Dubium circa locum primarium de Variolis, Haly Abbatis Arabis.

Variola, inquit HALY ABBAS, vlcera sunt mala et parua, quae omne consternunt corpus, aut in eius maiori parte et aliquando quibusdam et non aliis accidit membris, quam Antiqui Carbones dixerunt ambustos, *Graeci autem filias ignis* vocant. Sed quinam, obsecro, illi sunt Graeci, dixi ego mecum, vbi haec legi, qui variolas sua lingua θυγατέρας πυρὸς vel καύματος, h. e. filias ignis appellarint? sane persuasissimus sum ego, nusquam apud Graecos, ne apud poëtas quidem, deprehensum iri peregrinum hoc loquendi genus et duriorem metaphoram vel potius catachresin. EVRIPIDES quidem πυριγενῆ παλάμαν, dixit, h. e. ensem igne natum, et BACCHVS apud DIODORVM Sic. vocatur πυριγενὴς, et apud LVCIANVM, nisi

nisi fallor, πυρίσπορος, igne satus: sic et in *Anthologia* et apud *Sophoclem* vuae vocantur γεννήματα κλάδων, foetus ramorum, et poma, γεννήματα δένδρων, foetus arborum, arbuteos foetus habet OVID. initio diuini operis: Raphanus tamen γῆς θυγάτηρ, siue *terrae filia*, vocatur in lepidissimo Epigrammate graeco in ALCAEVM MOECHVM, quod ex *Anthologia* hactenus inedita primus publicauit *If.* VOSSIVS in *Obseruat. ad Catull. p.* 42.

Ἀλκαίου τάφος οὗτος, ὃν ἔκτανεν ἡ πλατύφυλλος
Τιμωρὸς μοιχῶν, γῆς θυγάτηρ, ῥάφανος.

Simile quoque me apud ATHAENAEVM legere memini; *Libro* nempe XIII. *pag.* 608. vbi CHAEREMON Tragicus, flores venuste vocat ἀνθηροῦ τέκνα ἔαρος, *floridi veris filios*, et mox adhuc venustius, Hederam ἐνιαυτοῦ παῖδα, *anni filium.* Item apud eundem *Lib.* I. *p.* 28. Critias figuli rotam dixit γαίης τε καμίνου ἔκγονον, *terrae et fornacis prolem.* Ita et PINDARVS OLYMP. *Od.* II. diem scitissime appellauit παῖδα ἁλίου, *filium solis*, ceu obseruauit eruditissimus ANT. BLACKWALLIVS in praestantissimo Libro de *Classicorum Auctorum praestantia*, nuper admodum a *Cl.* AYRERO, Amico nostro aestumatissimo, et itinerum socio suauissimo, eleganter latine verso et doctissimis annotationibus et supplementis edito, *p.* 134. Sic et AVSONIVS, latinus poeta, litteras a CADMO inuentas, *nigellas Cadmi filias* vocauit, elegantissimo tropo. Sic in *Aenigmate Symposiano* XIII, nauis lepide vocatur: *formosae filia siluae.* Ad imitationem nempe HORATII, a quo *Od.* 14. *Lib.* I. *pontica pinus* acutissime dicitur *siluae filia nobilis:* Sicut a Pindaro, insula Delus πόντου θυγάτηρ, *ponti filia*, teste PHILONE IVDAEO, Lib. quod Mundus sit incorruptibilis, *p.* 743. pariter CALLIMACHVS, *Hymn. in Lauacr. Pallad.* 26. vnguenta vocat τὰς ἰδίας ἔκγονα φυταλιᾶς, *filios proprii horti*, et *Epigram.* 29. *p.* 204. Arati carmina dicuntur ἔκγονοι ἀγρυπνίης, *filii Vigiliarum*, sic enim ibi legendum. Omitto nunc studio alia. Si quis autem forte desideret plura eiusdem bellissimae allegoriae exempla; is quaeso, adeat *Thom.* GATAKERVM, Tract. *de stilo Noui Test. cap.* XVI. *p.* 99. seq. *Tom.* I. *Opp.* praesertim autem RITTERSHVSIVM, in *Comment. ad Oppiani*

Lib. I. *Halicot. pag.* 214. ſeqq. vbi ſane largiſſima eiusmodi exemplorum ſeges exhibetur: quibus add. ſi placet, *Poem. noſtr. Tom.* II. p. 146. in Not. item MART. OPITII *poemat. Tom.* III. *pag.* 71. ibique *Notas* noſtras. Huc et ARTEMIDOR. *Lib.* II. *c.* 8. *pag.* 91: τῶν δένδρων τέκνα εἰσὶν οἱ ὕλαστοί, *Arborum filii ſunt germina.* Sed nusquam locorum deprehendet quis apud Graecos, variolas vocatas fuiſſe θυγατέρας vel κόρας πυρὸς, filias ignis. Abhorret profecto haec dictio a genio Graecorum, et ipſiſſimis potius Arabibus, Syris, Hebraeis atque Perſis conuenit, quippe quibus maxime ſolenne eſt, vt amant bullatas phraſes et ſublimes nimium atque audaces metaphoras, rebus quoque inanimatis adiicere filiorum atque filiarum nomina. Sic vt pauca ſaltim ex innumeris fere in medium afferam, illuſtrationis ergo, Echo Hebraeis vocatur בת קול *filia vocis*, vulgo etiam הברה et קול רממה dicta, בת לשון *filia linguae*, ſermo, oratio, verbum, בן לילה *filius noctis*, ros, item ſolſtitialis illa planta, vna nocte ſubito nata, ION. IV, 10. בן קשת *filius arcus*, ſagitta, IOB. XLI, 19. quae et pari elegantia vocatur בן אשפה *filius pharetrae*, Thren. III, 13. בן גרן *filius areae*, frumentum, Ieſ. XXI, 10. בן הבקר *filius armenti*, Vitulus, ſeu bos iunior, Geneſ. XVIII, 7. et alibi. בן שחר *filius aurorae*, lucifer, Ieſ. XIV, 13. et ibid. c. V, 1. בן שמן *filius olei*, ſeu *pinguedinis*, ſolum pingue, ſiue, vt plenius ibi habetur, קרן בן־שמן *Cornu, filius vnguenti*, hoc eſt, mons pinguiſſimus, ſic interpretante chaldaeo, et GROTIO noſtro, illum ſequuto. בני אש *filii ignis*, fulmina atque tonitrua, בנות השיר *filiae Cantici*, in Coheleth, h. e. vt Rabbini exponunt השירים Cantica, et demum, quod huc maxime facit, Syri febres ardentes et acutas vocant בנורה אשתא *filias ignis*, pro quo Ebraei dicunt קרחת item דלקת et denique חרחר, quae voces omnes ab ardore et inflammatione deriuantur. Huc facit inprimis, quod IOBVS *cap.* V, 7. ſcintillas vocat בני רשף *filios prunae*, quod tanto magis hic notari meretur, quod vox רשף anthracem quoque ſiue tumorem peſtilentem inflammatorium, de quo Tibi ſermo, ſignificat, vt apparet *Deuteron.* XXXII, 24. et HABACVC. III, 5. et alibi, obſeruante quoque BVXTORFIO aliisque

que Lexicographis annotantibus. Praefertim vero SCHINDLERO qui in *Lexico fuo pentaglotto, pag.* 212. feqq. multas variasque eiusmodi locutiones metaphoricas, aut metonymicas diligenter collectas, fimul exhibuit. Quibus adhuc vnicum fingulare exemplum addere hic liceat. Apud DANIELEM, *Cap.* V, 5. Lychnuchus, feu Candelabrum vocatur נברשתא, quam fcite et emphatice compofitam vocem ita perquam infcite ac ridicule explicat et illuftrat R. SAADIAS; נברשתא *dicitur quafi* נר ברשתא *hoc eft: Lychnuchus, filius anni, id eft per totum annum ardens.* Quod fi vero forte per totum annum ille non ardeat, aut forfan extinguatur; ergone tum ideo definet amplius effe Lychnuchus? Sane nihil magis illepidum frigidumue hac ipfa etymologia. Sed verior, vt fpes eft, noftra fortaffe erit deriuandi ratio, quod fcilicet נברשתא idem fit, ac נר בר אשתא hoc eft *Lychnuchus, filius ignis*, fenfu facili, opinor, perfpicuo, et ipfi vero conuenientiffimo. Vix igitur nunc Tibimet ipfi dubium fupererit, *Clariffime* HAHNI, quin hae filiae ignis noftri HALY ABBATIS Arabifmum potius fapiant vel Syriafmum quam quidem Graecifmum. Sed difficile admodum creditu, doctiffimum hunc Arabem idiotifmos fuae linguae ipfum ignoraffe atque Graecis adfcripfiffe, quod fuis potius gentibus et omnibus in genere eöae plagae incolis effet adfcribendum. Quare ferio optaui, vt mihi in confpectum daretur ipfum Arabicum HALY ABBATIS exemplar, quo eo diftinctius pateret, quid ipfe fcripfiffet: nam certus fum, latinum Interpretem hi coecum fuiffe, nimium feftinaffe, atque fic Lectoribus impofuiffe. Nihil enim plane fidendum latinis Arabicorum medicorum Interpretibus, rudibus admodum atque imperitis hominibus, quod praeter alios, euidentiffimis exemplis demonftrarunt ANTONIVS DEVSINGIVS, SAM. BOCHARTVS et CLAVD. SALMASIVS. Forfan igitur fcribendum fuerit in hoc loco: quam antiqui Graeci carbones dixerunt ambuftos, Syri vero vel Arabes filias ignis vocant: quo ipfo magnum fane pondus Tuae fententiae adderetur: fed deficiente eheu! exemplari Arabico, nihil certi definire licet.

Haec omnia iam meditatus eram, et maximam quoque partem in chartam conieceram, quum ecce legendo peruenio ad locum CONSTANTINI AFRICANI, infra *pag.* 116. a Te allegatum atque Te ipso fatente, ex hoc noſtro HALY ABBATIS ad verbum transſcriptum; ſed hunc quidem in modum: Antiqui vocant variolas ignis carbones, *Syri filias ignis.* Vbi ſingulari cum voluptate vidi; me ſupra recte conieciſſe, atque optimum HALY ABBATEM a culpa ἀβλεψίας vacuum eſſe; ipſius vero Interpretem eadem contra plenum, qui adeo barbare et inconſiderate loqui fecerat praeſtantiſſimum Autorem Arabem. Haud ergo amplius dubium, quin eodem, quem propoſui ſupra, modo legendus ſit locus HALY ABBATIS, magna Conſtantini auctoritate adiutus; maiore tamen adhuc adiuuandus, ſi Arabicum exemplar nanciſci commode et conferre liceret, quod iam ſupra in votis erat.

Si tamen aliquis excuſare velit vel latinum HALY ABBATIS Interpretem, dicendum, eum ſcripſiſſe non Graeci, ſed *Gerraici*; Gerraici nempe ſunt Arabes a *Gerra*, celebri Arabiae oppido, vnde *Gerraicus ſinus*, et *Gerraici populi*, apud STRABONEM, STEPHANVM BYZANTINVM, et PLINIVM, *Lib.* VI et alibi, adeo vt hoc Typographi aut inepti Correctoris potius ſit vitium, quam quidem interpretis, quum vox *Graeci*, notior longe eſſet quam *Gerraici*. Sed leuis haec eſt coniectura, cui diutius immorari nec placet, nec decet.



IO. GOTHOFREDO HAHN,

AMICO SVO VETERI AC CONIVNCTISSIMO,

S. D. P.

DANIEL WILHELMVS TRILLERVS.

Rem vero nouam mihi narras, amicissime HAHNI, insurrexisse scilicet contra Te medicum experientissimum clarissimum WERLHOFIVM, Tuasque variolarum antiquitates solidis, mea quidem opinione, argumentis superstructas haud ita pridem labefactare conatum fuisse. Statim me summa cupido incessit cognoscendi, ecquid tandem esset, quod contra Te in medium attulisset cl. Tuus Aduersarius. Omni igitur praeiudicio et partium studio prius seposito, intentissima attentione perlegi scriptum illud eruditum musteum adhuc et a prelo madens. Seuerissimo vero examine instituto, nihil fere ibi inueni, vt ingenue fatear, quod contrarium persuaderet, faceretque, vt me a partibus Tuis stetisse multum poeniteret. Operose ibi probare contra Te annititur, distinctos esse morbos anthracas siue carbunculos, atque variolas: Id vero Tu nunquam negaueras, nec vllus, credo, negabit medicorum. Quaestio saltim de eo est potissimum, num veteres medici variolas vocauerint anthraces? idque Tu adductis Graecorum atque Arabum testimoniis, tam liquido, opinor, demonstrasti, vt parum, credo, opponi possit, quod lectores aequos et perspicaces in dubitationem adducat. Verum ergo est, non omnes anthracas esse variolas; sed et illud non minus verum esse videtur, variolas sub nomine anthracum, siue carbunculorum, antiquis medicis venire solere, nec inepte venire posse. Vrgebit hic forsan cl. Aduersarius, summam tunc oriri confusionem, vbi diuersi affectus vno nomine comprehendantur: Ita fere videtur; sed non est. Si enim diuersa veterum loca, quae de anthracibus tractant, sedulo inspiciantur; patebit illico ex recensione symptomatum methodoque medendi, quae de carbunculis proprie sic dictis, et quae demum de carbunculis improprie dictis, siue de variolis, sint interpretanda.

Non nego, quod melius fecissent Veteres, si peculiare nomen imposuissent variolis, sicque nobis, omnem litigandi et dubitandi materiam praecidissent, v. g. si vocassent eas ἀνθράκια s. ἄνθρακας μικροὺς vel παιδικοὺς, ψῶραν ἀνθρακώδη, ἐξανθήματα ἀνθρακώδεα, ἑλκύδρια ἀνθρακώδεα, ψυδράκια, φλυζάκια et similia: forte et ipsi ἐξανθήσιες ἑλκώδεες, *Aph.* 20. *Sect.* III. sint variolae, vt mihi quidem fere videtur: Verum luculentior forsan earundem descriptio habetur *Lib.* I. de *Morb. Epid. p.* 674. ἐξανθήματα, μετὰ ἱδρῶτος ἐρυθρὰ, στρογγύλα, σμικρὰ, οἷον ἴονθοι, iudicantibus quoque sic ZACVTO LVS. DIEMERBROECKIO, DRELINCVRTIO, SEBIZIO, aliisque, laudatis a DIETERICO, in *Iat. Hipp. pag.* 438. Praesertim vero ex sequenti singulari loco, in *Coac. Praenot. pag.* 530. οἷσιν ἐν συνεχέσι φλυζάκια κατὰ πᾶν τὸ σῶμα ἐκφύει, θανάσιμον, μὴ γινομένου πυώδους ἀποστήματος, fuse ac satis solide, nisi fallor, ostenditur, in *Obseruat. select. Halens.* XV. *Tom.* VIII. *pag.* 423. seqq. HIPPOCRATEM ibi manifesto descripsisse ipsas variolas, quamquam haud optimi moris, quod et dudum ad istum locum monuerant DVRETVS et IONSTONVS. Forsan et easdem intellexerit DIODORVS SIC. *Lib.* XIV. *pag.* 697. *T.* I. scribendo: φλύκταιναι περὶ τὴν ἐπιφάνειαν ὅλην τοῦ σώματος, vbi vid. antecedent. At haec obiter. Sed hic non est quaestio, quid facere illi debuissent; sed quid re ipsa fecerint? atque in illo acquiescendum. Quum enim illi verborum parci; rerum vero foecundi essent, quod de CICERONE eleganter ait MACROBIVS, quum hodie contra proh dolor! non desunt rebus nomina, sed nominibus res; saepius accidit, vt vnum nomen pluribus rebus inter se affinibus adiiceretur; quod nemo, spero, negabit, nisi qui hospes plane fuerit in Veterum scriptis. Quanta inde in sola re herbaria difficultas orta sit ex synonymia atque homonymia plantarum, abunde docuerunt SALMASIVS de *Homonymis Hyles Iatricae*, BAVHINVS in *Pinace* et alibi, et nostri saeculi Crateuas, et qui prope solus opem et summa medendi iura tenet BOERHAAVIVS noster in altero plantarum Indice, vt alios taceam. Nemo vero, quod sciam, breuiloquentior et verborum parcior fuit HIPPOCRATE, vnde factum, vt, quod ipse GA-

LENVS

LENVS passim, non sine querimonia, testatur, multis affectibus sibi aliquo modo similibus, vnum tantum nomen imponeret. Me non mentiri, euidenter deprehendet singulis fere paginis, quisquis Libros de *Affectionibus*, de *Morbis*, de *Affectionibus internis*, de *Morbis Mulierum* aliosque attente perlegerit. Sic ille varias Erysipelatis species enumerat, tum Erysipelatum pulmonis, hepatis, vteri et aliarum partium meminit, qua de re nihil hodie in medicorum Libris extat. Ita Typhos non vnus variusque Icterus ipsi commemoratur: occurrunt quoque apud eundem morbus dorsalis, siccatorius, liuidus, ructuosus, pituitosus, niger, φροντὶς, siue cura, morbi hepatici, crassi, medullae spinalis exsiccatio, voluulus haematites, lienes magni, diuersi morbi lienosi, varia exanthematum et papularum genera aliaque id genus plura, obseruata quoque post GALENVM, solertissimo Historiae Medicinae conditori DANIELI CLERICO. Atqui perquam credibile est, sub istis morbis, vno saepe nomine comprehensis, multos morbos latere, quos pro nouis hodie et veteribus incognitis perperam habemus: nunquam enim mihi eorum probata fuit diligentia, qui certam morborum genealogiam constituere atque eorum ortum, progressum et quasi migrationem deducere scrupulose nimis allaborarunt. Vitia erunt, donec homines, grauissimi Historici vox est; sic morbi fuerunt et erunt, donec homines. Prisca mortalium gens eodem, ac nos, modo generata, propagata et educata fuit; luxus in plerisque profusior, libido vehementior et peccandi impunitas maior olim fuit, ac nostra hac aetate: Quis ergo credat, paucioribus et mitioribus eos obnoxios fuisse morbis, et nos solos vitio quasi creatos, promeruisse, vt lue venerea, variolis, morbillis, rhachitide, petechiis, totque febribus, quae nomen sibi adhuc quaerunt, affligeremur, et alieni sceleris poena in solis nostris ceruicibus innocuis resideret? sed de his alibi commodior tractandi erit locus. Interea autem vid. CAEL. AVREL. *Lib.* III. de *Morb. acut. c.* 15. *p.* 228. IO. LANGII *Epist. med.* 14. *Lib.* II. *p.* 559. sqq. ZACVT. LVSITAN. *Med. princip. Hist. L.* I. *p.* 490. et sqq. CASP. A REIES *Elys. Camp. Quaest.* LIX. *p.* 766. sqq. item PAVLLINI *Cynograph. Sect.* IV, *c.* 4. *p.* 192. et sqq.

ſqq. IO RHOD. ad SCRIBON. LARG. *p.* 316. HARRIS, *de Lue Ven. p.* 194. et plures alios. Ita vix dubium, et notas fuiſſe ante Arabum aetatem, variolas: hinc non ſolum nimis confidenter, ſed et illepide prorſus ſcripſiſſe videtur FREIND-VS, acutus cetera et eruditus Medicus, in *Epiſtola de Purgantibus:* Qui Graecis etiam antiquioribus variolas cognitas fuiſſe contendunt, plane ineptiunt. Sed et illud abunde conſtat, HIPPOCRATEM illum morem tenere, vt morbos plerumque per ſigna tantum atque ſymptomata deſcribat, non adiecto eorum nomine, cuius nempe loco ſatis ipſi viſum fuit morborum hiſtoriis praefixiſſe, ἄλλη νοῦσος, ἑτέρη νοῦσος, ἄλλο πάθος ſ. πάθημα et ſimilia. Scilicet non operoſa atque inani loquacitate turgida ſyſtemata in gratiam, niſi forte rectius, nauſeam, et confuſionem, tyronum, conſcribebat; ſed omiſſis quae ſine fructu erant, iisque ſolum conſignatis, quae cognitione digniſſima videbantur, breues potius ac contractos, ſolida tamen doctrina et rerum pondere graues aphoriſmos pro artificibus, concinnabat, ſtilo plusquam Laconico et ad vitium fere circumciſo, imperitis quidem arduo atque tenebricoſo; intelligentibus vero ſatis perſpicuo atque luculento: adeo in omnibus eius operibus intelligitur plus ſemper, quam pingitur, quod de TIMANTHE, illuſtri pictore, acute dixit PLINIVS: Vel, quod de SYMMACHO quondam ſcite dixit ALANVS, in *Anti Claudiano:*

in verbis parcus: ſed mente profundus,
Prodigus in ſenſu, etc.

et de alio, SENECA, *Epiſt.* LIX. *plus ſignificat, quam loquitur:* Neque vero in rebus anatomicis tractandis, vt id quoque obiter hic inſeram, ab iſto conſueto more longe receſſit: Sic Thorax latius ipſi ſumebatur, quam nobis hodie; comprehendebat enim praeter pectoris cauum, medium ſimul atque infimum ventrem: inde recte dictum *Libro de Arte*, hepar in thorace hoſpitari, quod ſtili Veterum et HIPPOCRATIS ignari, et de ſtudio eiusdem anatomico perperam ſentientes, frigide et ridicule traduxerunt, quaſi craſſo adeo errore neſciuiſſet HIPPOCRATES, vbi locorum grande illud viſcus ſitum eſſet. Is ſcilicet, qui ſubtiliſſimam anatomen alias excoluerat, qui alibi auris

tympanum cum osse petroso, oculi humorem crystallinum, tres membranas atque neruos opticos, arteriae asperae epiglottidem, pulmonum vesiculas, cordis auriculas, intestinorum et mesenterii vasa lactea, vesiculas seminales vtrique vesicae lateri adiacentes, renum vreteres, ani atque vesicae sphincteres, aliasque subtiles et reconditas corporis humani partes non solum accurate nouerat; sed et exacte descripserat; imo, qui plus viderat in eo, quam vllus posteriorum saeculorum anatomicus quantumuis oculatissimus, dum abstrusas illas a nullo hactenus visas, mentis tamen acie concipiendas, vias primus bis descripsit, per quas potus affatim haustus, crudus quasi nec circulationis lege a sanguine separatus e ventriculo, caeco quodam itinere, solito citius ad officinas vrinarias delaberetur, quod curiosum sane atque mirabile experimentum in potoribus quotidie obseruare licet: Is inquam, tam hebes, is per Deum! tam fatuus fuit, vt situm hepatis ignoraret, nulli tamen laniorum facile ignotum, risum teneatis amici! en iecur Cratetis! Pari modo κίων ipsi et aliis columella siue vuula est; in *Lib.* vero de *Nat. Mul.* et *Lib.* II. de *Morb. Mul.* denotat quoque monstrosam clitoridis excrescentiam, vt recte coniecisse videtur REGNERVS DE GRAF *Lib. de Mulierum Organis*, licet in alia abierit MERCVRIALIS, locosque illos HIPP. varia emendatione tentauerit, siue rectius onerauerit. Sed de his alibi plenius et exactius, vbi de studio HIPPOCRATIS anatomico contra DAN. CLERICVM, PITCARNIVM, aliosque viros clarissimos recentiores data opera disputabimus: quod et iam maximam certe partem, praestitimus, in *Dissertatione de Hippocratis studio anatomico singulari*, *Wittebergae*, *Ann.* 1754. add. et *Comment.* Nostr. *de Noua Hippocr. Editione adornanda.* item IO. FRANCISCI VAN LEEMPOEL, *Specimen de Anatomes origine et progressu*, *pag.* 59. sqq. Praesertim vero ALMELOVEENII *Nou-Antiqua Inuenta*, et maxime PHILIPP. IAC. HARTMANNI *Origines anatomicas*, et *Differt. de Peritia Veterum Anatomica generali et speciali*, lectu sane dignissimas. Conf. et KVRELLA *Collect. Differtat. de Anat. Vet.*

Quid igitur mirum, vt ad inſtitutum reuertar, ſi et ex ſua indole et ſaeculi more, variolis nomen anthracum tribuerit HIPPOCRATES, inprimis quum vtrique affectus in genere ſibi perquam affines et ex claſſe exanthematum eſſent? quod nec ipſe negat Cl. Aduerſarius. Quidquid enim in contrarium afferatur; negandum tamen non eſt, variolis atque anthracibus vnum eundemque ortum, progreſſum atque finem eſſe, eandemque medendi rationem competere. Nempe anthraces aeque ac variolae morbi inflammatorii ſunt: vtrique ſanguini ſumme inflammato, in vaſculis minimis congeſto, inerti atque ſtagnanti, hincque tandem putrefacto atque in pus abeunti originem ſuam debent, atque vlcera cruſtoſa ſunt: vtrique porro febrem nunc praeuiam, nunc comitem, nunc denique ſubſequentem adiunctam habent; latius ſerpunt, erodunt partes membranoſas atque ſubſtratam carnem, niſi puri acrimoniam mora ſenſim contrahenti opportune iter aperiatur; atque tandem perſanati cicatrices poſt ſe relinquunt nunc aſpectu tolerabiliores, nunc foediores, nunc leuiores, nunc profundiores, prout ſcilicet in vtroque caſu morbus vel atrocior fuerit, vel benignior. Methodus denique in vtroque affectu debellando requiritur fere eadem, nempe antiphlogiſtica; ſcilicet larga et repetita venae ſectione et ab initio, et pro ſubiecti ratione, etiam in ipſo morbi progreſſu, tum remediis diluentibus, attenuantibus, blande refrigerantibus, nitroſis, aciduſis, antiſepticis et ſimilibus totum negotium feliciter abſoluitur, ceu Tu ipſe late ſolideque iamiam oſtendiſti. Interim non nego, quod ad externum tractandi modum attinet, anthraces paullo aliter tractari debere, ac quidem variolas: hoc enim ſi non eſſet, anthraces variolae ipſae eſſent, et variolae anthraces; differunt vero vt maius et minus; in multis conueniunt; non in ſingulis: anthraces ſunt genus; variolae ſpecies: anthraces ſunt maiores et periculoſiores variolae; variolae vero minores copioſiores et plerumque benigniores anthraces, ſeu ἀνθϱάκια; quanquam et interdum aeque virulentae et letales ac ipſi illi maiores et peſtilentiales Carbunculi, quod triſtis experientia ſaepius omnino teſtatur. Non enim ſolum variolae inprimis

ſic

ſic dictae confluentes, anthracas ſiue carbunculos ſecum comites ſaepe habent; ſed et ipſae adeo variolae ἀνθρακώδεις nonnunquam ſunt et, vt ita dicam, carbunculoſae, ſaeuasque peſtes in miſero corpore educere ſolent, ipſo adſtipulante Cl. Aduerſario, et multis docentibus viris magnis, SYDENHAMO, FREINDO, MEADIO, et aliis. Horrendum vero praeſertim dirae iſtius calamitatis exemplum de omnium fere articulorum foediſſimo abſceſſu, variolas peſſimi moris, ſtatim inſequuto, refert SALMVTHVS, ipſe autopta, *Obſ. Med.* 35. *Cent.* I. *pag.* 23. Sic vidi ipſe, quibus calcaneum, pedum manuumque articulos, naſum, oculos, aliaque membra dira variolarum lues exederet, σαρκῶν καὶ νεύρων καὶ ὀστέων ἐκπτώσιες μεγάλαι, ſcite dixit HIPPOCRATES *Lib.* III. *Epidem.* Et non ſine altiſſimo mentis vulnere memini hic virginis emendatiſſimae formae, quae integra vitae ſceleriſque venerei pura, a ſolis variolis confluentibus peſſimi moris, egregiam faciem adeo vſque deturpabatur, vt non ſolum vuula cum oſſis palati parte, foedo abſceſſu, excideret; ſed ipſe adeo naſus intro preſſus horrendo prorſus aſpectu, ſubſideret, vt, quae omnibus antea fuerat admirationi puella, nunc omnibus contra horrori eſſet, donec eam miſeriis coopertam et ob amiſſum formae decus, vitae pertaeſam placida tandem et optata mors rebus humanis eximeret. Vnde vel ex hac ratione concludere fas ſit, non inepte nomen anthracum variolis inditum fuiſſe, quod ſcilicet fidi ſaepius ſint ſodales variolae atque carbunculi, in perniciem generis humani nati et ad inquinandas egregias puellarum formas in orbem delati. Sed tanta profecto differentia non eſt, quantam perhibet Clar. Tuus Aduerſarius, vt non vno eodemque nomine commode inſigniri potuerint anthraces atque variolae. Eamus quaeſo, ſi lubet, ſtrictim per ſingula, vt eo manifeſtius appareat, quam ſpecioſa ſint Cl. WERLHOFII argumenta, et quid ſolidi tinniant obiectiones contra Tuam ſententiam in medium allatae.

Prima ergo differentia carbunculos inter atque variolas ſtatuitur, quod hae magis vniuerſales ſint et vulgiuago more graſſentur; illi vero minus. Sed non videtur iuſta ſatis oppoſitio. Quidam enim an-

thraces vniuersales sunt; quaedam etiam variolae; non omnes; non semper. Anthraces pestilentiales epidemicos esse et contagio propagari, dubio caret: alios vero simpliciores et benigniores, quos ipse admittit Cl. Aduersarius, nec vniuersales esse, nec contagione nocere, pariter extra controuersiam est. Illi febrem accendunt potius, et summum vitae periculum minantur; hi vero mitigant aestum febrilem, salutaris criseos signum sunt et sanitatem promittunt; materia scilicet purulenta atque maligna extra corporis ambitum salubriter eliminata. Par iudicium esto de variolis: quaedam magis vniuersales; quaedam rursus minus, pro diuersa temporis, corporum, aetatis, temperiei et miasmatum in aëre suspensorum ratione: est, vbi inter adultos stragem edunt; est et, vbi inter tenellos solum, ipso quoque praeclare obseruante Cl. Aduersario; est, vbi in ambitiosis vrbibus omne mortalium genus impune depopulantur; est, vbi inter paucas tantum familias modeste quasi sese continent, nec labem in plures dant: nunc mali moris sunt et exitiabiles; nunc mitioris rursus et minus letales: par vbique ratio et pulchra similitudo inter anthraces atque variolas.

Immo ipsi illi salutares et critici anthraces, qui febrem tollunt et vitam quasi in tuto locant, saepenumero sunt vniuersales et febres sui generis ordinario modo comitantur, atque vltimam quasi manum ipsis imponunt, quod anno praeterlapso ipsi frequenter obseruauimus. Febres tum in his nostris terris grassabantur ardentes et malignae, quae perfecte non iudicabantur, nisi in abscessus aut anthraces desinerent. Vndecim propemodum noui ego aegrotos, quibus oborti hinc inde anthraces mox pauciores, mox plures morbi solutionem et dolorum leuamen attulerunt, ex quibus vnum inprimis casum breuius enarrare et rudi quasi penicillo hic obiter delineare, pace Tua, liceat.

Perillustris Iuuenis, annorum XXII. alias vegetus, corporis duri patientisque laborum atque equitando venandoque assidue exercitati, ineunte mense Maio, subito languet toto corpore, dorso inprimis atque pedibus. Mox summa omnium virium infractio atque remissio, stupor sensuum, intolerabilis capitis dolor, vertigo, anhelatio, appetitus prostratus, sitis inexplebilis, nausea, vomitus biliosi, vrina flam-

mea,

mea, pellucida, ardens, cum dolore guttatim ſaepe reddita, omnis nubeculae et ſedimenti expers, aluus adſtricta, inanis ad laſanum ſurgendi cupido, borborygmi, pulſus celer, frequens, durus, nox plerumque exſomnis, aut horrendis pauoribus interturbata; febris ardens. Haec vſque ad diem nonum, per interualla, vel vehementius ſaeuiebant, vel inducias breues facere videbantur. Tum vero circa meridiem omnia magis exacerbari atque in peius ruere: ardor intenſiſſimus, crebra animi deliquia, reſpiratio fracta, anhela, ſuſpirioſa, ſudores tenaces, glutinoſi, foetidi, circa frontem, tempora, mentum, collum, pectus et femora: pulſus debilis, intermittens, vermiculans, rhythmi haud tenax; lingua alba quaſi cruſta obducta; oculi turbidi, nubili, lacrimoſi; mores antea incitatiores et ad iram procliuiores, nunc placidiſſimi et ſedatiſſimi; lingua titubans, vox tenuis, rauca; decubitus in dorſum; artus extremi frigidi continuo fouendi, fricandi; membra omnia cera noua pallidiora, verbo, vbique lurida mortis imago et facies paene Hippocratica, vt ſpes ſalutis nulla, aut exigua ſupereſſet et omnia conclamata eſſe viderentur. Tandem vero binis praegrandibus et peramplis veſicatoriis vtrique femori admotis, et potentiſſimis remediis intus adhibitis, aeger iam fere depoſitus ad ſeſe ſenſim rediit circa veſperam, morbusque ſudatione larga per totum corpus aequali, et requie placidiſſima paullo poſt inſequuta, feliciter demum ſolutus eſt. Sed dum nos omnia in vado iam eſſe et certam admodum ſalutis ſpem refulſiſſe temere credimus; ecce binis diebus interiectis, noua febris excandeſcit, aeque ſuſpecta ac maligna, ac praecedens, nempe hemitritaea, aegroto viribus iam defecto iteratis ſuis inſultibus exitium minitans. Haec quaſi non ſola ſufficeret ad nocendum necandumque; tuſſim continuam, pertinacem, ſiccam, nihil cocti, pauca ſaltim ſpumoſa egerentem, hinc moleſtiſſimam, in ſocietatem adſciuerat, quae quum noctu magis ingraueſceret, ac interdiu, ſicque continuo acri ſtimulo pulmones raderet roderetque, aegrum adeo vehementer quaſſabat, vt ne minimum quidem ſomni guſtare poſſet quantumuis in ſomnum marcidus, nec vllum ſane remedium, quamlibet exploratae iam virtutis et probatae efficaciae, facile reperiebatur,

batur, quo compesci potuisset rebellis illa et vinci nescia tussis. Tandem quinta nocte prouecta, aegrotus de intolerabili capitis, dextri brachii et sinistrae coxendicis dolore ardentissimo conqueri vehementius coepit. Nec mora, confestim accurrimus, videmusque in locis indicatis tumores praeduros, ex fusco rubentes et ad instar carbonum accensorum rutilantes, quos demum tertio ab eruptione die, ex bullulis flaua sanie repletis, et crusta siue eschara intermedia has subsequuta, veros anthraces esse intelleximus, ex quibus bini minores in vertice, et alter in coxendice flauam tantum saniem, siue ichorem, plorabant, quartus vero maximus et ouum anserinum fere exaequans, qui musculum brachii Deltoideum occupabat, materiam purulentam turpi tabo et cruore atro intermistam largissima copia profundebat. Vix vero eruperant isti carbunculi; en mirum dictu! assidua illa et contumacissima tussis nullis plane remediis antea auscultans, iam sua sponte sopita quieuit, quasi imperioso quodam Carmine Thessalo subito fuisset recantata: ipsa quoque febris tabescere coepit, tandemque diuini Corticis Peruuiani sub Electuarii forma exhibiti beneficio facillime expugnabatur, vnde reddita quiete et appetitu reuerso, aeger demum per Dei gratiam breui perfecte conualuit, nisi quod carbunculorum sanatio mensis et amplius spatium consumeret, agebatur enim haec tragoedia ab initio mensis Maii, vsque ad medium sequentis Iunii. Tum vero manifesto apparuit, vnde ortum duxerit tussis, et quare tam obstinati moris fuerit: Scilicet materia illa purulenta, saniosa, heterogenea, verbo, carbunculosa et ἀνθρακώδης, sanguineae massae adhuc innatans et immutabili circulationis lege continuo per pulmones rapta; ibi vero moras nectens et tenerrimam eorum substantiam acrimonia sua vellicans, stimulans, vique viam pandens, satis nunc declarabat, vnde tussis originem cepisset, quare nullis prorsus remediis perdomari potuisset, et quamobrem tandem sua sponte siluisset, nimirum exonerata et e sanguine reiecta illa materia carbunculosa, nihil erat amplius, quod tussim moueret, et sublata caussa, sublatus erat effectus.

Haud

Haud male vero me ita coniecisse, reliqui decem aegroti suo exemplo liquido comprobarunt, qui eodem morbi genere correpti similique tussi molestissima inquietati eo vsque cum vtroque malo frustra luctabantur, donec critica et opportuna anthracum, siue furunculorum, siue abscessuum efflorescentia et febri et tussi, pari modo terminum statuisset.

Ceteri vero omnes, numero sane hand pauci, qui in eodem morbo cubabant, illud vero naturae beneficium haud experiebantur, vt anthraces siue alia exanthemata intus latentia, progerminarent, febre quidem, etsi sero, aliquatenus liberati sunt, non tamen tussi; haud obscuro argumento, materiam carbunculosam pulmonibus tenacius impactam restitisse, ibique continuas tragoedias excitare: plurima quoque eorum pars aut sensim, osseae laruae instar, extabuit proximo vere, aut asthmatica vitam adhuc misere trahit, vt vix dubium sit, quin vomicae, empyemata et foeda vlcuscula in pulmonibus exinde enata fuerint.

Quin etiam, vt id obiter, non tamen abs re, addere hic liceat, in omnibus febribus sic dictis exanthematicis, v. g. morbillis, petechiis, vtraque purpura, milio et ipsis adeo variolis, violentam eiusmodi tussim symptomaticam crebro obseruare licuit, quae nunquam prius obmutuit, quam ipsa exanthemata progemmassent; nec vllum medicorum repertum iri confido, cui non simile in praxi sedula fuerit animaduersum. Vnde vel hoc nomine accurata iterum similitudo anthracas inter atque variolas reapse patescit. Immo in ipsa pestilentia eiusmodi atroci tussi praeuia fauces quati solere, notarunt MERCVRIALIS, DIEMERBROEK et alii, iam diu ante vero ipse THVCYDIDES, LVCRETIVS et HIPPOCRATES noster *Lib.* III. *Epidem.* et alibi.

Hi igitur carbunculi, vt ad institutum reuertar, etsi critici et salutares; vniuersales tamen fuisse videntur et huic febri proprii. Licet enim non in omnibus aegrotis, culpa scilicet debilioris naturae, aeque conspicui fuerint; materiam tamen carbunculosam in omnibus ad-

adfuiſſe, ex reſidua immedicabili tuſſi ceteriſque ſymptomatis modo enarratis clariſſime, niſi fallor, colligere datur.

Et niſi me omnia fallunt, ex eodem genere fuiſſe videntur carbunculi iſti aeſtiui, ἄνθρακες θερινοὶ, in controuerſo HIPPOCRATIS loco *Lib.* II. *Epidem.* Siue enim per carbunculos proprie ſic dictos, ſiue per variolas explicueris; eos tamen vtrinque vniuerſales fuiſſe; nec tamen peſtilentiales et contagioſos, ex modo loquendi facile apparet. Loquitur enim Auctor quaſi de re obuia et conſueta, nec addit praecautionis ergo, vt alias ſolet, κατάστασις λοιμώδης, vt diſtinguat ſcilicet anthraces peſtilentiales et malignos ab anthracibus benignioribus, criticis et febrem non augentibus; ſed finientibus, quae diſtinctio prudentiſſimo conſilio ab Auctore adhibita, cur ceu ſpuria in dubium vocetur, cauſſae nil quidquam ego video.

Sed ſatis, immo nimis de hac prima differentia! Tranſeamus ocyus, hem tempus eſt, ad alteram! cuius momentum in eo ſitum eſt potiſſimum, quod a carbunculis, praeſertim peſtilentialibus, homines aliquoties infeſtari poſſint; a variolis contra non niſi ſemel. Verum nec haec regula ſine exceptione eſt, nec conſtans ac perpetua obſeruatio. Fuerunt enim ipſo DIEMERBROEKIO ceteriſque auctoribus loemographis fatentibus, qui peſtilentiali ſidere ſemel afflati, recurrente poſtea peſtilitate, intacti manſerunt; fuerunt vero etiam, qui iterum iterumque contagio inquinarentur, prout ſcilicet corpora ad ſemina contagioſa ſuſcipienda, nunc magis, nunc minus apta et praeparata fuerint. Eadem variolarum indoles; ſunt, quibus ſemel in vita dirum ipſarum venenum aſperſum fuit; ſunt, quibus bis, imo ter, et amplius, pluribus annotantibus auctoribus, inprimis AVICENNA, RHAZE et aliis, nec ipſo diffitente Clar. Aduerſario. Quanquam ſine vlla fronte ac fide, hodie id negantibus plerisque Inoculatoribus et Veneni varioloſi inſtitoribus et inſitoribus audaciſſimis; quibus tamen ingens Auctorum Caterua ex praeſtantiſſimis et celeberrimis omnis aeui Medicis, opponi confidenter poteſt, qui contrarium non vana opinione inducti, ſtatuerunt; ſed ipſi attente viderunt, imo frequentiſſime obſeruarunt; quorum omnium fidem, candorem et experien-

tiam

tiam in diſcrimen vocare velle; id vero non ſolum aſperrima eſſet ruſticitas; ſed et atrociſſima ſimul iniuria. MEDICVS certe ille, nomine et re, in *Epiſt. de Variolarum Extirpatione*, ſolum XLIX. Medicos experientiſſimos enumerat, qui iteratum verarum variolarum reditum plus ſemel obſeruarunt: quibus adhuc plures addi poſſunt. Conf. interim ill. HAEN, celeb. TRALLES, et alii recentiores, ſed nos ipſi proxime plura. Me ipſum olim iterato variolis decubuiſſe, relatum mihi eſt: ſed quoniam aetatulae incuria, iſtius rei memoria mihi nunc plane excidit; rem dubiam pro vera venditare nolo. Id vero certo ſcio, me ante plures abhinc annos, quum adhuc apud Saxones medicinam facerem, vidiſſe generoſam matronam, quae morbum varioloſum paſſa eſſet, quum nouem haberet annos, et iterum, quum vigeſimum ſeptimum ageret, quod filiolum variolis obſitum vlnis geſtaſſet et ob tetram eius foetidamque animam, grauiſſimam nauſeam ſuſcepiſſet: haec in ſummum vitae diſcrimen adducta fuit, nam confluentes et peſſimi moris erant variolae, neque, credo, atroci malo ſalua emerſiſſet, niſi tutiſſima et ſaluberrima methodo Boerhaaviana ex mediis quaſi Orci faucibus fuiſſet erepta et in vitam reuocata. Sic et alia nobiliſſima virago mihi haud ita pridem narrauit, ſeſe bis in tenera aetate a variolis fuiſſe correptam; eas tamen tam manſueti et modeſti moris fuiſſe, vt formae eximiae omnino parcerent et exiguo numero in facie apparerent. Quid multa? ipſa illa adeo celebris heu nimium! variolarum inſitio non ſemper tutos praeſtitit artificiales, vt ita dicam, variolas expertos, quo minus et poſtea a naturalibus iterum attentarentur, quod a pluribus, etiam ſcriptoribus Anglis relatum eſt, ceu Tibi harum rerum peritiſſimo, ignotum eſſe non poteſt. *)

Quum

*) Ad hunc ipſum locum poſtea, hoc noſtro tempore, ſaepius prouocarunt Viri celeberrimi, DE HAEN, in *Refutat. Inoculat.* contra cl. TISSOT. *cap.* I. *p.* 24. *ſqq.* TRALLES, in vexatiſſimo de Inſit. Variolar. argumento, *Quaeſt.* II. *pag.* 67. SCHACHT. *Inſtit. Med. cap.* XIII. aliique paſſim, qui contra dirum illud et inſanum ſanis corporibus tetras variolas inſerendi artificium, imo rectius veneficium, fortiter ac feliciter hucusque calamum ſtrinxerunt, iſtamque Lernaeam quaſi belluam ſtrenue debellarunt. Quo et inprimis pertinent CANTWELL, RAST, RONCALLI, auctores *Act. med. Berol.* aliique plures, laudati inprimis cel. HAENIO, fortiſſi-

D mo

Quum igitur ex datis his rationibus certum ſit ac exploratum, variolas aeque ac anthraces plus ſemel hominibus contagioſa tranſitione nocere poſſe et ſolere; quamuis vtrinque rarius id contingat: illico nunc ſua ſponte pateſcet, quantula inter vtrumque affectum intercedat differentia, et quam prope vel hoc nomine alter ab altero abeſſe dicendus ſit.

Neque tertio, in eo multum inter ſe diſcrepant variolae, atque anthraces, quod in his bullulae ſaltim ſeroſae aut flatu ſeroſo turgidae excitentur; in illis vero puſtulae cocto pure repletae exſurgant. Diverſa ſaepe indole atque natura ſunt anthraces; diuerſa quoque variolae. Dantur carbunculi varioloſi ſeu purulenti; dantur rurſus variolae carbunculoſae, ſiue ſanioſae potius, quam purulentae, vt ſupra innui: in illis verum pus et in ſui medio, et poſt ablatam eſcharam, maxime vero circa margines, colligitur: in his vero ſerum tantum flavum, acre et edax continetur: Iſti ſalutares; hae contra malignae et funeſtae, dum aegre, aut nunquam ad maturitatem perueniunt, ſummumque vitalium partium incendium adeſſe portendunt. Eiusmodi vero puſtulae ſeroſae, pellucidae, carbunculoſae reliquis innocuis albido et cocto pure turgidis, veluti infelix lolium laetis ſatis, nunc ſparſim internaſcuntur; nunc vero omnes eiusdem generis per omnia ſibi ſimiles, totum hominem, ceu veſiculae ab ambuſtione, occupant et ſummum vitae diſcrimen adeundum eſſe triſtes praenunciant, vt dixi, quod SYDENHAMVS quoque atque FREINDVS ſcite obſervant. Ergo et hic magna vtrinque conuenientia. Quae vero de praeuia febrili ebullitione, qua carere dicuntur carbunculi, adduntur, infra diſcutienda reſeruamus.

Sic et quarta obiectio ſimilitudinem carbunculos inter atque variolas, plane non tollit; quin potius auget. Plures vnius anthracis bullae

mo illo fortunatiſſimoque ferociſſimi iſtius monſtri domitori, item et cl. TRALLESIO. Quibus Viris praeſtantiſſimis et nos proxime noſtras copias adiungemus, edito ſingulari Tractatu, quo iſtam veſanam inſitionis libidinem fortiter impugnabimus, et, vt ſpes eſt, penitus proſteruemus et euertemus, haud veriti immenſam illam defenſorum cateruam, quae tanta profecto eſt, *quanta eſt muſcarum, cum caletur maxime*, vt ille ait Vetus Comicus.

bullae in vnam demum eſcharam coire dicuntur; ipſi vero carbunculi plures peculiaribus ſibi ſpatiis atque limitibus circumſcribi, et per interualla a ſe inuicem diſtingui, recte aſſeritur. Ecquis vero in illis egregiam variolarum confluentium aut cohaerentium; in his vero diſtinctarum et ordinariarum imaginem ſibi repraeſentari dubitet? Imaginem dico variolarum; non ipſas variolas: ſi enim carbunculi cum variolis eiusdem plane indolis, figurae et naturae eſſent; nulla futura eſſet inter vtrumque affectum differentia, nec variolae ceu ſpecies ſub carbunculis, ceu ſuo genere, comprehendi poſſent, quod iam ſupra monitum a me fuit.

Quinta oppoſitio ex diuerſis membris conſtat; ſeparatim ergo ad ſingula reſpondendum, ſed pauciſſimis. Primo praeuiam febrilem ebullitionem in anthracibus, non aeque in variolis, deficere pronunciatur; ſed neſcio quo fundamento. Quum enim in quauis febri ſimplici et alternis rediuiua diebus, paroxyſmi tempore, eiusmodi ebullitio materiae febrilis obſeruetur, quod ex pandiculatione, horrore, aeſtu, ſiti, capitis, ceruicis, dorſi, artuum dolore, vomitu, nauſea, pulſus celeritate, aliisque conſuetis ſymptomatis, manifeſto deprehenditur; quanto magis id de febribus exanthematicis eiusmodi ebullitionem, et quidem vehementiſſimam, ſtatuere liceat?

Cum ſanguis nimius puri commiſtus atroci
Aeſtuat, et papulas alte ſuſtollit acutas.

Quid enim anxietates, anhelationes, corporis iactationes, clamores, deliria, tuſſes, ſingultus, motus conuulſiui et epileptici, aliaque id genus ſymptomata variolas, morbillos, petechias &c. plerumque praecedentia aliud quaeſo ſunt, quam ebullitionis tumultuoſiſſimae certiſſimi effectus et euentus? Solam ergo carbunculorum eruptionem immunem eſſe ab eiusmodi ebullitione aeſtuoſa, quis dicat? quis, repugnante experientia, audacter aſſerat? quantos tumultus excitent horrendi peſtilentiales carbunculi iamiam prodituri, quantumque vrant adhuc incluſi, per omnes ſcilicet neruos articulosque humore peſtifero graſſante, notatum eſt a MERCVRIALI, DIEMERBROEKIO, BARBETTE, RIVINO, et iis inprimis ſcriptoribus, qui peſtilentiam

Massiliensium graphice nobis descriptam dederunt. Nec vero mitius ingenium inesse benignis et criticis carbunculis patet ex casu illustris Iuvenis superius relato, qui ante eorum extuberationem, tam diris, tam enormibus symptomatibus excruciabatur, vt animam agere et in vltimis esse nobis omnibus videretur. Ipse Cl. Aduersarius id negare non audet, dum addit: nisi ebullitionis tempus incertissimum illud vocare velis, quod in pestilentia aliisque morbis, symptomaticum carbunculum praecedit. Cur vero tempus incertissimum? certissimum potius est, quando semper eruptionem praecedit, siue illa tardius, siue celerius, pro circumstantiarum et subiectorum diuersa ratione atque natura, promoueatur. Pari profecto iure tempus ebullitionis in variolis, incertissimum vocari posset: si enim eae vagi et inordinati sunt moris anomalique generis, quod saepius obseruatur, siue citae earum emicationi obstat languida et imbellis aegroti natura, siue incautius is sese aëri frigido exposuit, siue aliquod peccatum in sic dictis sex rebus non naturalibus commissum fuit, alias caussas et medicorum culpas vt taceam; tum quoque semper incertum esse solet ebullitionis tempus, quod FREINDVS atque HELVETIVS obseruare haud omisit; licet alias in statu regulari typicum satis sit et exactam normam teneat. Interim tamen eo respectu certum quoque est, quando nempe semper praecurrit ipsam variolarum expulsionem, ita vt ex praeuia ista ebullitione tuto colligere liceat, naturam iam variolas parturire et in conspectum producere velle.

Porro tempus eruptionis carbunculi febrem non tollere aut minuere; sed statim arcessere aut augere dicitur. Distinguo hic ego inter carbunculum pestilentialem et malignum, et inter benignum et criticum: ille accendit et accuit febrim; hic contra restinguit et obtundit, vt supra monitum. Sed et post ipsam variolarum eruptionem, febrem non penitus cessare notum est: Oritur enim tum, quum pustulae in pus abeunt, febris sic dicta secundaria interdum gravioribus longe symptomatis stipata, ac ipsa primaria, quod FREINDVS, SYDENHAMVS, LISTERVS, MORTONVS, MARESCOTTVS, HELVETIVS et alii variolarum Scriptores affatim docuerunt, nec quotidiana experientia hic aduersatur.

Defi-

Deficere quoque in anthracibus ſuppurationis tempus, nec verum in iis pus generari; ſed ſaltim mortificationis et putrefactionis tempus eſſe ſupponitur. Sed nec difficilis ad hoc dubium reſponſio. Non vnam eandemque carbunculorum naturam eſſe, aliquoties iam monuimus. Plerique, vt fatear verum, ita comparati ſunt, quales deſcribit HIPPOCRATES *Lib.* III. *Epidem.* ἦν δὲ τὸ ῥεῦμα τὸ ξυνιστάμενον οὐ πύῳ ἴκελον, ἀλλὰ σηπεδών τις ἄλλη καὶ ῥεῦμα πολὺ καὶ ποικίλον; quidam tamen in media ſui area pus habent, vt maximus ille, qui ſupernae brachii parti illuſtris illius iuuenis, in caſu ſupra memorato inhaeſerat: plerique vero in margine, quod ipſe concedit Cl. Aduerſarius: Omnes tamen, praeſertim, vbi ex veteri nec illaudabilli more, PLINIO, CELSO, TITO LIVIO apud SERENVM SAMONICVM, GALENO aliisque teſtibus, candente ferro profundius inuſti fuerint, pus verum colligunt, quomodo enim ad ſanitatem peruenirent, niſi prius in ſuppurationem abiiſſent? Quid igitur refert, ſiue pus in medio ſui habeant? ſiue in circumſcriptis limitibus, modo habeant? Par omnino ratio in variolis quoque. Quaedam tardius, quaedam citius, ſuppurant, quaedam etiam nunquam, de iis potiſſimum loquor, quae bullati, ſiliquoſi, veſicularis, cryſtallini et carbunculoſi, id eſt, peſſimi generis ſunt, eae enim aut flavo, aut fuſco ſero et ichore turgeſcunt; nunquam vero cocto et albo pure; et hae aeque in mortificationem et putrefactionem ſubiectarum partium carnoſarum tendunt et ἐσχαρῶδές τι, immo et gangraenoſi quid habent, ac carbunculi ipſi; quod ex triſtiſſimo puellae caſu ſuperius annotato, manifeſto apparet, cui plures ex medicorum obſeruationibus et FREINDO inprimis, hiſtorias ſimiles adiungere nunc facile poſſem, niſi res nota nimium eſſet et ego ad finem properarem.

Exſiccationis denique tempus in anthracibus deeſſe ſtatuitur. Sed niſi demum exſiccarentur foeda carbunculorum vlcera, quomodo quaeſo perſanari vnquam poſſent? quod tamen ſaepius videmus. Non nego tardius longe exſiccari carbunculorum pleroſque, ac variolas, et aſſiduam ſolertis Chirurgi opem operamque expoſcere. Interim tamen quoſdam etiam celerius exſiccari et in cicatricem coire abunde

conſtat, pro variantia ſcilicet ſubiecti, loci affecti, diaetae et ipſius quoque medelae et tractandi modi. Sed quis neſcit, ipſas variolas ex iisdem quoque rationibus nunc lentius in exſiccationem ſui procedere, nunc citatius properare? quis, inquam, neſcit, non ſemper ſimul exſiccari, ſed nunc hic, nunc illic, nunc plus, nunc minus, nunc facilius, nunc difficilius? nimirum pro diuerſitate materiae purulentae vel benigniotis, vel malignioris, pro ratione ipſius cutis et carnis, et vbi aegroti pruritus exquiſitiſſimi impatientiores vnguibus infixis cruſtas cum ſubſtrata tenerrima cuticula, intempeſtiue ſcalpendo abraſerint, ſicque vlcuſcula irritando denuo inflammauerint. Sic vidi quibus variolae in mento, genis, brachiis, item circa externos oculorum canthos, et circa labia, aliisque in locis ſparſim reſiduae, tam contumaces eſſent, vt nulla arte, nulla medela exſiccari et deleri potuerint, quin potius in ſordida, putrida, depaſcentia et Chironia quaſi vlcera degenerantes, et Medicis et Chirurgis multum ingratae operae exhiberent, donec tandem longo poſt tempore difficillime perſanarentur. Vnde patet nunc, quam neceſſaria ſint medicamenta aluum blande ſubducentia non ſolum in febre ſecundaria, quod FREINDVS cum ſuis aſſeclis, viris ſummis, inprimis vrget; ſed et in ipſa variolarum exſiccatione, et poſt ipſam quoque, ne ſcilicet quid materiae varioloſae in corpore relinquatur, quod quia nec per tranſpirationem, nec per ſuppurationem, nec ſputationem, nec lotii vias, eliminari poterat, in locis minus commodis ac tutis poſtea erumpens foetida, ſerpentia et immedicabilia vlcera creare poſſit, quod haud raro, praeſertim in infantibus, animaduertere licuit, quorum multi aut vno aut vtroque oculo capti vſum dulciſſimae ante omnia lucis miſere perdiderunt, ideo ſaltim, quod lenia purgantia aliquoties repetita in tempore non fuerint adhibita temereque neglecta.

Verum his miſſis, properemus iam ad ſextam obiectionem, ex eo potiſſimum deſumtam, quod anthracibus quaeuis ſine exceptione aetas obnoxia ſit; variolis vero puerilis maxime atque tenella. Vnde vero conſtat carbunculos minus ius habere in infantes, quam in adultos? Quum enim per Dei gratiam, ſaeua peſtilitas in noſtris regionibus

rarius

rarius dominetur; quis deficientibus obſeruationibus et plena perfectaque morbi hiſtoria, quis, inquam, definire audeat, cuinam inprimis aetati prae altera, virulenta iſta lues venenum ſuum affricare ſoleat? Quin potius coniicere par eſt, in terris eois et alio ſole calentibus, vbi malum iſtud magis populare ac domeſticum, aërque frequentioribus peſtibus exundat, dulciſſimos natos a primo vbere aeque frequenter et catervatim a morbi violentia rapi, ac grandaeuos patres, aut robore inſignes viros et toro maturas puellas, verum enim omnino illud Taciti: non ſexus, non aetas periculo vacua, ſeruitia perinde ac ingenua plebes raptim exſtingui. Immo probabile potius eſt, vagum ac ſubtile virus mortiferam cladem magis conflare infantibus citaque eorum fata funeſto afflatu praecipitare, quod corpus habeant tenerum, molle, fluxum, debile et ad contagioſa ſemina facilius ſuſcipienda aptius, prae virili, robuſto ac magis compacto corpore, cui rei paſſim fidem faciunt itinerariorum conditores. Ex eadem enim ratione frequentius apud nos variolis corripi videntur, ac quidem ſenes ac adulti viri, recte ſic concludentibus medicorum praecipuis & Arabibus ipſis. Quid vero mirum, adultorum millia quotidie occurrere (vt Cl. Aduerſarius ait) quibus nullus unquam anthrax effloruit? quando deficiente cauſſa, fruſtra de effectu quaeritur. Variolae nunquam ſine contagio ex coeli intemperie orto, propagantur; multo minus carbunculi, nempe maligni et peſtilentiales. Vbi ergo contagium non eſt, quod auras vitiat, nec variolae ſunt, nec anthraces. Sic ipſo Cl. Aduerſario pulchre annotante, Cl. SIGESBEKIVS Seehuſae, per integros quindecim annos, nullas plane variolas graſſari animaduertit, quum tamen circumiacentes pagi interea temporis aliquoties eſſent infecti; quibus nempe ſolis coelum nocens, grave et varioloſo contagio foetum incubuit, intacta benigniore fato Seehuſa. Idem ſtatuendum de peſtilentia ipſa, cui inter omnes morbos contagioſos palma nocendi eſt, vt cum poëta loquar.

Septimum denique atque vltimum diſcrimen facere perhibentur diverſae variolarum foueae, atque carbunculorum cicatrices, quae immenſum quantum a ſe inuicem diſtare creduntur. Sed neſcio, an ge-

nuinam

nuinam illud atque accuratam differentiam conſtituere poſſit, quod a ſolo caſu arbitro atque quarundam circumſtantiarum diuerſitate potius pendeat. Differre inter ſeſe carbunculos natura, magnitudine, malignitate, profunditate, ſinu, ſede et ſimilibus proprietatibus, notum eſt et iam a me monitum: diuerſas hinc igitur eſſe oportere eorum cicatrices poſt ſanationem relictas, ſponte exin ſequitur. Sic leuiores et perfunctorias fore cicatrices, quas parui, benigni, in locis minus carnoſis enati citoque ſanati carbunculi impreſſerint, quis dubitet? Grauiores contra, ſpatioſiores, aſpectu foediores magisque indecoras orituras, vbi maiores, duriores, et maligniores fuerint carbunculi, et in partibus muſculoſis profundiores ſulcos duxerint, ita vt hinc maius temporis ſpatium expoſcerent, antequam plane ſaneſcerent, quis praefracte negare auſit? Ita in caſu illuſtris Iuuenis ſuperius commemorato, bini minores carbunculi in capitis vertice oborti levem tantum ſui notam inſcriptam relinquebant, quod citius medelae obedirent et in parte carne orba eſſent: alter vero in coxendice curatu difficilior profundiorem ſulcum exarabat: quartus autem maximus ille muſculo dextri brachii deltoideo infixus profundiſſimam, teterrimam et pulchreſcere neſciam cicatricem parti ſubiectae inſculpebat, quod omnium peſſimus et pertinaciſſimus eſſet, foedo ac inexhauſto pure ſcateret, et per ſex fere hebdomadum ſpatium, optimam medendi methodum praefracte eluderet, priusquam exſiccaretur penitus et ſede ſua excederet.

Eadem igitur, immo maior adhuc eſt differentia inter ſtigmata, foueas atque cicatrices variolarum: Immane quantum inter ſe differre variolas ratione generis, naturae, magnitudinis, qualitatis, figurae etc. res eſt etiam in vulgus nota; quidni ergo differant etiam plurimum inter ſe foueae earum atque cicatrices; alius generis ſunt ordinariarum et diſtinctarum variolarum foueae; alius rurſus cohaerentium, contiguarum, confertarum aut confluentium cicatrices: illae leuiores plerumque, depreſſiores et planiores; hae contra profundiores, longiores atque expreſſiores, imprimis vbi aegroti pruritus ſubcutanei impatientiores, a ſcabendo atque ſcalpendo, ſibi haud prouide ſatis temperarint,

vncis-

vncisque manibus vlcera coitura denuo dilacerarint; tum enim tam foedae, tam latae tamque altae saepe cicatrices oboriri solent, vt ARGO aliquo aut OEDIPO opus esse videatur, si quis differentiam inter carbunculorum atque variolarum cicatrices rite dignoscere, aut diuinare velit. Ita vidi ipse ante hos quatuor annos, Centurionem quendam, iuuenem olim non inspeciosum; sed a confluentibus variolis egregiam formam ita deformatum, vt visos antea vultus vix nunc agnoscere posses, quod omnia vnum vlcus essent, pereunte figura. Non enim solum dextrum oculum crudelis tabes exederat; sed et in fronte, circa nasum atque in mento, tam profundis, longis atque tetris cicatricibus, ad instar Aethiopum Petronianorum, scissus erat, vt facies eius siue larva potius, inter τὰ πρόσωπα ἐῤῥακωμένα Dioscoridea iure meritoque referri mereretur, quod cicatrices illae internata carne nunquam explerentur. Quam promtum igitur atque expeditum est scilicet, in hortis ex leuius vel altius egesta humo concludere velle, qualisnam arbor in illa fouea quondam infixa haeserit; tam promtum profecto atque facile est, ex cicatricibus quibusdam diiudicare velle, sintne a variolis cohaerentibus aut confluentibus ductae; an ab anthracibus, furunculis aut abscessibus sulcatae, quum similitudines hic etiam oculatissimis et peritissimis Medicis ac Chirurgis saepissime imponant. Feras quidem ex diuersae formae vestigiis roscido solo impressis, cognoscere datur; at variolas atque carbunculos ex cicatricibus in cute relictis, aegre atque difficillime dignoscere licet.

Ex hactenus ergo late disputatis clare nunc liquere opinor, quaeri potius, quam reapse deprehendi, magnam adeo differentiam anthracas inter atque variolas; quin potius vtrosque affectus in plerisque adeo amice conspirare sibique similes esse, vt hinc ab antiquitate breuitatis studiosa, sub vno eodemque nomine, forsan non incommode comprehendi potuerint, quod scilicet variolae minores essent carbunculi, carbunculea vero maiores variolae, et sic inter vtrosque concors omnino discordia deprehenderetur.

Sed manum tandem de tabula! Longius profecto me iam prouectum sentio, ac animo primum destinaueram: Epistola, quam ad Te

meditabar, me non animaduertente, in maioris molis tractatum intumuit, et amphora exiit currente rota, quum vrceus institui coepit. Condonabis ergo, rogo, tinnulae meae atque ventosae loquacitati, Amicorum optime. Non eum in finem haec a me prolata, quasi Te docere, aut argumenta Tibi suggerere velim, quibus oppugnare possis Cl. Tuum Aduersarium; nunquam tam demens aut meorum tam stulte amans fuero. Scio probe, Te me defensore non egere, nec Tibi deesse opes et arma, quibus triumphi veluti iam securus, aciem instruere posis contra amicissimum Tuum inimicum. Immo iam in antecessum ad plerasque eiusdem obiectiones tam solide tantoque cum eruditionis apparatu in eximio Tuo Libro respondisti, vt tela praeuisa nunc Tibi eo minus nocere possint. Noli ergo putare, me iudicem inter vos litigantes sedere temere velle; nec volo profecto, nec valeo: Grauior longe, experientior, doctior et iudicandi facultate instructior vobis eligendus est iudex, cui committatis litem vestram pulchram hercle! et erudito orbi plurimum profuturam, ἀγαθὴ δ᾽ ἔρις ἥδε βροτοῖσι. Exorandi sunt maximi illi rediuiui HIPPOCRATES Belgii atque Britanniae, animae, qualis neque candidiores terra tulit, neque queis me sit deuinctior alter, illustris inquam BOERHAAVIVS atque MEADIVS, vtrique nobis et vobis, credo, amicissimi, vt caussam vestram inspiciant, sententiam ex aequitate et iustitia ferant, vestras lites placide componant: vtrique sane hoc officium competit ob summam eruditionem, grauissimam auctoritatem, diuturnam experientiam, intemeratum candorem et famam inprimis per vniuersum terrarum orbem late diffusam; praesertim vero posteriori, cui absolutissimos de *Variolis Commentarios* a multo iam tempore meditatos cum insigni suo emolumento breui debebit respublica litteraria. Horum exquisito et splendido arbitrio vobis standum erit, aut cadendum, non meo, qui probe noui, nil nostri curam laboris magnis nominibus prodesse, nec meo dissensu caussam bonam peiorem fieri posse, nec malam meo assensu meliorem. Hinc vestram litem nullo pacto meam facio, qui domi alias abunde habeo, quod agam; nec dicta mea aut insomnia ita accipi velim, quasi classicum cecinerim, aut vestrae contentioni te-

mere

mere immifceri cupiam. Mihi potius haec qualiacunque fubito calore in perituras chartas effundenti animus inprimis fuit, taedia ex continuis laboribus practicis ingratis hac fubitanea fcriptione interpungere, curarum amara eluere et triftem aegrimoniam ob publicam abominati belli calamitatem, obortam mente folicita aliquantifper excutere; folito enim dolori dum fcripfimus ifta, abfuimus, nec nos in mediis bellis effe fenfimus. Quid enim opus multis praemonere, ruri haec, meque a chariffimis libris et dulcibus ante omnia Mufis procul remoto, inter horrifonos armorum fragores et circumtonantes fanguinolentae Bellonae tumultus, vtcunque effe exarata? res ipfa clamat, ipfumque hoc fcriptum, fic ieiunum, fic omni ornamento et decore orbum eft, vt excufationem veniamque potius mereatur, quam indignationem aut refutationem. Nam

quanquam funt a me multa profecta,
Multa tamen reftant, et funt ornanda politis
Vocibus.

Quod tamen in his aerumnofis temporibus nemo paullo humanior iure a me exigere poterit, quando Mufae feceffum et otia quaerunt, nec mentis folum pacem, vt poëta ait; fed et publicam, habere volunt: nunc omnia contra lutulenta fluunt, et eft omnino, quod tollere velim.

Interim Tibi, Amicorum praeftantiffime, ex animo gratulor, quod in Clariffimo Experientiffimoque WERLHOFIO Aduerfarium nactus es non folum eruditiffimum; fed quod omni eruditioni multis parafangis praeferendum, quia rariffimum eft, modeftiffimum quoque humaniffimum et ab omni verborum vilitate et vocibus a vulgi faece imaque cauea petitis, falibusque felle fuffufis abftinentiffimum. Heu quanto melior fors Tua forte mea! mihi enim quondam cum excetris potius, vipereis echidnis et hominibus (fi hoc quidem nomen mereantur belluae potius) adeo duris, tumidis et fermonis amari depugnandum fuit, vt quomodo poëta ait; *Sifennas atque Barros equis albis praecurrerent:* Qui vero iuftae noftrae vindictae mortis opportunitate fefe iam fubduxerunt, quid enim quaefo iuuet in extinctos iam artus ferrum dimittere, quum plaga locum non habeat amplius, nec fenfum inferat? Merito ergo nunc pudet bella gerere cum mortuis nullos

los habitura triumphos, inprimis quum et viui iam digniores fortaſſis eſſent, qui vnguibus et pugnis, dein fuſtibus atque flagellis, imo *habenis*, potius, quam calamo atque ſtilo, confutarentur: quod tamen a noſtris moribus alieniſſimum.

Vnum adhuc ſupereſt, quod pace Tua breuiſſimis moneam. Rogas me humaniſſime, vt publicandi meas litteras licentiam Tibi faciam. Dic vero ſodes, amiciſſimum Caput, quid Tibi in mentem venerit? Tantine meas nugas eſſe putas, vt luce publica non indignas cenſeas? Erras profecto, Amice, erras! et plus omnino amori in me Tuo atque amicitiae tribuis, ac ipſi veritati et rei aeſtimationi. Quodſi enim ieiunae illae nec praeſectum ad vnguem caſtigatae litterae publicentur; vereor omnino, ne eruditis lectoribus ſint oneri, exaſciatis Tuis ſcriptis dedecori, mihiquemet ipſi pudori. Interim tamen famae iacturam facere malo, quam obſequii gloriam coram Te perdere.

Fac igitur, quod lubet, quod e re Tua videbitur, nec veto, nec iubeo, ex veteri formula; iudicio pretium res habet iſta Tuo. Scias enim, Vir praeſtantiſſime, omnes meas litteras, ſimulac manibus meis emiſſae fuerunt, non ad me amplius pertinere; ſed ad amicos potius, ad quos ablegantur: plenum iis in illas ius eſt, ſiue aeternis carceribus damnare velint, ſiue voraci Vulcano tradere, ſiue denique cum erudito orbe, praeter meritum ſuum, communicare ipſisque dulcem lucis vſuram benigne nimis indulgere. Quodſi igitur immota Tibi ſententia ſederit, ſteriles meas atque crudas litteras in forum propellendi; Te pannos meos detritos ſplendidiſſimae Tuae purpurae aſſuere voluiſſe, vt diſcrimen inter vtramque ſcriptionem, perfectam ſcilicet Tuam, et futilem atque mancam meam, eo luculentius pateat, non ſine verecundia tacitus mecum reputabo. Sed ohe iam ſatis eſt! Tu in publica commoda diu bene vale et me, quod facis, amare perge. Scribebam Bibrici Naſſouior. ad ambitioſum flumen Rhenum ab innumero milite fero eheu! iam obſeſſum atque cinctum, Calend. Auguſt. A. O. R. cIↄ Iↄccxxxv. *)

EXERCI-

*) Relectis iam poſt integrum triginta annorum decurſum, denuo his ipſis Epiſtolis noſtris; ita nunc ingenue ſentio: Variolas morbum plane nouum non eſſe; ſed

EXERCITATIO BOTANICO-PHILOLOGICA, DE

MOLY HOMERICO ET FABVLA CIRCAEA.

LIPSIAE primum cIↃIↃCCXVI. publice propoſita; Nunc vero WITTEBERGAE, poſt integros Quinquaginta Annos, cIↃIↃCCLXVI. denuo recognita, emendata, amplificata et multis magnisque acceſſionibus vbique aucta.

Maximus Tyrius Serm. XXIX.

Ἀληθῆ λεγέτω, κἂν ποιητὴς λέγῃ, κἂν μῦθον λέγῃ, κἂν ᾄδων λέγῃ. ἕψομαι τοῖς αἰνίγμασι καὶ διερευνήσομαι τὸν μῦθον, καὶ οὐκ ἐκστήσει με ἡ ᾠδή.

ANTELOQVIVM, IN QVO BREVIS TOTIVS FABVLAE ENARRATIO.

Vagus Vliſſes ex Aeolia cum ventoſo dono redux, vel expulſus potius, adpellit ad Aeaeam inſulam (Tzezes in Lycophronem, Aeanam ſcribit, quod tamen Munckero mendoſum videtur ad Cap. CXXV. Fabb. Hygini; qui ipſe ſcribit Aenariam) Degebat ibi Circe, venefica, vt creditur, inſignis: Neſcit Vliſſes, qui inſulae illius inhabitatores; hinc mittit ad explorandum ſocios viginti et duos flentes et triſtes, quibus (ſorte ita ferente) praeficitur Eurylochus. Hi loco illi eminentiori adpropinquantes conſpiciunt arcem ſplendidam, plane regiam, et circa ipſam multos montanos errare lupos et leones vnguibus armatos, omnes tamen Circes artibus et remediis ita manſuefactos, vt priſtinae obliti feritatis, neminem laederent; omnibus contra ſubblandirentur aduentantibus, canum ad inſtar caudis tremulis domino a conui-

 vio

ſed Veteribus dudum cognitum, quod ex ipſa hominum natura et ipſius conſuetis affectionibus et circumſtantiis, facile demonſtrandum; ab ipſis tamen haud exacte ac diſtincte deſcriptum; ſicut poſtea praeſertim ab Arabibus, factum. Probabile quoque videri, ſub Graecorum Anthracibus forſan ipſas ſimul latere Variolas; certo tamen et manifeſto demonſtrari, vix poſſe, Anthraces re vera eſſe Variolas. Ceterum vero in hac nobili controuerſia agitanda, nemo prudens, ſpero, B. HAHNIO meo denegabit ingenium, venuſtatem et ornamenta; ſed nemo quoque aeſtumatiſſimo WERLHOFIO meo, adhuc per Dei gratiam, viuenti, iudicium veritatem et argumenta. Haec ἄνευ πάθων.

vio redeunti occurſantium atque ita gaudentium. Nihilominus timent et terrentur legati Vliſſei his conſpectis beſtiis: ſed quum ipſis nil contingit aduerſi, animus redit; pergunt, ad ianuas Circaeae domus veniunt. Audiunt Circen voce eleganti cantare, et telam ingentem percurrere. Suadet Polites (Polytes ſcribit Ouidius) vnus ex ſociis, Vir praeſentis animi, vt ocyus eam adloquantur. Fit; vnanimis tollitur clamor; auditur, ſplendidae aperiuntur ianuae, egreditur Circe, eosque peramanter inuitat. Omnes imprudenter ſequuntur, ſolo remanente Eurylocho, cui fraus ſubolet. His Circes iuſſu adcumbentibus paratur poculum ex variis eſculentis cum vino miſtis; pani adduntur medicamina noxia patriaeque obliuionem inducentia. Tum ea illud porrigit; illi capiunt, datur circum, bibunt omnes: poſt virgula ab ipſa percuſſi vertuntur in pecudes; in ſetas abeunt veſtes, in crura lacerti, fiunt porci, fruſtra loqui conantur, flent tamen, et mens adhuc formae veteris ſeruat veſtigia: hinc ab Circe haris incluſi glande paſcuntur, ſueto ſuum pabulo (Lycophron addit vuarum acinos et fraces.) Interea Erylochus ſpemque metumque inter dubius, ſocios opperitur avide; ſpe tandem fruſtratus, redit ad Vliſſis nauem durum ſociorum fatum relaturus: ſed vox haeret faucibus; nil poteſt prae dolore eloqui, flet lugetque; demum ad ſe paullulum rediens, Vliſſi eiusque ſociis relictis toties interrogantibus breuiter exponit rem actam, flet iterum. Vliſſes enſe armatus et ferro; ſed ira magis atque furore, vadit ad ſacram Circes domum viae licet ignarus et ab Eurylocho deſertus: ibi inter eundum, aut currendum potius, ipſi obuiam fit Mercurius adoleſcentulo pubeſcenti ſimilis: hic eius temeritatem exprobrans et nubem periculorum demonſtrans, ei tandem promittit optatum euentum et praeſentiſſimum ſuum auxilium; hinc ipſum docet dolos et technas Circes, poſt, qui cum ea agendum, ſi ipſum velit virga contingere; demum ne recuſet inuitatus, illius torum conſcendere: Vt autem poſſit incolumis haurire poculum illud medicatum, vimque veneni eludere, plantam ei porrigit ex terra euulſam, flore lacteo ornatam, radice nigra praeditam, Moly diis dictam, effoſſu mortalibus perquam difficilem, ſed ad amoliendum imminens periculum, praeualidam ac potentem. Hoc dicto datoque diſceſſit Mercurius. Vliſſes ita inſtructus et munitus, Circaeum petit palatium, clamat et vocat; Circe audit, exit, compellat, inuitat, vt ante; ſequitur ille pede et corde dubio. Poſt ei in ſedili affabre facto

collocato

collocato illa miſturam parat, aureo poculo porrigit: Ille diuino munere fretus, bibit, ebibit, nihil mutatur; tangitur ferula, nihil mutatur, idem manet Vliſſes atque

pelliculam veterem retinet, et fronte politus
Aſtutam vapido ſeruat ſub pectore vulpem.

hinc Mercurii iuſſus memor, enſem vagina liberans, in Circen irruit eam quaſi perfoſſurus. Quid ad haec illa? miratur et ſtupet, clamat et plorat, ad genua magni herois aduoluitur, eaque prehendit, quaerit ex eo, vnde ſit gentium, vbi vrbs, vbi et qui parentes? tandem recordatur vaticinii cuiusdam Mercurii de Vliſſe verſuto ad ſe aliquando venturo. Eum ergo agnoſcens, precatur furorem ponat ac ferrum, et ſecum firmandae fidei ac amicitiae ergo, conſcendat thalamum. Hic diu reluctatus, magnum ab illa exigit ius iurandum, ne ſe velit nudatum reddere miſerum et effeminatum, nec aliud machinari malum: iuratur, lectus conſcenditur, quis neſcit cetera? Ita lite compoſita, triſtis ob ſociorum fatum Vliſſes Circen rogitat, vt eorum miſereatur, iisque priſtinam reſtituat formam. Illa adnuit, it, aperit haras, ſetigeros educit ſocios, vnicuique peculiare adfricat medicamen; mox ſequitur effectus huius aut beneficii dicam? aut veneficii: terra eleuati eriguntur, ſetae cadunt, redeunt humeri, quid multa? fiunt homines, agnoſcunt Vliſſem et flentem flentes complectuntur. Hoc facto Circe Vliſſi iniungit, vt ſocios accerſat in naue relictos. Ille paret, parent et illi, ſolus contradicit Eurylochus; ſed tandem minis et ſtricto Vliſſis gladio tractus ſequitur. Eunt omnes, ſocios recens natos a Circe comtos et vnctos inueniunt epulantes: ſe inuicem adſpiciunt, et recordantes malorum, gemunt et gaudent; tandem moerorem mero eluunt, et epulantur vna, ſicque per totum anni decurſum, poſt tot labores et errores cuticulam curant et laute viuunt. Haec breuis eſt Fabulae enarratio, prout ea apud Homerum legitur, *Lib.* nempe x. *Odyſſ. v.* 210. *ſqq.* vſque ad finem iſtius Libri. Iam praecipua illius momenta ſeorſim conſideremus.

§. I. Circe, cuius nomen vel ἀπὸ τοῦ κιρνᾶν τὰ φάρμακα, ἢ παρὰ τὴν κερκίδα, alii autem ἀπὸ τοῦ κίρκου deriuant, an ſolis, vt antiquorum putant plurimi, an vero Aeoli, vt Malala vult, aut alius, fuerit filia, parum refert ſcrupuloſius inquiſiuiſſe: Praeſertim quum id abunde iam

praeſti-

praestitum sit a Gyraldo, Natali comit. Munckero et aliis Mythographis, de quo infra. Videamus potius quid fuerit? saga vulgo creditur, eo forte nomine, quod vim vsumque herbarum interius nosset: Vid. huc cum aliis, AVGVSTIN. *Lib.* XVIII. *de Ciuit. Dei, capp.* 17. et 18. ibique LVD. VIVES, et LEON. *Coq. pag.* 589. *sqq. Tom.* II. sed vero videtur similius, eam *nobile* fuisse *scortum*. HERACLITVS, s. vt GALEVS vult ex PHOTIO, [a]) HERACLIDES ita: ἦν κίρκη ἑταίρα καὶ καταϰηλοῦσα τοὺς ξένους, τὸ πρῶτον ἀρεσκεία παντοδαπῇ ἐπεσπᾶτο πρὸς εὔνοιαν. κ. λ. accinit Horatius. [b])

Circes pocula nosti;
Quae si cum sociis stultus cupidusque bibisset (*Vlisses*)
Sub domina meretrice *fuisset turpis et excors etc.*

Inprimis vero huc pertinet sequens Seruii locus eximius, ad VIRGIL. *Aen.* VII. fere ab initio, *p.* 467. *Circe ideo solis fingitur filia, quia* clarissima meretrix *fuit; et nihil est sole clarius. Haec libidine sua, et blandimentis, homines in ferinam Vitam ab humana, deducebat, vt libidini et voluptatibus operam darent.* Haec ille: post quae modo laudatum Horatii locum opportune adducit. Conf. huc et maxime Scholiastes ad Aristophanis Plutum, Act. II. Scen. I. ibique etiam Gerardus, in Scholiis latinis, *pag.* 34. item Banieri non inelegantes coniecturae circa hanc ipsam *Circes Fabulam*. Quae vero hic fabulatur potius, quam fatur, Herm. ab Hardt, *de Vrbe Cirrha*, pro *Circe*, merum ingenii superabundantis Vlmiumque foecundi lusum, aut insomnium, redolere videntur. Taceo testimonia alia v. g. vetus epigramma graecum venustissimum, quod tamen infra allegabo: item Anonymum graecum, *de Vlixis Erroribus*, nuper a cl. COLVMBO denuo editum, *Cap.* V. Iam illud ex ipso HOMERO sum probaturus.

§. II. Haec Circe, haec inquam meretrix, primo vocatur ἐυπλόκαμος, item καλλιπλόκαμος, concinne comta, capillis lege compositis ornata. Nimirum *feminae minus custoditi pudoris*, vt magnus ait GROTIVS, *maximam comae impendunt curam*. Hinc CLEMENS

ALEXAN-

a) περὶ Ἀπίστου, ις'. b) *Epist.* II, 23. *Lib.* I.

ALEXANDRINVS c) περιπλοκὰς τῶν τριχῶν vocat ἑταιρικάς. Salax Philematium ita ſuam interrogat Scapham ſeu ornatricem, κοσμήτριαν, item ἐμπλέκτριαν, (ſic vocabantur ſeruulae illae, quae huiusmodi feminarum comam curabant atque criſpabant, qua de re multa notauit WOVWERIVS cum aliis apud BVRMANN. et POSTEL. ad HOMER. *Iunon. aſtut. p.* 209. *ſqq.* in animaduerſionibus ad PETRON. d) et nos adnotauimus, in *Obſ. Crit. Lib.* IV. *cap.* 15. *pag.* 398. *ſqq.*) apud PLAVTVM:

Suo quique loco viden capillus ſatis compoſitu'ſt commode? e)

et truculentus ASTRATILAX ita blanditur ASTAPHIO meretriculae apud eundem: f)

Iam ego iſtos fictos, compoſitos, criſpos, cincinnos Tuos
Vnguentarios vſque cerebro expellam.

Apud quem et alia huius commatis paſſim poſſunt legi.

§. III. Secundo dicitur αὐδήεσσα, item ἀείδουσα ὀπὶ καλῇ, clare et ſuauiter canens. Quum verum ſit iſtud Menandri: g)

πολλοῖς ὑπέκκαυμ' ἐστ' ἔρωτος μουσική.

vti expertus eſt (vt innumeros praetereamalios) maximus quondam imperator CAROLVS Vtus alioquin fere μισογύνης, cum BARBARA BLVMENBERGIA, atque *Dom. Philippo* princeps Tunenſis cum pulcella quadam Cithariſtria Hiſpana, teſte THEVENOTO; h) mirum non eſt, ſi meretrices rei muſicae maximam nauaſſe legimus operam. Habebant enim ludos fidicinos ſeu, vt GRVTERVS TAVBMANNVSQVE malunt, fidicinia, vbi fidibus, forte et tibiis atque ipſa voce canere docebantur, vt ex prologo *Rudentis Plautinae* i) liquet. Hinc Athenaeus τὰς ἑταίρας καὶ αὐλητρίδας quaſi συνωνύμως iungit, variasque recenſet impudicas eiusmodi puellas rei muſicae admodum peritas, quales LAMIA, BACCHIS, NANNO, SAPPHO, BROMIA etc. Sic idem narrat PARMENIONEM ALEXANDRI M. k) ducem

c) *Paedagog.* LIII. c. XI. adde *Cap.* III. *lib.* eiusd.
d) *p.* 473.
e) *Moſtellar. l.* III.
f) *Truculento* II, II.
g) *Theſauro.*
h) *Itiner. Or.* P. I. L. II. c. 83.
i) *Deip.* l. XIII.
k) l. c.

ducem cepiſſe ex Damaſco ab ipſo ſuperata, τὰς παλλακίδας μουσουργὺς τῦ βασιλέως (Δαρείυ) τριακοσίας εἰκοσιεννέα: ibi et plura in hanc rem leguntur, eſt enim liber ille ATHENAEI XIII. maximam fere partem commentarius de Vitis, quin potius vitiis et rebus actis meretricum. Sed apud LVCIANVM quoque multa, immo nimia huius rei occurſant teſtimonia, v. g. de LEAENA, ISMENODORA, MAGIDIO, CYMBALIO, PYRALLIDE, PARTHENIDE etc. et maxime de CHARICLEA, de qua multa in *Toxari;* de reliquis in Dialogis meretricum ſatis notis, item in libro de Amoribus. Ex AELIANO l) atque PLVTARCHO *) nota potiſſimum eſt GLAVCE PTOLEMAEI Philadelphi amica, bella puella Cithariſtria. Apud SALLVSTIVM **) SEMPRONIA proiecti pudoris femina pſallit et ſaltat elegantius, quam neceſſe erat probae. HIPPOCRATES, m) ſeu vt GALENVS mauult, POLYBVS, maximi illius Medici diſcipulus: γυναικὸς οἰκείης μουσοεργὸς ἦν πολύτιμος παρ' ἄνδρας φοιτέουσα. Et SIRACIDES n) Vir pietatis eximiae ita hortatur et iuuenes et viros: Μετὰ ψαλλούσης μὴ ἐνδελέχιζε, μήποτε ἁλῷς ἐν τοῖς ἐπιχειρήμασιν αὐτῆς, antea nempe meminerat τῆς γυναικὸς ἑταιριζομένης: quale et reperire eſt in prouerbiis ſapientiſſimi mortalium Regis. Et quis, vt finem tandem faciamus, Plautinas neſcit atque Terentianas virgines (ſi earum manes tantam ferant iniuriam) pſaltrias vt plurimum et cithariſtrias? paene et addidiſſem *Operiſtrias* noſtras: Sed nolo violare caſtas ipſarum animas, multo minus caſtiora corpora.

§. IV. Tandem quoque CIRCE adpellatur μέγαν ἱστὸν ἐποιχομένη, magnam telam contexens ſeu percurrens *pectine* ſcil. vt habet VIRGILIVS. o) Hoc quamuis vel proprie poſſit intelligi, vt de HELENA p) narrat poëta alibi:

ἡ δὲ μέγαν ἱστὸν ὕφαινε,
Δίπλακα μαρμαρέην.

et paſſim de aliis feminis v. g. ANDROMACHE q) etc. vt et notat EVSTACHIVS: credo tamen HOMERVM ad technas potius atque illece-

bras

l) *Hiſt. An.* V, XXIX, et VIII, XI.
*) *Lib. de Solert. Animal.*
**) *Bell. Cat.* c. XXV.
m) περὶ φύσιος παιδίυ·
n) c. IX.
o) *Aen.* VII.
p) Il. Γ.
q) Il. Γ.

bras meretricum (ſolet enim ſaepe dicere δόλους ὑφαίνειν, vt Il. Z, *Od.* I. item Od. E. et alibi, allegoria a textura deſumta) reſpexiſſe, quibus capiunt et *illaqueant* incautos ſecuroſque viros. Quomodo et AESCHYLVS dixit in CHOEPH. 218. et alibi, δόλον πλέκειν, et EVRIPIDES in HIPPOLYTO, et paſſim alibi. NONNVS quoque, *Lib.* I. DIONYS. *p.* 14. et ſaepius in ſeqq. ad ipſius HOMERI imitationem, pro ſolito more, dixit δόλον ὕφαινε. Has enim ſub *retium* et *laqueorum* ſchemate depingi, iam probabo. Dicaeogenes, apud STOBAEVM, *Serm.* LXII. *p.* 398.

ὅταν δ᾽ ἔρωτος ἐνδεθῶμεν ἄρκυσι

ARIPHRON SICYONIVS dixit, κρυφίοις ἀφροδίτης ἄρκυσι, apud Athen. *Lib.* XV.

LVCIANVS [r]) de adoleſcentibus meretricum machinis circumuentis haec inter alia, quae exſcribere nolui: ἄχρις ἂν λάθωσιν εἰς τὰ δίκτυα ἐμπεσόντες. SIRACIDES [s]) loco ſupra allegato: μὴ ὑπάντα γυναικὶ ἑταιριζομένῃ, μήποτε ἐμπέσῃς εἰς τὰς παγίδας αὐτῆς, quocum conferas quae SALOMO [t]) in *prouerbiis* et alibi, de quo vid. BOCHART. *Chan. Lib.* I. *cap.* 18. *pag.* 445. OVIDIVS, apud quem multae huiusmodi phraſes:

Dum cadit in laqueos captus *quoque nuper amator.*

LENA [u]) apud PLAVTVM:

Hic noſter quaeſtus aucupii *ſimillimu'ſt*, [x])

vbi et alia huc quidem facientia, ſed caſtis auribus indigna, hincque hoc loco omiſſa. Inde et phraſes apud Graecos: Θηρεύεσθαι, ἔρωτι ἐμπλέκεσθαι, ἔρωτι συνδεῖσθαι, πόθῳ ἐνδεῖσθαι, vt apud MVSAEVM, ἑλέσθαι, δουλοῦσθαι, vt apud MENANDRVM, ἐπισπᾶσθαι, vt apud HERACLITVM, plura vide apud POLLVCEM in *Onomaſtico*: Apud Latinos: [y]) *Teneri*, *capi*, *amore implicari*, *irretiri* et ſimilia. ANACREON in *ſomnio*; (vbi Cupido ipſum perſequitur pedes plumbo grauatus, et nihilo tamen minus adſequitur et capit)

F 2 Δοκέω

r) Toxar. s) C. IX.
t) C. VII.
u) A. A. I, III. x) *Aſinar.* I, III.
y) l. III, c. VII, *od.* XLIV.

Δοκέω δ' ἔγωγε πολλοῖς
Ἐν Ἔρωσί με πλακέντα
Διολισθάνειν ἐν ἄλλοις,
Ἑνὶ τῷδε συνδεθῆναι.

THEANO in *Epiſtola* ad NICOSTRATAM ζηλοτυπᾶσαν: Θηρεύονται (ſc. ἄνδρες) ὑπὸ τῶν γυναικῶν τέτων (meretrices intelligit, vt ex antea dictis patet) καὶ κατέχονται, καὶ ἐκ ἔχεσι νᾶν; in quem etiam ſenſum MELISSA in *Epiſtola ad* CLEARETAM dixit θήραν ἑταίρων et LVCIANVS ἄγραν; apud quem et alibi ita exclamat CHARMIDES PHILEMATIVM [z]) efflictim amans: καὶ ἑάλωκα ὁ κακοδαίμων, καὶ συνείλημμαι πρὸς αὐτῆς, et de DINIA adoleſcente idem inquit LVCIANVS: ἁλώσεσθαι ἔμελλεν ὑπὸ γυναικὸς καλῆς, et de Calliſthene, amore pariter ſaucio, ACHILLES TAT. *Lib.* II. *Erot. p.* 101. ἦν ἑαλωκὼς ἐκ τῆς θέας. Verbum autem θηρεύεσθαι, de eadem re, adhibet idem LVCIANVS, de Domo, *p.* 454. et alibi ſaepe; praeſertim in Dialog. Meretricum. Bonus SIMON de PAMPHILO ita apud TERENTIVM: [a])

Certe *captus* eſt.

LYSITELES adoleſcens apud PLAVTVM: [b])

Nunquam
Amor quemquam, niſi cupidum hominem, poſtulat ſe in plagas
Coniicere:

Adde quae DINARCHVS [c]) itidem adoleſcens amore irretitus conqueſtus eſt penes eundem: ſed ſatis! alia taceo, quae creberrime apud Comicos, et OVIDIVM cum ceteris amorum triumuiris occurrunt, eiusmodi loquendi genera. Hinc autem CIRCE nomen eſt ſortita, puta παρὰ τὴν κερκίδα a pectione quaſi ſeu radio textorio, vt in limine huius Exercitationis me monere memini.

§. V. Sed ex veſtitu etiam, qui CIRCAE adſcribitur ab OVIDIO (nam HOMERVS de eo plane tacet) haud obſcure adparebit,

CIR-

z) *Dial. Mer.* p. 543.
a) *Andr.* I, I.
b) *Trinummo* II, I.
c) *Truculento* I, I.

CIRCEN fuisse impudicam feminam. Ita autem ingeniosissimus, vt cum SENECA loquar, poëta, tractans Circaeam fabulam, inter alia

pallamque induta nitentem d)
Insuper aurato circumuelatur amictu.

Primo de *palla nitente.* Haec tenuis et subtilis erat tunica seu velamen quoddam, rubicunduli coloris, per quod partes corporis velandae transparebant; vestitus leuis, leuibus feminis proprius. e) Apuleius illud vocat *tenue pallium bombycinum,* Martialis, *purpuram delicatam:* PETRONIVS, *cap.* 55. *Ventum textilem* et *nebulam lineam*, elegantissime, vbi vid. Interpp. apud BVRMANN. MENANDER διαφανὲς χιτώνιον, quomodo et ARISTOPHANES f) dixit, cuius videndus est scholiastes: LVCIANO est λεπτοϋφὴς ἐς πρόφασιν ἐσθὴς, et EVSTATHIO, de *Amore Ismen. L.* II. *p.* 346. ἀραχνώδης χιτών; MELISSA supra iam laudata habet διαυγῆ καὶ διαπόρφυρον ἐσθᾶτα: LVCIANVS *) alibi tale appellat Ταραντινίδιον, quod ita παραφράζει SVIDAS, g qui Ταῤῥαντινίδιον scripsit, λεπτὸν καὶ διαφανὲς ἱμάτιον, ȣ πάντως πορφυρȣ̃ν, cui addas POLLVCEM, qui et Ταραντινίδιον scribit. De quo plura vid. apud RIGALT. ad *Onosandr. Strateg. pag.* 40. *sqq.* BERGLER. ad *Alciphr. p.* 160. MERCER. ad ARISTAEN. *p.* 259. PRICAE. ad APVL. *Met.* X. *p.* 645. SALMAS. ad TERTVLLIANI *pall. p.* 182. *sqq.* TAVBMANN. ad PLAVTI *Epidic. p.* 496. FRONT. DVCAE. ad BASIL. M. *p.* 93. BOVRDEL. ad *Lucian. Rhet. Praecept. p.* 317. *T.* II. et ad *Petron. Not. Var.* ad *Plin.* XI, 23. *p.* 764. POSTEL. ad *Homeri Iunon. astut. p.* 219. *sqq.* Interpretes ad POLLVC. pluresque alios: Conf. et, si placet, *poem. nostr. Tom.* III. *p.* 264. et *Tom.* IV. *pag.* 339. in *Notis.* Omnium autem optime et perspicue Anacreon in icone suae amicae, vbi ita adfatur pictorem: h)

Στόλισον τὸ λοιπὸν αὐτὴν
Ὑποπορφύροισι πέπλοις
Διαφαινέτω δὲ σαρκῶν
Ὀλίγον τὸ σῶμ᾽ ἐλέγχον.

F 3 vbi

d) *Met.* I. XIV.
e) *Met.* l. X.
f) *Lysistrata.* I.
*) *Amor.*
g) *Dial. Mer.* et praecipue in *praecept. Rhet. pag.* 317.
h) *Od.* XXVIII.

vbi priora verba ſcitiſſime, vt adſolet, ita vertit BAXTERVS:

TV veſtito deinceps illam
ſubpurpureis pallis:

Haec de *palla nitida* ſeu *nitente*, a qua ipſam CIRCEN ab HORATIO, *Od.* 17. *Lib.* I. et STATIO, *Silu.* 3. *Lib.* I. *Vitream*, vocatam fuiſſe, cum nonnullis interpretibus, cenſet TVRNEBVS, *Lib.* VIII. Aduerſar. c. 15. ita ſcribens: *Circe* Vitrea *fuit nuncupata, quod meretricio ornaretur indumento*, coniectura ſane non inelegante: etſi alios in alia opinione eſſe, me non fugit: vid. CERDE ad VIRG. IV. GEORG. *pag.* 530. et HORATII Interpretes, de quibus tamen plura dicendi, hic non eſt locus. Supereſt adhuc *auratus amictus*, qui explicatu admodum facilis et ſaepius quoque memoratur LVCIANO locis ſupra allegatis, auctoribusque aliis. Hinc videamus potius, an coniunctim ſcortis tribuatur amictus hicce *palla* ſcilicet *nitens* et *aurata veſtis.* Ita omnino eſt; teſtatur tale MELISSA in Epiſtola, quam ad CLEARETAM piam et caſtam ſcripſit feminam, ſuperius iam citata, in qua monet, quae modeſtam decent feminam, vbi et de veſtitu modeſto et ſimplici, interque illa haec: παραιτητέον αυτὰν τὰν διαυγῆ καὶ διαμόρφυρον (ſcil. ἐσθᾶτα) καὶ τὰ χρυσόπαςα τῶν ἐνδυμάτων. ταῖς ἑταίραις γὰρ τάδε χρήσιμα ποττὰν τῶν πλειόνων θήραν, κ. λ. Simillimus plane locus eximius, de hoc magnifico immundarum meretricum mundo, occurrit apud LVCIANVM, de *Domo*, *p.* 454. *Tom.* II. item apud CLEMENTEM *Alex. Lib.* II. *Paedagog. cap.* 10. et *ſqq.* vt et DIODORVM SIC. *Lib.* XII. *pag.* 299. *Edit. Steph.* vbi de ZALEVCI hanc in rem lege, quibus add. ARTEMIDOR. ATHEN. IO. CHRYSOST. BASIL. M. TERTVLLIAN. et alios, praeſertim ALMELOVEEN. *Antiquit. e ſacris profanar. ſpecim. pag.* 44. et interpretes, ad I. TIM. II, 9. et ad I. PETR. III, 3. et noſtra quoque ibi notata. Immo, magna illa Babylonica meretrix ita deſcribitur in S. *Apocalypſi:* [i]) ἡ γυνὴ ἦν περιβεβλημένη πορφύρα καὶ κοκκίνῳ (quidam Codd. legunt πορφύραν καὶ κόκκινον quod magis graecum) καὶ κεχρυσωμένη χρυσῷ. κ. τ. λ.

§. VI.

i) c. XVII.

§. VI. De magnis CIRCES opibus atque ingenti auri argentique vi, iam paucis quoque differendum. Primo HOMERVS laudat ipſius τετυγμένα δώματα καλά domum affabre factam: ne ſcilicet aliquis crederet, tam foedam vita *Lib.* XII. *pag.* 521. PLVTARCH. *praecept. coniug. pag.* 141. STOBAEI *Serm.* 72. *pag.* 444. *ſqq.* feminam in tam nitida domo in tam ſplendido palatio deliteſcere. Deinde pergit et ſeorſim recenſet ipſius τραπέζας ἀργυρέας, menſas argenteas, χρύσεια κάνεια, aureas patellas, χρύσεια κύπελλα, aurea pocula, πρόχοον χρυσείην guttum aureum, λέβητα ἀργύρεον, lebetem argenteum, vt taceam cetera. Sed vnde omnes illae ſplendidae diuitiae? vnde tanta pretioſi metalli copia? fortaſſe, vt quidem credibile eſt, ex immenſo corporis quaeſtu, reſpondendum, ſolebant enim meretrices ſuos amatores immane quantum argento emungere, quod ſcite expreſſit DINARCHVS k) in Truculento Plautina:

Priusquam vnum dederis, centum, quae poſcat, parat,
Aut aurum periit, aut conſciſſa pallula eſt,
Aut emta ancilla, aut aliquod vaſum argenteum,
Aut vaſum aheneum aliquod, aut lectus dapſilis
Aut armariola Graeca, aut aliquid ſemper eſt,
Quod pereat, debeatque amans ſcorto ſuo.

Conf. huc HORATII *Epiſt.* XVII, *Lib.* I. *v.* 55. *ſqq.* vbi ſimile fere legitur. Talis erat maxime LAIS illa Corinthia, de qua SOTION apud GELLIVM l) (non Agellium) in hunc modum: *Ob elegantiam venuſtatemque, grandem pecuniam demerebat,* et poſt: *neque admittebatur, niſi qui dabat, quod popoſcerat. Poſcebat autem illa nimium quantum,* quale contigit DEMOSTHENI, a quo pro ſui copia μυρίας δραχμὰς ἢ τάλαντον popoſcerat, vt et ibidem legitur. De eadem ita EPICRATES apud ATHENAEVM: m)

Αὐτὴ γὰρ ὁπόποτ' ἦν νεοττὸς καὶ νέα,
ὑπὸ τῶν στατήρων ἀπηγριωμένη,
εἶδες ἂν αὐτῆς φαρνάβαζον θᾶττον ἄν.

Et

k) Act. I. Sc. I. l) N. A. l. VIII. m) Deinopſ. l. XIII.

Et de PHRYNE Thefpica CALLISTRATVS narrat apud Eundem, eam vsque adeo fuiffe diuitem, vt pollicita fit, fe diruta Thebarum moenia extructuram, fi adfcriberetur ALEXANDRVM diruiffe, PHRYNEM vero fcortum refeciffe. Taceo quae de LYRA narrat CROBYLE, n) apud LVCIANVM faepius iam allegatum. Verum non exigebant folum tantam pecuniae fummam; fed et faepe vi et per furtum, illam auferebant. ALEXIS ISOSTASIO, vbi de ἑταιρικῇ παρασκευῇ, apud ATHENAEVM: o)

πρῶτον μὲν τὸ κέρδος καὶ τὸ συλᾶν τοὺς πέλας,
Ῥάπτουσι δὲ πᾶσιν ἐπιβουλὰς κ. λ.

Apud eundem HERODICVS narrat PHRYNEN quandam rhetoribus vocatam fuiffe σηστόν, διὰ τὸ ἀποσήθειν καὶ ἀποδύειν τοὺς συνόντας αὐτῇ. PHILO IVDAEVS p) de Meretricibus loquens: φιλοῦσι οὐκ ἐκείνους (ἐραστὰς) ἀλλ' ἑαυτάς, καὶ τοῖς καθ' ἑκάστην ἡμέραν λήμμασιν ἐπικεχήνασι. vid. et HERACLITVM περὶ ἀπίστων §. η. SYRA pefsima anus ita inftruit iuuenculam PHILOTIVM, apud TERENTIVM:

Te feduio q)
Et moneo, et hortor, ne cuiusquam mifereat,
Quin fpolies, mutiles, laceres, quemquem nacta fis.

Et ASTAPHIVM r) ancillula ita loquitur Truculento Plautina:

meretricem effe fimilem fentis condecet,
Quemquam hominem attigerit, profecto aut malum aut damnum dari.

Atque hoc et CIRCEN feciffe ex eo, nifallor, liquet, quod VLISSES, vt fupra iam in praefamine dixi, eam iurare iufferit, ne ipfum redderet γυμνωθέντα feu ἀπογυμνωθέντα, nudatum et denudatum: immo graecum Epigramma fini huius fchediafmatis adtexendum illud et manifefte edocet.

§. VII. Hoc autem eo facilius poterant efficere, quum rei medicae plerumque peritae fcirent medicata ex herbis conficere pocula, philtra vocata, quibus amatores adeo infano amoris agitabantur ftimulo,

n) Dial. Meret.
o) l. XIII.
p) lib. de Plantatione Noe. pag. 178.
q) Hecyr. I, I.
r) II, I.

mulo, vt ſeſe ex retibus harum ſanguiſugarum expedire non poſſent, ſed effeminati mallent in tam ſpurca captiuitate durare. Talis erat AGAMEDE, s) ſ. vt THEOCRITVS ſcribit, PERIMEDE MVLII filia natu maxima, (non autem ipſius vxor, vt perperam ſcripſit DAN. CLERICVS, *Hiſt. Med. Part.* I. *cap.* 21. *pag.* 66.) quae ſecundum HOMERVM noſtrum:

τόσα φάρμακα ᾔδη, ὅσα τρέφει εὐρεῖα χθών, t)

Talis erat MEDEA, noſtrae CIRCES ſoror, vt DIODORO SIC. et aliis viſum, cuius artes ſatis notae ſunt ex EVRIPIDE atque OVIDIO; item HECATE, ipſius CIRCES mater, teſte DIODORO SIC. *Lib.* IV. *p.* 288. quanquam alii aliter, de quo vid. GYRALD. et NATALEM COMITEM, aliosque. Talis et SIMAETHA THEOCRITI, u) et CANIDIA HORATII, quae tantum fidit ſuae arti apud eundem poëtam:

Maius parabo, maius infundam tibi
Faſtidienti poculum,
Priusque coelum ſidet inferius mari,
Tellure porrecta ſuper;
Quam non amore ſic meo flagres, vti
Bitumen atris ignibus.

Omnium autem maxime talis φαρμάκων ἀφροδισίων perita fuit CIRCE: HOMERVS de iſta ita:

ἀνέμισγε δὲ σίτῳ
φάρμακα λυγρ', ἵνα πάγχυ λαθοίατο πατρίδος αἴης.

Clarius NASO de CIRCES Nymphis: x)

Gramina diſponunt: ſparſosque ſine ordine flores
Secernunt calathis, variasque coloribus herbas,

Iam de CIRCE:

Ipſa, quod hae faciunt, opus exigit: ipſa quis vſus
Quoque ſit in folio, quae ſit concordia miſtis
Nouit: et aduertens penſas examinat herbas.

et

s) Pharmaceutria. vid. σχολ. t) Il. λ. 740. u) Epod. V. x) Met. XIV.

et hoc eſt, quod eam HOMERVS vocet πολυφάρμακον. quaſi dicas *experientiſſimam*. Quod ipſum luculentiſſime praeſertim confirmat ſequens eximius plane locus DIODORI SICVLI, *Lib.* IV. *pag.* 289. *Tom.* I. *Edit. Weſſel.* Τὴν κίρκην εἰς φαρμάκων παντοδαπῶν ἐπίνοιαν ἐκτραπεῖσαν, ἐξευρεῖν ῥιζῶν παντοίας φύσεις καὶ δυνάμεις ἀπιςουμένας· οὐκ ὀλίγα μὲν γὰρ ὑπὸ τῆς μητρὸς ἑκάτης διδαχθῆναι, πολὺ δὲ πλείω διὰ τῆς ἰδίας ἐπιμελείας ἐξευροῦσαν, μηδεμίαν ὑπερβολὴν ἀπολιπεῖν ἑτέρᾳ πρὸς ἐπίνοιαν φαρμακείας. CIRCE *ad Medicamentorum omnis generis ſolertiam conuerſa, mirabiles variarum radicum naturas et vires incredibiles adinuenit. Non pauca enim ex Matris diſciplina hauſerat,* HECATES *nempe; ſed multo plura ſuo ingenio, et ſtudio ipſa eruit, ita, vt nihil cuiquam ad excellentiam artis medicamentariae faceret reliquum.* Inde et a VIRGILIO *Lib.* VII. *Aen.* CIRCE ipſa vocatur *dea ſaeua potentibus herbis,* vbi vid. interpretes, de quo loco mox hic in ſequentibus. Conf. et LVCIANI *Lib.* I. *Hiſt. Ver. pag.* 641. *Tom.* I. Vid. et huc inprimis WEDELIVM, in *Exercitat. priore, de Moly Homeri, in genere, p.* 5. *ſqq.*

§. VIII. Quae autem iſtae fuerint herbae, quas CIRCE adhibuit ad illaqueandos aduenas atque tam inſano ſtimulandos amore, vt in ſordidas quaſi et ignauas ſues conuerſi (vt infra audiemus) patriae adeo obliuiſcerentur; de eo nil certi promittimus. Variae enim ſunt in Regno ſic dicto vegetabili plantae, quibus tanta adſcribitur vis. Olim notae potiſſimum erant herbae

quas Iolcos atque Iberia
Mittit, venenorum ferax

vt apud HORATIVM y) eſt, vnde *Theſſala philtra* apud IVVENALEM; item PROPERT. *Eleg.* V. *Lib.* I. et maxime LVCAN. *Lib.* VI. *pharſal.* maxime quoque celebratum eſt Hippomanes planta Arcadica, de quo plura vid. apud CERDAM ad VIRG. *Aen.* IV. *p.* 458. *ſqq.* SALMAS. *Exercit. Plin.* MENZ. *Diſſ. de Herbis Magic.* §. V. in Not. aliosque plures; praeſertim vero PET. BAYLII ſingularem *de Hippomane*, Diſſertationem ipſius Dictionario Hiſt. Crit. in fine adiectam. OVIDIVS z) coniunctim quasdam recenſet:

Sunt,

y) Epod. V. Sat. VI. z) A. A. II.

Sunt, qui praecipiant herbas ſaturea nocentes
Sumere: iudiciis iſta venena meis,
Aut piper vrticae mordacis ſemine miſcent,
Tritaque in annoſo flaua pyretra mero.

Quibus addendum in primis Satyrion, de quo HESYCHIVS: πόα τις συνεργὸς πρὸς τὰς ἀφροδισίας ὁρμάς; Caelius Aurelianus: a) *Satyrion accipientes in venerem prouocantur etc.* DIOSCORIDES b) de eadem planta: φασὶ αὐτὴν καὶ ὁρμὴν κινεῖν τὴν ἐπὶ συνουσία adde APVLEIVM Medicum, PLINIVM et quae viri docti apud BVRMANNVM, notant ad illa PETRONII: *Omnes mihi videbantur Satyrion bibiſſe.* Sed nec mandragora hic praetermittenda, quae ſicut ex ARISTOTELE, LVCIANO, POLYAENO, vt Botanographos ſileam, inter τὰ ὑπνωτικά; ita quoque a THEOPHRASTO, *Lib.* IX. *Hiſt. plant. cap.* 10. et aliis refertur inter τὰ ἐρωτικά: et videtur vero perquam ſimile illam philtri Circaei compoſitionem fuiſſe ingreſſam; nam, vt veteres notant, a quibusdam vocata fuit *Circaea*, a CIRCE puta vid. LANGII *Epiſt. med.* 72. *Lib.* I. *pag.* 396. (PLINIVS c) ſcribit Circeium; ſed corrigit PINTIANVS ſcribens Circaeam cum diphthongo, vt ait, ſequutus DIOSCORIDEM; d) ſciat autem, vtrumque eſſe rectum, nam et GALENVS ſcribit κιρκέαν, licet ſcriptio per diphthongum paullo ſit frequentior) cauſſam ita addit DIOSCORIDES: e) δοκεῖ ἡ ῥίζα τῆς κιρκαίας (Μανδραγόρου) φίλτρων εἶναι ποιητική. Ceterum alias eiusmodi herbas aphrodiſiacas plures collegit laudatus modo MENZIVS, doctor olim noſter et amicus intimus, in ſuperius allegata erudita Diſſertatione, *de plantis magicis*, §. III. vt vid. *Notas:* Conſulendi hic etiam ſunt Medici ac Botanici, qui de philtris ac venenis copioſe commentati ſunt, quos diligenter ſupra indicauimus, *Exercitat.* XIII. *de planta venenata copiis Antonianis exitiali.* Ceterum vero de Variis plantis ab ipſa hac CIRCE denominatis, vid. laudatum modo WEDELIVM, *pag.* 6. citatae ſupra Exercitationis, *de Moly Homeri, in gene-*

a) Acut. Morb. I. III. c. XVIII.
b) L. III. c. CXLIII. adde cap. ſeq. vbi ſimile de Satyrio erythronio.
c) L. XXV, c. XIII.
d) l. VII. de Simpl. Rem. facult.
e) L. IV, c. LXX. VI.

re, item DAN. CLERICI *Hist. Med. part.* I. *cap.* 21. *pag.* 65. SALMAS. POSTEL. et alios. An vero דודאים (vt eorum hic fiat mentio) a RVBEN [f]) reperti et RACHAELE adeo adpetiti, vt pro iis LEAE sorori maritum cederet in vnius noctis vsum, fuerint mandragorae s. ut LXX. reddunt, *μῆλα μανδραγορῶν*, iam non disputo, negat illud IOBVS LVDOLFVS [g]) *Tractatu de locustis*: item et in ipso Histor. Aethiop. opere: vbi de suaueolenti *Muza* explicat: CODVRCVS vero, de *Tuberibus*, quem tamen rursus refellit SAM. BOCHART. Exercit. de *Dudaim*, adiecta Geographiae *Sacr. p.* 688. *sqq.* negat et IO. BODAEVS A STAPEL [h]) *ad* THEOPHRASTVM, negant et alii: inprimis HILLERVS, in *Hierophyt. part.* I, *c.* 27. *pag.* 262. *sqq.* vbi ipsi, *pag.* 268. *sqq.* Dudaim *cerasa* esse videntur. CELSIVS contra, in *Hierobotan. part.* V. *init.* reiectis pariter vulgo receptis illis Mandragoris, et aliis commentis, *pag.* 20. *sqq.* Loti Cyrenaicae *Sidra* dictae, fructum suauissimum, *Nabic*, seu *Nabeca*, appellatum, hic intelligendum censet, qui hinc maxime videri debet: ALMELOVEEN vero *Orchidem* mauult, *Antiq. sacr.* I. 84. sed adfirmat contra LEVINVS LEMNIVS, [i]) sed adfirmat IO. LANGIVS, aliique adfirmant: praesertim VRSINVS, in *Arboret. Bibl. Tom.* II. *Lib.* II. *cap.* 3. *pag.* 137. *sqq.* et DOVGTAEVS *Analect. Sac. part.* I. *p.* 34. *sq.* Forte fuerunt, forte non fuerunt; parum refert. Ceterum, vt in viam redeam, non nego, poculum hoc Circaeum posse quoque sumi ἀλληγορικῶς. Ita enim dixit THEOPHYLACTVS: *μεθύειν τῶν ἐρωτικῶν ἡδονῶν*, et apud ACHILL. TAT. *Lib.* I. *Erot. p.* 21. CLITOPHON est *μεθύων ἔρωτι*, sed plura id genus vid. apud MVRET. *Var. Lect. L.* V, *c.* 16. RITTERSHVS. *ad oppian. pag.* 82. 309 et 334. MORVM, *ad Nou. Test.* et praecipue GATAKER. *Tom.* I. *opp. pag.* 460. fuse admodum et copiose; et SYMMACHVS: *multae luxuriae ebrius.* Luculentius PLAVTVS: [k])

Si

f) Gen. XXX, 14. g) P. II. c. 72, 2. i) Ep. Med. I. II.
h) H. P. I. VI, c. II. Herb. Bib. Exp. k) Truculento, I, I.
c. II.

Si semel *amoris poculum accepit mere*
Eaque intra pectus se penetrauit potio,
Extemplo et ipsus (amator) *periit, et res et fides.*

Quin et Babylonica illa meretrix habebat χρυσοῦν ποτήριον ἐν τῇ χειρὶ αὐτῆς γέμον βδελυγμάτων καὶ ἀκαθάρτητος πορνείας αὐτῆς, vt est in *S. Apocalypsi* loco supra allegato. Ita et κρατῆρα ἔρωτος dixit PLVTARCH. de Garrulit. *p.* 505. et κρατῆρα ἡδονῆς, DIO CHRYSOST. *Orat.* XXX. *pag.* 307. vbi plura, quae huc spectant.

§. IX. Sicque me probauisse puto, CIRCEN parasse pocula amatoria: an ea adhibuerit, quaerendum non est, patet enim illud ex tristi sociorum VLISSIS fato, vt infra dicetur; patet ex leonibus et lupis CIRCES arte et medicaminibus, vt expresse docet HOMERVS, mansuefactis, de quibus in hoc §. patet demum ex iuramento, quod ab illa extorquet Vlisses, ne ipsum velit facere ἀνήνορα, imbellem, mollem, effeminatum. Inde et LVCIANVS, *Lib.* I. *de Vera Hist. pag.* 641. *Tom.* I. vbi huius ipsius fabulae CIRCES et VLYSSIS meminit, opportune simul commemorat τὰς ὑπὸ φαρμάκων τῶν ἑταίρων μεταβολάς. Has vero ipsas μεταβολάς, seu μεταμορφώσεις sociorum Vlyssis, non tam pharmacis, aut philtris, quam potius delicatis carnibus suillis, nimis auide copioseque ingestis et appetitis, tribuit Socrates, apud XENOPHONTEM, *Lib.* I. *Memorabil. Socr. cap.* 3. *pag.* 39. *Vol.* IV. Οἴεσθαι δ' ἔφη, ἐπισκώπτων, καὶ τὴν Κίρκην ὗς ποιεῖν, τοιούτοις πολλοῖς δειπνίζουσαν. Τὸν δὲ Ὀδυσσέα Ἑρμοῦ τε ὑποθημοσύνῃ, καὶ αὐτὸν ἐγκρατῆ ὄντα, καὶ ἀποσχόμενον, τὸ ὑπὲρ τὸν καιρὸν τῶν τοιούτων ἅπτεσθαι, διὰ ταῦτα οὐδὲ γενέσθαι ὗν. *Arbitrari autem se, iocose dicebat Socrates, Circem ex hominibus fecisse sues, quod multis talibus eos in coenis exciperet: Vlyssem vero, partim Mercurii monitu, partim, quod ipse temperans esset, seque cohibere posset, quo minus intempestiue huiusmodi attingeret, id circo non factum fuisse suem.* Sed haec Socratis opinio, aut explicatio et allusio aegre in omnibus procedit, aut commoda et apposita est. Non enim solum in sues, sed etiam in leones, vrsos, lupos, aliasque feras eiusmodi bestias, mutatos fuisse Vlyssis socios, narrabat supra Homerus, et mox hic narrabit Virgilius. Inde igitur nunc se-

queretur etiam horum animalium ferociſſimorum et epulis humanis alias haud aptorum, carnibus paſtos fuiſſe eosdem miſeros Vlyſſis ſodales; quod tamen, ceu ab ipſa conſuetudine, imo et ratione, alienum, nemo, ſpero, facile crediderit. Merus ergo ſubitus et facetus Socratis fuit iocus, ipſi inter epulandum, iucunde ſubnatus: Inde et recte addit Xenophon ipſe, ἐπισκώπτων, et in fine περὶ τούτων ἔπαιζεν, ἅμα σπουδάζων. Haec obiter. Sed de feris iam circa Circaeam domum errantibus. HOMERVS leones narrat atque lupos CIRCES herbis omni priſtina priuatos feritate. MANTVANVS MARO plures addit, ſed adhuc truces atque indomitas, horreſco fere, referens:

Hinc exaudiri gemitus iraeque leonum [l])
Vincla recuſantum et ſera ſub nocte rudentum:
Saetigerique ſues, atque in praeſepibus vrſi
Saeuire, ac formae magnorum vlulare luporum:
Quos hominum ex facie dea ſaeua potentibus herbis
Induerat Circe in voltus ac terga ferarum.

Sed eum parum hic moramur; recenſet enim hanc CIRCES fabulam non ea, qua debet et alioqui ſolet, ἀκριβείᾳ et tribuit CIRCAE, quae CALYPSONI ſorori potius: tale eſt de *odorata Cedro*, quam vſſiſſe CIRCEN falſo adſerit, vt iam notauit PINTIANVS [m]) hinc HOMERVM rectius ſequimur. Sunt autem illi leones ac lupi manſuefacti *heroes, tyranni, potentes et ſaeui homines*, nihilo tamen minus CIRCES et verbis et herbis effeminati ac domiti. De qua foeda Metamorphoſi legi omnino meretur Dionis CHRYSOSTOMI *Orat.* VIII. *p.* 134. *ſqq.* et *Or.* LXXVIII. *pag.* 660. item BOETH. *Lib.* IV. *de Conſol. philoſ. Met.* 3. *pag.* 89. vbi vid. SITZMANNI *Not. pag.* 250. et 251. add. SALVIAN *Lib.* V. *de Gubernat. Dei, pag.* 182. ibique RITTERSHVS. *pag.* 173. et Anonym. *de Erroribus Vlixis, Cap.* V. *pag.* 26. *ſqq.* et ibi COLVMB. *pag.* 108. *ſqq.* Tales enim ſub eiusmodi ferarum iconiſmo deſcribi, ille non neſcit, qui HOMERVM legit, vt et GALENVS [n]) teſtatur,

l) Aen. VII.
m) ad Plin. l. XIII, c. XVI.
n) L. III. de dogmat. Hippocr. et Platon.

testatur, quique non ignorat eius imitatores TRYPHIODORVM, COINTVM SMYRNAEVM, VIRGILIVMQVE: immo ipsa S. Scriptura hoc Schema non respuit, vt ex Iobo constat, ex *Psalmis, Prophetis, Apocalypsi* etc. sic NERO S. PAVLLO o) dicitur λέων, vt alia mittam. Videndus maxime de hac re maximus GROTIVS p) in commentario. Sed o quantus est eiusmodi leonum et luporum numerus a luparum technis atque illecebris captorum et subactorum! copia linguam fere praecidit, omnes fere annales clamant. Quis SAMSONEM nescit illum leonem et leonis victorem? quis ALEXANDRVM MAGNVM? quis MARCVM ANTONIVM? quis NERONEM de quo iam supra, crudelissimum tyrannum? de eo enim ita OCTAVIA apud Tragoedum:

vincam saeuos q)
Ante leones, tigresque truces,
Fera quam saeui corda tyranni.

Et quis tandem HERCVLIS non recordetur herois celebratissimi, viri laborum, aerumnarum, periculorum patientissimi et tamen post ab OMPHALE ita effeminati et corrupti, vt et feminea abiectaque obiret munia. Nam

posuit pharetram, r)
Et minax vasti spolium leonis;
Passus aptari digitis Smaragdos,
Et dari legem rudibus capillis,
Crura distincto religauit auro,
Luteo plantas cohibente socco:
Et manu, clauam modo qua gerebat,
Fila deduxit properante fuso.

Simillimam vero, imo luculentiorem adhuc descriptionem, siue picturam eiusdem HERCVLIS foeda libidine subacti et seruire coacti, vid. apud eundem Tragicum, in *Hercule Furente.* Ceterum vero omnes illos heroas superius commemoratos, per philtra fuisse corruptos, et in

o) II Tim. IV, 17. ad Luc. XIII, 32.
p) et Apoc. XVII, II.
q) Octauia.
r) Seneca Hippolyto.

in vesanos amores praecipitatos, putabat LINDERVS *Tract. de Venenis, Cap.* VIII. *pag.* 171. Sed nescio, quam bene, aut recte? Per hanc igitur transformationem αἰνίττεται τὴν τρυφὴν παντὸς ἤθους ἀγρίου μαλθακικὴν εἶναι, vt loquitur EVSTATHIVS. Conf. huc IVRETI *Not. ad* SYMMACH. *Epist.* 47. *Lib.* I. vbi *Suada* CIRCAE *pocula*, acute dictum.

§. X. Nunc ad grunnientes VLISSIS socios. Ii tales erant, qui in libidinem voluptatemque proni, καὶ ἀλογίστως φερόμενοι πρὸς τὰς ἡδονὰς, vt loquitur HERACLIDES, laborumque vitaeque errorum pertaesi se facile capi patiebantur technis et blandimentis meretriciis, atque ita fiebant *sues luto amicae*, vt canit Venusinus poëta. HOMERVS enim de iis ita:

οἱ δ' ἅμα πάντες ἀΐδρείῃσιν ἕποντο.

similem plane in modum, ac SALOMO de iuuene incauto ab impudica femina illaqueato loquutus: [s]) הולך אחריה פתאם כשור אל־טבח יבא LXX. ἐπηκολούθησεν αὐτῇ παραχρῆμα ὥσπερ δὲ βοῦς ἐπὶ σφαγὴν ἄγεται. Ad quae HOMERI verba EVSTATHIVS ita: οὕτως ἡ ἡδονὴ ἐφολκὸν ἅμα καλουμένη καὶ ὑπακούσασα καὶ εἰσδεχομένη τοὺς μὴ ἴδμονας. IOANNES ANTIOCHENVS, vulgo MALALA, circa ἀποχοίρωσιν sociorum VLISSIS, in hunc disserit modum, verbis ex PHIDALIO Corinthio [t]) mutuatis: ἐκ τῆς ἐπιθυμίας ἀποθηριοῦνται, μηδὲν ἔμφρον λογιζόμενοι. ἀλλὰ ἀλλοιούμενοι τὰς μορφὰς, καὶ τῷ σώματι ὡς θηριόμορφοι γίνονται, καὶ τῇ θέᾳ, καὶ τοῖς τρόποις, ἐπερχόμενοι τοῖς ἀντεραστᾶις. Sed adeo foedis voluptatibus immergebantur socii illi

ἵνα πάγχυ λαθοίατο πατρίδος αἴης.

τοιοῦτον γὰρ ἡ ἡδονὴ (verbis vtor EVSTATHII) ἑαυτῆς μόνης ποιουμένη τὸν τρυφῶντα, τῶν δὲ σπουδαιοτέρων ἀπάγουσα. Verum

νοῦς ἦν ἔμπεδος, ὡς τὸ πάρος περ,

Iterum EVSTATHIVS: ὁ νοῦς αὐτοῖς οὐκ ἀπόλλυται, ἀλλὰ ζωπυρεῖται ὑποσμυχόμενος. Hinc enim

κλαίοντες ἐέρχατο.

Quid?

s) Prou. VII, 22. t) Chronogr. l. v. pag. 152.

Quid? inquies, flentne illi, qui mel gustauerant, dulceque hauserant poculum? Flent inquam,

Namque ecastor amor melle et felle est foecundissimus: [u])
Gustu dat dulce, amarum ad satietatem vsque oggerit.

Audi TIBVLLVM saeuum scaeuumque amorem ita adloquutum: [x])

Semper vt inducas, blandos offers mihi vultus,
Post tamen es misero tristis et asper amor.

Adde OVIDIVM et CLEMENTEM ALEXANDRINVM. [y]) Hinc SAPPHO, ni fallor, amorem vocabat γλυκύπικρον et ἀλγεσίδωρον, apud MAXIMVM TYRIVM. [z]) MVSAEVS, seu quisquis auctor libelli illius *de amore Herus et Leandri:*

ἤδη καὶ γλυκύπικρον ἐδέξατο κέντρον ἐρώτων.

Inde et bellum illud ANACREONTIS de sagittis CVPIDINIS A VVLCANO cusis et a Venere eiusque filio ad nocendum praeparatis:

Ἀκίδας δ' ἔβαπτε κύπρις, [a])
Μέλι τὸ γλυκὺ λαβοῦσα,
ὁ δ' ἔρως χολὴν ἔμισγε.

Huc et maxime spectat illud PLAVTI, vbi *Dinarchus* iuuenis ita ad Astaphium scortillum:

In melle sunt linguae sitae vestrae, atque orationes [b])
Lacteque; corda felle sunt lita, atque acerbo aceto,
Linguis dicta dulcia datis, corde amara facitis.

Plura in hunc sensum vid. apud CERDAM, *ad Virgil. Eclog.* III. *pag.* 69. add. WOLF. *ad Sapphus Carmina, pag.* 44. et MARTINI *Var. Lect. Lib.* I. *cap.* XVII. *pag.* 17. item MOLL. in *Not. ad Longi pastoral. Lib.* I. *pag.* 15. praesertim vero de hoc Amoris condimento γλυκυπίκρῳ, pro more suo, vberrime egit CASPAR. BARTHIVS, in vasto *Commentario*, ad illos venustissimos Claudiani versus, in *Epithalam. Honorii et Mariae, pag.* 817. *sqq.*

Labuntur

u) Plaut. Cistellar. I, I.
x) L. I. El. VII.
y) Remed. Amor. Paedagog. l. II.
z) Diss. VIII.
a) Od. XLV.
b) Truculento, l. II.

Labuntur gemini fontes; hic dulcis, amarus
Alter, et infusis corrumpunt mella venenis,
Vnde Cupidineas armauit Fama sagittas.

Quo ipso ad illam bellissimam ANACREONTIS Odam, supra laudatam, respexisse videtur CLAVDIANVS. vid. et EVRIPIDIS *Hippolyt.* 348. ibique Scholiast. Sed audiamus maxime EVSTATHIVM, in praesentem HOMERI locum: ἐ παράμονος, inquit, ἡ ἡδονὴ, ἀλλ' ἐπὶ βραχὺ κολακευτικῶς δελεάσασα καὶ θέλξασα κατὰ φαντασίαν ἀγαθοῦ τινος, εἶτα ἀνάγει τοῖς χείροισι (obiter hic emendo EVSTATHIVM, legendum quippe non χείροισι, sed χοίροισι h. e. porcis) καὶ οὐκέτι μετὰ τὸν κυκεῶνα καὶ τὴν ἀποχοίρωσιν ἡδέως εὐωχεῖ τοὺς μεταβληθέντας ἀλλὰ πρεπόντως ἀλόγοις. Sed quid EVRYLOCHVS?

ὑπέμεινεν ὀϊσσάμενος δόλον εἶναι.

Ille nempe voluptatis contemtor ὑπέμεινεν, remanebat οὐκ ἠκολούθησεν, non occaecatus sequebatur, vt ceteri socii; prout exponit magnus HOMERI scholiastes saepius iam citatus: Quare? putabat dolum subesse ex variis caussis, tum, quod CIRCE prodiret mundo immundo et meretricio induta, tum, quod eam solam videret, tum, quod maxime stringit, quod sibi occursarent ferae non ferae, i. e. heroes et truculenti homines omni animo et virtute priuati, vt supra. Has caussas doctus etiam, si recte memini, allegauit EVSTATHIVS.

§. XI. Sed tempus monet, vt simul cum EVRYLOCHO tristi laeti reuertamur ad VLISSEM in naue relictum. Hic enim de dira sociorum μεταμορφώσει certior factus, furiis agitatur et furore, atque iusta quidem; at caeca et aestuanti socios vindicandi cupidine incenditur: hinc temere currit ad Circaeum palatium, locorum licet ignarus et variis hinc periculis obnoxius. Ipsi autem ita vadenti, aut erranti potius occurrit Mercurius, qui eius exprobrans temeritatem, demum optatum praestat auxilium: vt infra pluribus dicetur. Iam igitur de Mercurio. Ille hic nihil est aliud, quam Deus ipse et diuina prouidentia: illud enim HOMERO maximae ducitur laudi, quod nullum fere heroum, quos cantat, periculum, nullumque difficile opus superetur ac perficiatur viribus humanis: sed Deus semper in auxilium voce-

vocetur, qui nunc ſub Mineruae, nunc ſub alius Dei Deaeue ſpecie, adflictis adſtat eosque protegit, et ipſis πολλὴν ἠέρα περιχεύει, vt ſaepe ait poëta; quod et animaduerterunt Auctor vitae HOMERI vulgo PLVTARCHVS, ſed male (vt recte obſeruant GALEVS, BARNESIVS et ſumme rev. FABRICIVS) creditus, EVSTATHIVS, et veterum multi. Qua de re multis diligenter tractat ZACHARIAS BOGANVS, in *Homero Hebraizont.* Libro raro, *pag.* 48. *ſqq.* et pluribus adhuc diligentius, POSTELIVS, in doctis *notis, ad Homeri Iunonem doloſam, pag.* 358. *ſqq.* item *pag.* 478. Conf. et Interpretes ad MATTH. XVII, 5. et praecipue ibi WETSTEN. *pag.* 456. Hic autem Deus vocatur, vt dixi, ἑρμείας ſeu Mercurius. Sciendum nempe, gentilium ſapientiores vnum Deum ſub variis intellexiſſe nominibus ratione variarum virtutum et, vt Theologi loquuntur, attributorum variorum, ἕν τε εἶναι Θεὸν καὶ νοῦν, καὶ εἱμαρμένην, καὶ Δία, πολλαῖς τε ἑτέραις ὀνομασίαις προσονομάζεσθαι, vt apud DIOGENEM LAERTIVM c) eſt, vbi et plura huc pertinentia, vt et apud MAXIMVM TYRIVM praeſertim *Diſſert.* XXIII. item *Diſſ.* I. et alibi; aliosque. Hic ergo, quum Deus ceu *ſuaſor* et *auxiliator* ſimul proponitur, ſcitiſſime vocatus fuit ab HOMERO ἑρμείας, nimirum ἀπὸ τοῦ ἐρεῖν, aut, quod mihi magis placet, ἀπὸ τοῦ ἔρυμα ſeu ὀχύρωμα ἡμῖν εἶναι, vt PHVRNVTVS exponit: Id enim vel ipſe confirmat HOMERVS, d) apud quem Mercurius ita adfatur Vliſſem:

Ἀλλ' ἄγε δή σε κακῶν ἐκλύσομαι ἠδὲ σαώσω

Sic et HIPPOCRATES, e) diuinus noſtrae artis parens, Deum vocat ἔρυμα γενόμενον ἡμῖν; quin et in ipſa Scriptura S. ſaepiſſime Deus appellatur משגב item מצור ſeu quod idem, מצודה munitio, propugnaculum, vt et מגן ſeu clypeus etc. vt maxime videre eſt in Pſalmis f) et alibi. Quod autem EVSTATHIVS Mercurium hic per λόγον ſeu rationem exponat, mihi quidem non probatur: vt vt enim Deus ille alibi ita explicari poſſit; tamen hic ea locum non habet expoſitio, vt

 dicam

c) vita Zenon. l. VII. ſigm. 137. add. Notas Meng. pag. 313.
d) de Nat. Deor. c. XVI.
e) περὶ ἱερῆς νούσου.
f) vid. Pſ. XVIII, 3. et CXLIV, 2.

dicam infra, vbi de Moly. Multo minus illud mihi placet, quod autor veteris epigrammatis graeci PALLADAS vulgo creditus, λογισμὸν, quem ſub Molyos ſpecie, VLISSI porrexiſſe dicitur Mercurius, (recte quidem, vt paullo infra probabo,) vocauit οὐχ ἑρμοῦ, ſed φύσεως ἰδίας δώρημα. Longe rectius igitur atque ingenioſius, philoſophus ille poëta, LEO, ſiue LEONTIVS, in *Anthologia Graeca Noua Reiskiana, Lib.* II, *Carm. ſepulchral.* 636. *pag.* 105. ita de ipſo Moly ſcripſit:

Ἀλλὰ λαβεῖν θεόθεν ψυχοσόον εὔχομαι ἄνθος,
Μῶλυ, κακῶν δοξῶν ἀλκτήριον. - - -
Sed cupio diuinitus datam herbam, quae ſeruare mentem norit,
Moly, quod prauas opiniones abigit ac propulſat.

Hinc per paronomaſiam, ſub ipſo Μώλυος nomine, latere vocem λῆμα, *conſilium, prudentiam, fortitudinem,* credebat HERM. AB HARDT, in ſchediaſmate, *de Circe Homeri et Cirrha phocidis, pag.* 56. Sed ipſum deſeruit hic τὸ λῆμα. Vnum hic reſtat, erat nempe Mercurius

νεηνίῃ ἀνδρὶ ἐοικὼς
πρῶτον ὑπηνήτῃ, τοῦπερ χαριεστάτη ἥβη

Per quae HOMERVM intellexiſſe credo Dei ἀμεταβλησίαν, perennitatem immortalitatemque: quem ad modum eidem VLYSSI, ad ALCINOVM ituro, Minerua apparet παρθενικῇ εἰκυῖα νεήνιδι, *Virgini ſimilis iuuencula Odyſſ.* VII, init. et alibi ſaepius, haec enim in Deo eſſe omnino credebant vel caeci gentiles. Vnde CALLIMACHVS de Ioue:

σὺ δ' οὐθάνες· ἐσσὶ γὰρ αἰεί.

Et Dea Calypſo ab eodem VLYSSE vocatur ἀθάνατος, καὶ ἀγήρως, *immortalis et ſenii expers,* apud ipſum HOMER. *Odyſſ.* V, 218. et paſſim alibi. Vt aliis, ceu de re notiſſima, ſuperſedeam teſtimoniis: ſaepiſſime enim poëtis dii dicuntur ἀθάνατοι et αἰὲν ἐόντες.

§. XII. Tandem et *Moly* celebratiſſimum remedium anticircaeum explicare molimur. Poſtquam enim Mercurius VLISSI dixiſſet

πάντα ὀλοφώϊα δήνεα κίρκης,

munit eum, quo eo tutius ire poſſit, φαρμάκῳ ἐσθλῷ. Illud ita deſcribit aut depingit potius poëta noſter:

Ῥίζῃ

Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος·
Μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί. χαλεπὸν δέ τ' ὀρύσσειν
Ἀνδράσιγε θνητοῖσι.

Cui accinit OVIDIVS:

Pacifer huic florem dederat Cyllenius album; [g]
Moly vocant superi: nigra radice tenetur.

Plantam igitur fuisse τὸ Moly, patet ex accurata poëtae descriptione, nec quemquam mouere debet nomen φάρμακον, ita enim ratione virtutis medicae adpellatur; sicut et supra herbae, quas ad excitandam libidinem CIRCE miscuerat; et apud HIPPOCRATEM, GALENVM, AETIVM AMIDENVM, DIOSCORIDEM, aliosque medicos priscos, plantae vi medica pollentes saepius dicuntur φάρμακα. Sed hic inquirendum est, quidnam fuerit Moly, et qualis planta, et an vnquam planta fuerit Moly dicta?

§. XIII. Veteres si euoluimus Botanicos; Molyos quidem cuiusdam faciunt mentionem, sed plane diuersi ab nostro Homerico, nec vllus illorum id ipsum vidit; plerique ad vulgi prouocant dicteria. hinc recte et acute hic pronunciat REIMMANNVS, *Iliad. post* HOMER. *Sect.* IV. *pag.* 159. *Moly, herba notissima iuxta et ignotissima.* Vbi vid. et sequentia. THEOPHRASTVS ille ERESIVS: [h] φασὶ δὲ τὸ Μῶλυ εἶναι καὶ ὅμοιον ὡς ὅμηρος εἴρηκε, post: οὐ μὴν ὀρύττειν γε εἶναι χαλεπὸν, ὡς ὅμηρός φησι. DIOSCORIDES etiam de Moly quodam loquutus, ἄνθη quidem γαλακτόχροα [i] seu γαλακτώδη ipsi tribuit; sed eum Homericum Moly non intellexisse, ex eo patet, quod nec HOMERI meminerit, nec quidquam de radice nigra (quod et iam obseruauit LONICERVS) dixerit, nec ipsi peculiares quasdam vires adscripserit; accedit, quod GALENVS [k] illud Moly Dioscorideum dicat Μύλην. Vnde nondum mirari desii, qui sagacissimus SARACENVS optimus DIOSCORIDIS [l] interpres, potuit scribere illud DIOSCORIDIS Moly idem esse, ac HOMERI, contra CIRCES ve-

 neficia

g) Met. XIV.
h) Hist. Plant. I. IX, c. 15.
i) L. III. c. 54.
k) l. VII. Rem. simpl.
l) vid. Not. ad ill. l. pag. 61.

neficia VLISSI ab Mercurio traditum. Praeter hos vetus quidam poëta eſt graecus anonymus, quem nobis denuo quaſi donauit ſumme reuerendus FABRICIVS, [m]) Vir ἑλληνικώτατος, cum obſeruationibus pereruditis Viri CL. D. IO. RENTORFII. Is herbarum quarundam vires et virtutes carmine terſo et paene Homerico celebrauit, interque illas et Molyos HOMERICI: ſed nec ille, vt lector ibi intelliget, illud vidit, nec vbi creſcat, indicauit, et ſolum paraphraſten veluti egit verborum Homericorum. Nec aliud ſane coniicere licet ex iſta HOMERICI Molyos deſcriptione, apud APVLEIVM, de *Medicaminibus Herbarum, Cap.* XLVIII. *pag.* 165. *Moly clariſſima herbarum eſt, Homero teſtante, et inuentionem eius Mercurio aſſignante, qui naturam eius et ſucci beneficia demonſtrauit. Radice rotunda nigraque, magnitudine Caepae.* Vbi poſtrema quidem verba ita conſtituit HVMELBERGIVS, *p.* 166. quum antea in omnibus exemplaribus, ſine ſenſu legeretur: *Contraque eius ſuccum beneficia demonſtrat.* Sed quidni per leuem verborum metatheſin, ita potius legendum fuerit: *Qui naturam eius ſuccumque contra veneficia demonſtrauit.* Quae certe coniectura forſan haud peior erit altera illa ipſius HVMELBERG. legentis: *Contraque ſumma veneficia demonſtrante.* Sed de his ipſe Lector arbitretur. PLINIVS ergo ſupereſt, qui ita ſcribit: *Naſci eam* (herbam Moly) [n]) *hodie circa Pheneum, et in Cyllene Arcadiae tradunt, ſpecie illa Homerica, radice rotunda nigraque, magnitudine caepae, folio ſcillae; effodi autem difficulter;* poſt: *Inueni e peritis herbarum medicis, qui et in Italia naſci eam diceret, adferrique Campania mihi aliquot diebus effoſſam inter difficultates ſaxeas, radicis XXX. pedes longae, ac ne ſic quidem ſolidae ſed abruptae.* Haec PINII verba liceat paullulum expendere. Primo ad famam *traditionemque* prouocat aeque ac THEOPHRASTVS; deinde dubia adhuc eſt lectio: *effodi difficulter,* quidam enim legunt: *effodi autem non difficulter,* quod quidem THEOPHRASTO, vt ſupra dictum, non contradicit (nam GVILANDINVM non audio, vtpote peſſimum Criticum, iudice ipſo CASAVBONO, in CASAVBONIANIS, a B. WOLFIO editis *pag.* 15. et in *praefatione* IOS. SCALIGERI *Opuſculis*

m) Bibl. Gr. l. III. c. XXVI. p. 658. n) l. XXV, c. IV.

lis variis praemiſſa, potiſſimum vero ipſo SCALIGERO ibidem, qui audacter legere vult καὶ μὴν ὀρύττειν loco οὐ μὴν ὀρύττειν.) in HOMERO, apud eum enim difficulter effoditur: quod demum ad reliqua, poterat quidem aliquis colligere, PLINIVM ipſum vidiſſe Moly; verum ſi et viderit, quod tamen nondum concedo; certe aliud vidit quam Moly Homericum, vt recte obſeruat CASPARVS BAVHINVS. Res ſane apertiſſima. De Moly enim *ſpecie*, vt loquitur, *Homerica*, dicit, habere *radicem rotundam;* ſeu bulboſam at τῷ Moly Italico *radicem* adſcribit XXX. quod mireris *pedes longam* quin *longiorem*. At bulbi non ſunt longi; ſed rotundi et globoſi, vt nemo neſcit. Quantum hoc ab illo mutatum! ſane ii non falluntur, qui dicunt, PLINIVM hic, vt olim ſolet, dormitaſſe, eſt enim manifeſta contradictio, vt bene notat IO. BODAEVS A STAPEL ad THEOPHRASTVM et cum eo POSTELIVS, in doctis et copioſis Annotationibus, ad *Homeri Iunonem aſtutam, pag.* 385. *ſqq.* item GYRALDVS, *Dialog.* XIV. *pag.* 423. apud GRVTER. *Theſaur. Crit. Tom.* II. His addo, locum hunc non vno legi modo. Quidam enim, notante Pintiano, loco τοῦ *adferri*, malunt *adfirmaret;* ſed idem Pintianus huius loco legendum putat (temere ſi quid iudico) *adferret* ſeu *offerret:* Omnium optima mihi videtur laudati iam GYRALDI, o) (aſt quam modeſti olim Critici!) lectio, quae ita: *Inueni e peritis herbarum Medicis, qui et in Italia naſci eam diceret, adferrique e Campania aliquot diebus effoſſam inter difficultates ſaxeas etc. etc.* Atque ita me ſatis monſtraſſe opinor, Moly Homericum veteribus fuiſſe ignotum neque viſum: quod etiam recte ita perſpexit et demonſtrauit cel. WEDELIVS, in priore ſua *Exercitatione, de Moly Homeri, in genere*, Ienae, 1713. et iam dudum ante ipſum, SALMASIVS, *de Homonym. Hyles Iatric. cap.* XXXIX. *pag.* 43. vbi ſimul ſeuere iuſteque ipſum PLINIVM increpat, eiusque mediocrem, aut rectius perquam exiguam ipſius rei herbariae peritiam hic, vt et alibi centies, manifeſto demonſtrat, quod ſcilicet Moly illud falſo ſic dictum, e Campania allatum, idem ſit ac Moly alterum, nonnihil verius, ab ipſo olim THEOPHRASTO deſcriptum, vt ſupra a nobis iam

o) Opp. T. II. Dial. XIV. p. 889. ſq.

iam liquido fuit oſtenſum. Conf. huc et POSTEL. loco citato: item REIMANNI Ilias poſt Homerum, *Sect.* IV. *pag.* 160. Hinc fruſtra hic PLINII defenſionem, circa ipſius Molyos deſcriptionem, contra SALMASIVM, in ſe ſuſcepiſſe videtur cl. MENZIVS, *Diſſ. de plantis magicis*, §. IX. in Not. ſed pace ipſius manium. Illud enim nullus nego, Molyos nomen poſtea iis fuiſſe impoſitum plantis, quae ob *florem* et *radicem* etc. quandam haberent adfinitatem cum deſcriptione Homerici Molyos. Sic ἄγριον πήγανον, ſeu vt AETIVS ſcribit, ἀγριοπήγανον Cappadocibus Moly ſunt dictum, ἐπεὶ κατὰ ποσὸν σώζει τὴν πρὸς τὸ Μῶλυ ἐμφέρειαν τῇ ῥίζῃ μέλαν καὶ τῷ ἄνθει λευκὸν ὑπάρχον, vt DIOSCORIDES p) loquitur, quocum GALENVS facit, qui Cappadoces rutam ſilueſtrem Moly vocare ſcribit διότι τῇ ῥίζῃ μὲν ἐςὶ μέλαν, ἄνθος δ᾽ ἔχει γαλακτῶδες: quibus praeter AETIVM AMIDENVM et inprimis SALMASIVM, loco ſupra laudato, vt et POSTELIVM, *p.* 386. *ſqq.* item GYRALDVM, *Dialogiſ.* XIV. et LANGIVM, *Epiſt. med.* 72. *Lib.* I. *pag.* 396. veteres addendi ſunt Lexicographi HESYCHIVS, PHAVORINVS et SVIDAS, item TZEZES ſcholiaſtes ad *Lycophronis Caſſandram.* Vid. et huc *Gloſſas Iatricar. MST. in Appendice Gloſſario Graeco barbaro* CANGII adiecta, *pag.* 196. vbi tamen peſſime, legitur: Μῶλυ, ἀγριοπισάνο σπέρμα, pro ἀγριοπηγάνȣ. Vnde autem illae plantae, quae hodie honorificentiſſimo Molyos ſuperbiunt nomine, et vt plurimum ex alliorum ſunt genere, vt BAVHINVS tum in *Pinace*, tum alibi, notauit cum Βοτανογράφοις aliis, ita vocatae ſint, quum nulla fere in re conueniant cum Moly Homerico, merito demiror cum laudato iam WEDELIO, item COVLEIO, et SALMASIO, nobili poëta Anglo in *Not. ad L.* IV. *plant. pag.* 222. cuius haec ſunt verba, notatu certe digniſſima: *Quae nunc Moly vocantur plantae, ex Alliorum eſſe genere, odor, ſaporque teſtantur; vnde illud honorificentiſſimum olim nomen adeptae ſint, diuinare nemo poteſt, cum Homerico certe Moly, (quod nullum eſſe in natura rerum non dubito, non magis, quam fabuloſum illud Hebraeorum, huic affine, Baaras a Ioſepho, L. 7. c. 24. memoratum) nulla in re conueniunt.* Conf. huc POSTELII erudi-

p) L. III, c. LIII.

eruditas Notas, ad *Homeri Iunonem dolosam*, *pag.* 387. *sqq.* vbi diffusa et copiosa de hoc ipso *Moly Homerico*, extat exercitatio, nempe a *pag.* 376. vsque ad *pag.* 389. lectu digna et iucunda. Sed, vt ad laudatum modo COVLEIVM reuertar, ipse tamen paullo post, *pag.* 224. Moly idem esse ac *Baaran*, asserit, quod vero supra, ceu fabulosum, rectius reiecerat.

§. XIV. Sed ad eos iam accedo, qui credunt HOMERVM aliud dixisse, intellexisse aliud, atque ita ad nomen Moly non respiciunt. Hi optimam quidem ingressi sunt viam, vt infra patebit; sed infausto omine progressi, veram poëtae mentem haud capientes. Sic APVLEIVS, q) seu quisquis auctor libelli istius botanici, satis temere adseruit, *Verbascum* esse illud Moly VLISSI a Mercurio contra maleficia CIRCES datum. At aliud de Moly refert *cap.* XLVIII. vbi vid. HVMELBERG. *pag.* 165. *sq.* E recentioribus TRAGVS est, qui putat *Narcissum* THEOPHRASTI et *Colchicon* DIOSCORIDIS Moly fuisse Homericum: at hircus hic etiam non bene odoratus est, vt probat GVILANDINVS *in Epistola* ad GESNERVM de plantis ignotis et raris. Sed hic ipse GVILANDINVS r) alium carpens, dignus est, qui carpatur et resonabili propemodum excipiatur cachinno. Scribit enim, Baharan Iosephi et Aglaophotidem seu Cynospastum terrestrem Aeliani, s) Marmaritidem Democriti, Cynocephaliam et Ositidem Apionis, Paeoniamque Galeni accurate conuenire cum Moly Homerico, praecipue vero Cynospastum Aeliani: sic enim scribit alibi, postquam verba HOMERI allegauit: t) *luce meridiana patet clarius, Homerum per Moly aliud intellexisse nihil, quam Cynospastum Siue Aglaophotidem Aeliani;* quae dementia! quae audacia! videamus an luce sit meridiana clarius, an potius tenebris Cimmeriis obscurius lepidum istud adsertum. Nam, vt nihil hic dicam de reliquis aeque ac hoc falsis, saltim attingam Cynospastum. Primo AELIANVS de eo dicit: νύκτωρ ἐκφαίνεται καὶ διαπρέπει ὡς ἀστήρ. φλογώδης γάρ ἐστι καὶ

ἔοικε

q) c. LXXI.
r) in Papyro pag. 81. l. VII. de B. I.
s) Hist. Anim. l. XIV, c. XXVII.
t) in Ep. ad Gesner. pag. 19.

ἔοικε πυρί: Sed vbi vnquam tale HOMERVS eiusue scholiastae de Moly adseruerunt? vbi vsquam veterum botanicorum quidam herbam Molyos nomine insignitam ita depinxit? Pergit AELIANVS, atque refert, aut fabulatur potius, homines non posse sine praesentissimo vitae periculo euellere, immo, ne circumfodere quidem Cynospastum. Hoc vnicam credo fuisse caussam, vnde crederet, aut somniaret potius GVILANDINVS, Moly Homericum idem esse ac Aglaophotida: EVSTATHIVS enim ad quem maxime prouocat, simile fere notat de Moly HOMERI: χαλεπόν ἐστιν ἡ τούτου ὀρυγή, ἐπειδὴ λόγος φέρεται, ἑλκόμενον αὐτὸ, θάνατον πρὸς τῷ τέλει τῆς ῥίζης ἐπιφέρειν τῷ ἀνασπῶντι. Sed respondeo, primo hoc non HOMERVS dixit; sed EVSTATHIVS, qui Grammaticorum more, saepius frustra nimis subtiliter argutatur et λεπτολογεῖ, vt FABER atque MENAGIVS cum aliis testantur: secundo, non pro certo adfirmat, nam dicit λόγος φέρεται *fabula circumfertur:* tertio denique nondum liquet, an sequatur exinde Aglaophotide EVSTATHIVM loquutum, quoniam de difficultate herbae cuiusdam effodiendae ille est fatus, nam simile etiam de Mandragora refert, ὁποῖόν τι καὶ περὶ μανδραγόρου λέγεται, (sicut de Cynocephalia, PLINIVS, *Lib.* XXX, *cap.* 2.) quae verba subdole omisit GVILANDINVS, [u]) atque hinc merito notatur a GESNERO in Responsione ad GVILANDINVM, qui et huius audaculi Critici temeritatem satis demonstrat, probans nequaquam *luce meridiana patere clarius* Moly et Aglaophotidem esse vnum idemque, quod et fecit MATTHIOLVS, [x]) sed acerbius et rectius simul, a GVILANDINO dente arrosus improbo. Tandem quoque AELIANVS, vt redeamus ad eum, modum describit, quo canis iuuenis fame emaciatus, fune inferiori herbae stipiti alligetur, et carnium assarum proiectarum nidore adlectus, letiferam illam iuxta et salutiferam herbam vi extrahat (vnde et nomen κυνόσπαστος) sed breui post moriatur. Verum qua probabili sodes ratione illud dici possit de Moly Homerico? quis vnquam tam inuitam, paene dixerim stolidam legerit comparationem? eodem enim iure seu errore potius Opos et Hyoscyamus

vocari

u) pag. 43. x) in Ep. ad Fallopium.

vocari poſſunt Moly Homericum, nam idem fere narrat AELIANVS y) de difficultate herbarum iſtarum effodiendarum, quod et bene, ni fallor, obſeruauit MATTHIOLVS contra GVILANDINVM. Et vt nihil dicam amplius, Cynoſpaſtus nec florem album, nec radicem nigram habet: aſt haec duo potiſſima ſunt ſigna Homerici Molyos, nam effodiendi difficultas ſaltim eſt acceſſorium ac, vt loquuntur, concomitans; ex hac autem ſola concludit, vt vidimus, GVILANDINVS, ſed temere, ne quid grauius dicam duriusue. Deſinat ergo SPONDANVS credere, in *Notis* admodum iuuenilibus, *ad* hunc ipſum HOMERI *locum*, *p.* 142. conf. POSTEL. *p.* 388. GVILANDINVM veri Molyos Homerici a cane extracti fuiſſe poſſeſſorem: nugae ſunt, logi, fabulae, inſomnia, nihil: Sed ſit venia dictis, a iuſta indignatione expreſſis. Verum, nunc etiam paucis adhuc expendenda nobis venit ſingularis illa Celebris alias WEDELII ſententia, putantis nempe in Exercitatione altera, *de Moly Homeri, in ſpecie*, iuſto ſerius nobis viſa, adumbratam hic eſſe ab HOMERO, ſub Molyos herba, plantam illam notiſſimam paluſtrem et amnium amantem, ſcilicet *Nymphaeam*, ideo inprimis, quod ea, aeque ac Moly ipſum, florem habeat album, nigramque radicem; praeterea quoque acriores Veneris indomitae ſtimulos natura ſua frigida, humida, narcotica et relaxante, obtundat et infringat, adeo, vt hinc in hac quidem Circes et Vlyſſis fabula, ſat commode ac venuſte ſumi poſſit pro ſcito quodam temperantiae, abſtinentiae et caſtitatis ſymbolo. Sed licet haec ipſa, non plane diffiteor, primam quidem frontem, ingenioſa nonnihil atque ſpecioſa videantur; accuratius tamen et ſeuerius conſiderata, non vſque quaque conueniunt cum ipſa Molyos deſcriptione, ab HOMERO hic propoſita. Praeter album enim florem atque radicem nigram ſolam, ceterum nulla prorſus eſt ſimilitudo, Moly inter atque Nymphaeam. Videamus paucis! HOMERVS ipſe narrat, Moly a Mercurio ex Terra, vi fuiſſe euulſum, ἐκ γαίης ἐρύσας, atque hinc eſſe effoſſu perquam difficile, χαλεπὸν δ' ὀρύσσειν. Neutrum vero commode dici poteſt de ipſa Nymphaea, quoniam nempe ea, ceu notiſſimum, non tam in ſolo ſolido

 ac

y) Hiſt. An. l. IX. c. XXXI.

ac ficco, aut editis durisque montibus enafcitur, ibique altas radices agit; quam potius in locis humidis, paludibus, ftagnisque fuccrefcit, iisque quafi innatat, ceu planta φίλυδρος, et φιλόλουτρος, vt recte et eleganter a graecis Botanicis vocatur; vnde et ipfum Nymphaeae nomen fignificanter ipfi olim inditum, notantibus iisdem, THEOPHRASTO nempe, DIOSCORIDE, PLINIO, APVLEIO, aliisque. Quam frigide igitur atque inepte HOMERVS hic dixiffet ἐκ γαίης ἐρύσας, *e Terra folida vi euulfit Moly*, fi nempe intellexiffet plantam mediis in vndis crefcentem et natantem, hoc eft Nymphaeam? Neque fane prudentius aut conuenientius idem pronunciaffet de eadem planta paluftri, χαλεπὸν δ' ὀρύσσειν, feu, *quod difficulter effodiatur;* quoniam nempe ea fuis radicibus liquido paludum coeno, aut luto parum tenaci laxius plerumque inhaerens, tanto facilius vt plurimum euelli inde poteft; vnde etiam eo minus multo magnoque molimine opus eft, vt operofe effodiatur, quum potius manum vel leuiter trahentem facile et obfequenter fequatur. Quod autem porro ipfum huius paluftris Nymphaeae effectum antaphrodifiacum, feu laetae Veneri infeftum attinet; verum quidem eft, illum fic traditum effe ab omnibus fere Auctoribus, veteribus aeque ac recentioribus, vt THEOPHRASTO, DIOSCORIDE, GALENO, ORIBASIO, praefertim ALEXANDRO TRALLIANO, *Lib.* IX. *cap.* 9. *pag.* 557. item PLINIO, *L.* XXV, *c.* 7. et *Lib.* XXVI, *c.* 10. et APVLEIO, *Cap.* LXVII. vbi vid. HVMELBERG. *p.* 202. *fqq.* IO. BOD. A STAPEL ad *Theophraft. Lib.* IX. *pag.* 1103. *fqq.* aliisque pluribus; atque inde haud infcite ipfam quidem Nymphaeam pro fymbolo quodam Continentiae ac caftitatis haberi quodammodo poffe: Sed id ipfum tectum caftitatis fymbolum nihil tamen prorfus hic facit ad Vlyffem noftrum, quippe qui, vt alibi femper, ita et hic praefertim, vt homo prudens, vafer, aftutus, fortis et intrepidus, ab HOMERO proponitur, nufquam vero, vt caftus nimis, continens, aut pulchrarum foeminarum ofor; praefertim, quum ipfe hic HOMERVS mox diferte narret, caftum illum fcilicet Vlyffem per integrum annum, apud caftam quoque fanctamque Circen, commoratum, quotidieque cum ipfa opipare epulatum, Ventri iuxta Venerique ita lafciue indulfiffe,

fisse, vt in illa ipsa sancta Castitate, duos aut tres filios ex ipsa diuina illa Circe suscepisse, dicatur, ab HYGINO, *Fab.* CXXV. *pag.* 187. vbi vid. MVNCKER. et aliis Mythyraphis. Parum ergo, aut prorsus nihil profuit hic libidinoso Vlyssi frigida Nymphaea, castitatis Symbolum. Sed de his nunc satis. Denique etiam GOTTFR. VRBAN. SIBERVS, Theol. Lipf. Schneebergae 1698. Dissertationem edidit, *de Moly, Hermetis Herba,* de qua tamen, ceu mihi nondum visa, nihil dicere licet.

§. XV. Verum hic finio in recensendis quoque plurium botanicorum opinionibus de Moly Homerico, nolo enim nimium euagari, nisi iam illud, quod vereor, forsan fecerim. Concludo potius cum GESNERO, COVLEIO, LONICERO SALMASIO, PETRO DE LA SEINE, CONRINGIO, SARACENO, REIMMANNO, *p.* 160. GYRALDO, *p.* 423. apud GRVTER. POSTELIO, *pag.* 389. aliisque: ex tam variis vanisque Auctorum recensionibus et explicationibus, immo ex tot tantisque contradictionibus haud obscure colligi, Moly Homericum esse aliquid mere mythicum ac fabulosum, si nempe, quod probe notandum, ad nomen respicias et vsum medicum, prout vulgo traditur, contra incantationes (de herbis enim ob similitudinem Molyos Homerici, Moly dictis, de quibus supra, iam non loquor, ita enim EVSTATHIVS: δῆλον καὶ ὅτι ἔγνωσται τοῖς ἀσκληπιάδαις βοτάνη τὸ Μῶλυ. εἰ δὲ καὶ ἀντικαθίσταται αὐτὸ κιρκαίοις φαρμάκοις, εἰδεῖεν ἂν ἐκεῖνοι) immo nullam vnquam fuisse plantam Moly dictam. Nam Deorum linguam, ad quam hic prouocat HOMERVS, et alibi quoque, adhuc quater, vt *Iliad.* ά, 403. Il. ξ. 291. Il. ύ. 73. et *Odyss.* μ'. 61. ad quae loca vid. copiose differentem EVSTATHIVM, et longe copiosius POSTELIVM, in *Annotat.* vberrimis ad *Homeri Iunonem dolosam,* a *pag.* 366. vsque ad *pag.* 410. omnia tamen adhuc incerta et maxime dubia. Nec ego nec vllus intelligat mortalium; et hinc magnae reor esse audaciae, in etymologiam τοῦ Μώλυος inquirere eamque ex graeca potissimum lingua deducere velle. Sic EVSTATHIVS illud deriuat ἀπὸ τοῦ μωλύειν, ὅ ἐστιν ἀφανίζειν τὰ φάρμακα, seu vt Etymologicum M. exponit, πραΰνειν καὶ καταστέλλειν τὰς φθοροποιοὺς ἐννοίας,

item παρὰ τὸν μῶλον h. e. a bello, dum quidam fabulantur τὸ Moly esse plantam ex atro sanguine gigantum vnius Picoloi ab Apolline interfecti, prognatam, vt adserit PTOLEMAEVS HEPHAESTION, apud PHOTIVM, *Bibl. pag.* 248. *Edit. Hoeschel.* conf. HARDT schediasma, *pag.* 51. et MEVRSIVS in Notis ad Lycophronem, de quo plura apud laudatum modo POSTELIVM, *pag.* 383. *sqq.* item MVNCKERVM, ad HYGIN. *Fab.* 125. *pag.* 187. IO. BODAEVS A STAPEL homo profunde eruditus, ast vbi criticum agit, semper fere mihi displicens, τὸ Μῶλυ factum esse contendit ex μὴ et ὄλλω seu ὄλλυμι, quasi quod ab interitu conseruet, satis, opinor, coacte audacterque: taceo alia etyma, quae in Etymologico M. leguntur, vbi et illud, quod dictus modo BODAEVS pro suo quasi inuento habet, sed frustra et ringente criticorum turba. Sed ille tamen insignis HESYCHII locus tacite hic praetereundus non est, praesertim, quia turbatus olim et insuper quoque vitiatus fuit, vt medela hinc maxime indigeat: Sic autem ille: Μῶλυ, φυτοῦ εἶδος ἀλεξιφάρμακον, ἢ βοτάνης ἀντιπάθιον· οἱ δὲ τὸν λόγον, δι' οὗ τὰ πάντα μολύνεται, ὅ ἐστι προσγίνεται. Hic vero prius membrum turbatum, vt dixi, quid enim ibi βοτάνης ἀντιπάθιον? alterum autem vitiatum; quoniam τὸ μολύνεται, non significat προσγίνεται; sed potius μιαίνεται, vt supra sic recte explicat ipse HESYCHIVS, item SVIDAS, et reliqui Lexicographi, tantum non omnes, ita interpretantur. Sic igitur mihi hic quidem Locus constituendus et emendandus videtur: Μῶλυ, φυτοῦ, ἢ βοτάνης εἶδος ἀλεξιφαρμάκου, ἀντιπάθιον· οἱ δὲ τὸν λόγον, δι' οὗ τὰ πάντα μολεῖται, ὅ ἐστι προσγίνεται. In priori coniectura hic nobis ipse praeiuit SVIDAS, qui ita manifeste: Μῶλυ, ἀντιπάθιον, ἢ βοτάνη ἀλεξιφάρμακος. Altera vero a nobismet ipsis excogitata, tanto certior videtur, quia huc vnice necessaria: Μολεῖται enim idem est ac προσγίνεται, nempe a μολεῖν, μολεῖσθαι, quod est προσέρχεσθαι, προστρέχειν, προσδραμεῖν, προσγίνεσθαι, et simil. ipso nostro HESYCHIO sic supra, recte exponente, item SVIDA, Schol. AESCHYLI, et EVSTATHIO: ne de aliis Lexicographis iam dicam; res enim haec vulgo notissima. Verum et alio modo, hunc ipsum corruptum HESYCHII locum tentauimus in *Obseruat. Crit.*

Lib.

Lib. II. *cap.* 22. *pag.* 137. nimirum ſic: Μῶλυ, φυτοῦ εἶδος ἀλεξιφαρμάκου, ἢ βασκανίης ἀντιπάθιον: quomodo nempe in adiectis ad DIOSCORIDEM *gloſſis, pag.* 478. legitur: Μῶλυ ὠφελεῖ πρὸς φάρμακα καὶ βασκανίαν, et apud ipſum DIOSCORIDEM, *Lib.* IV, *cap.* 133. *p.* 291. de Antirrhino: ἀντιπαθὲς εἶναι φαρμάκοις. Quo et egregie ſpectat illud Philonis *Iud. Lib. de Agricult. pag.* 157. ἀντιπαθὲς ἀκολασίας φάρμακον, καὶ ἀλεξίκακον (male vulgo legitur ἀλεξίκακος) σωφροσύνη; quem inſignem locum etiam laudat GROTIVS, in *Comment. ad Ioann.* IV. *pag.* 872. Conf. SALMAS. *Exercit. Plin. pag.* 661. PERGERVS vero hic in *Notis MStis in Heſych.* pro βοτάνης ἀντιπάθιον, legere mavult: βοτάνη ἀντὶ πένθους; ſed lugubri coniectura. At de his nunc ſatis. Ego vero in hunc vsque diem credo, immo ſemper credam, Moly vocem non eſſe graecam, ſed fictam ſaltim ab HOMERO, aut ex alia antiqua, iamque deperdita lingua petitam, quidquid etiam aliis forte contra videatur. Hinc nonnulli Eruditorum hic ipſam Linguam Ebraeam in auxilium aduocarunt, quae et alias re ipſa eſt לשון האלהים ſeu *Lingua Deorum.* Sic MARTINIVS in *Lexico Philol.* voce *Moly,* illud deriuare contendit ab Hebr. מלא *plenum* eſſe, quod ſcilicet Moly ita plenum fuerit virtute contra vim veneni et incantationis: quod profecto commentum nec bono ſenſu eſt plenum, nec acuto ingenio. Cur enim quaeſo illud מלא potius non reddiderit per *conſolari, aut fiduciam* et *audaciam addere,* ſenſu hoc quidem loco, ſatis egregio, prout interdum verbum iſtud ſic ſumi ſolere, docte et acute oſtendit LVD. DE DIEV, in *Animaduerſ. ad Iob.* XVI. *pag.* 280. item SCHINDLERVS, GROTIVS, BVXTORFIVS, aliique. BARNESIVS vero, ſpreta hac Martinii coniectura, aliam quidem adfert, ſed nec iſta meliorem: putat enim Molyos nomen deducendum potius eſſe a מלל, *Malal, verba fecit, loquutus eſt,* vnde et Graecor. λαλεῖν, Latinor. *Lallare,* et Germ. *Lallen*: vtque aliquam huic ſuae coniecturae lubricae veri ſpeciem ac colorem inducat, prouocat ſimul ad PHILOSTRATI *Heroic. pag.* 665. vbi Moly explicatur per *eloquentiam,* falſo omnino, vt infra oſtendemus: Non enim in hoc ambiguo diſcrimine conſtitutus Vlyſſes, tunc eloquentia opus habebat; ſed potius conſilio, prudentia et

animo

animo forti atque imperterrito, ut mox in sequentibus docebimus clarissime. Nobis igitur, si et nonnihil hic hariolari liceat, ipsum Molyos Nomen deriuandum forte videtur, ab Hebr. עמל *Amal*, seu *Hamal*, *Laborauit*, *Molestiam* vel *aerumnam intulit*, quod quippe apprime facit ad ipsam illam praecipuam ipsius Molyos Homerici proprietatem, quae nempe est: χαλεπὸν δ' ὀρύσσειν Ἀνδράσιγε θνητοῖσι, quod scilicet *difficillime illud effodiatur*, seu *adquiratur ab hominibus mortalibus*. Quo ipso nimirum symbolice et aenigmatice respici omnino putem ad difficillimum illud studium arduumque et molestissimum laborem, virtutem, prudentiam, temperantiam, ipsamque Veritatem in profundissimo puteo demersam, tandem feliciter consequendi. Quo et inprimis spectant notissima illa prouerbia: δύσκολα τὰ καλὰ, item χαλεπὰ τὰ καλὰ, *Difficilia, quae pulchra*, de quibus plura ERASMVS, *Adag.* 12. *Cent.* 1. *Chil.* 11. *pag.* 397. nec non cognitum satis illud HESIODI, *op. et dier.* 287. Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα Θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν, vnde istud HORATII deductum; *Nil sine magno Vita labore dedit Mortalibus*, ceu omnibus notum. Quo et praesertim pertinet pulcherrima illa MAXIMI TYRII Dissertatio XXIII. *pag.* 236. *sqq.* et ipse notissimus ille locus sanctus MATTHAEI, *Cap.* VII, 14. vbi praeter reliquos interpretes varios, videndi inprimis GROTIVS, *pag.* 163. PRICAEVS, *pag.* 57. et nouissime WETSTENIVS, *pag.* 342. admodum copiose: quibus add. DANSQVEIVM, ad *Silii Ital. Lib.* XV. *p.* 645. item DRAKENBORCH. HEINS. et CELLAR. ibidem. Ex quibus omnibus forsan haud prorsus improbabile videbitur, nisi fallor, ipsam vocem Moly aliquam conuenientiam haud longius petitam, habere cum Hebr. עמל, *Amal*, propter illud nempe Homericum: χαλεπὸν ὀρύσσειν, vt iam supra dictum. Ceterum autem ab hoc ipso Verbo עמל deducenda videri vocabula illa graeca, πόλος, μόλις, et μῶλος, item et latina, *Moles*, *Molior*, *Mola*, *Molestus* et *Molestia*, forte non vana fuerit coniectura, prout et ex parte visum fuit BECMANNO, VOSSIO, MARTINIO, et aliis Etymologis. Sed haec obiter. Nego ergo, vti iam supra innui, Moly vllum fuisse plantae nomen; nego plantas illas, quas veteres botanici sub Molyos venditant titulo, esse

illud

illud Homericum Moly: sed non nego, HOMERVM hic plantam quandam descripsisse, eamque *vt schema sensus cuiusdam moralis*, vt infra dicetur, proposuisse. Hinc ii hic audiendi non sunt, qui credunt quidem, HOMERVM adeo vsque fuisse superstitiosum, vt crediderit, Moly habuisse virtutem singularem contra diras incantationes, quomodo cum aliis, asseruit CONRINGIVS, de *Hermet. Medic. Lib.* I. *cap.* XI. *pag.* 107. notatus inde a BORRICHIO, *Refutat. cap.* IV. *pag.* 130. item DAN. CLERICVS, *Hist. Med. Part.* I. *Lib.* I. *cap.* 5. *pag.* 13. et alibi. Quae igitur illa forte fuerit planta, iam paucis eloquar, non ita tamen, quasi putem, veritatem a me proponi ἀναντίλεκτον; sed vt meam *probabilem* saltim de Moly Homeri *coniecturam* decenter communicem cum viris doctis et φιλοβοτανικοῖς.

§. XVI. Nimirum puto plantam, quam Dii Homerici Moly vocarunt, mortalibus dici *Elleborum nigrum*, Melampodium et Melanorrhizon item Polyrrhizon alias dictum. Cui meae sententiae etiam ex parte fauet Cl. HERMANN. VON DER HARDT, in *schediasmate de Circe Homeri, Cirrha Phocidis*, statim post hanc nostram Diatribam, Helmstad. 1716. publicato, *pag.* 50. in quo ceterum, pro more solito, in omnia alia abit, et prae nimia ingenii vbertate, nescio quae occulta aenigmata comminiscitur; sed non probat, et multa de Moly molitur; nihil autem tanto molimine dignum, emolitur: quod tamen pace illius manium, candide dictum sit. Hoc vt probem, tria potissimum sunt enodanda, an scilicet Elleborus niger habeat *florem candidum*, secundo, an *radice* gaudeat *nigra*, et denique, an cum *difficultate quadam effodiatur*: haec enim omnia tribuit suo Moly HOMERVS, vt supra monui contra GVILANDINVM. Ad prius ergo quod spectat, omnes mecum conueniunt Botanici Elleborum nigrum flore ornatum esse candido, nec ipse DIOSCORIDES [z]) ipsi denegat τὰ ἄνθη λευκά. Radicem porro Ellebori nigri nigram esse, tam notum est, vt me aliquid de ea dicere et pudeat et taedeat; nam a colore radicis facta est *Nigri* denominatio, sicut et Elleborus albus ita vocatur ob radicem

z) L. IV. C. CLI.

dicem albam, non ob florem, is enim ſubobſcurus comparet, quod et obſeruat GELLIVS. a) Hinc, quum Elleborus niger vocatur Melampodium, concedo quidem, Melampum paſtorem quendam et vatem ſimulque rei medicae peritum, (vt ſcribit APOLLODORVS b) fuſe illam tractans hiſtoriam) furentes PROETI filias eo purgaſſe ac ſanaſſe, vt referunt THEOPHRASTVS, DIOSCORIDES, PLINIVS, et qui ſupra omnes ſapit, HIPPOCRATES in ea, quam ad *Crateuam* ῥιζοτόμον ſcripſit, epiſtola: ſed an ab ipſo illo paſtore deriuandum ſit iſtud Ellebori cognomen, prout putant DIOSCORIDES et PLINIVS, nondum ſatis euictum: certe ego exiſtimo, ex radicum Ellebori forma nomen illud potius eſſe deducendum, atque ἀπὸ μέλανος ποδὸς, ſeu *nigro pede* h. e. *radice nigra*, factam fuiſſe ὀνοματοθεσίαν. Μέλαν enim eſt, vt notum, nigrum, et πόδιον eſt paruus pes ſeu pediculus, pedunculus, inde μελαμπόδιον; nam tenues ſunt et villoſae Ellobori radices, hinc DIOSCORIDES: ῥίζαι ὕπισι λεπταὶ μέλαιναι. Sed quid opus eſt hic iterum monere, THEOPHRASTI interpretem, nempe STAPELIVM, paruum eſſe Criticum, quum loco τῦ ῥίζη μέλαν, vt apud Homerum, aliquando maluit μέγαν: Sicut ipſe COVLEIVS, *Lib.* IV. *Plantar. p.* 223. ipſum Moly Graecis μέγα dici, aſſerit quidem; ſed non probat, nec probabit, credo, vnquam. Profecto, ſi quid in loco illo mutandum, ita potius illum potuiſſet refingere: ῥίζη μεν μέλαιν' ἔσκε, ſic enim ſententia melius cohaerebit cum ſequentibus, vbi τὸ εἴκελον ἄνθος itidem in caſu primo poſitum: ſed nulla eſt neceſſaria mutatio. THEMISTIVS legiſſe videtur ῥίζην μὲν μέλαν, quae lectio penitus reiicienda non eſt: Praeſertim, quum et eandem referat ipſe GALENVS, *Comment.* I. *in Lib. Hippocrat. de Natura Hom. pag.* 92. *Tom.* III. *opp.* vbi manifeſto exhibet iſtam ita: ῥίζην μὲν μέλαν ἔσχε, quod inde probe notandum. Supereſt tandem Ellebori effodiendi difficultas, quam ita probat DIOSCORIDES: φύεται ἐν τραχέσι καὶ γεωλόφοις καὶ καταξήροις τόποις, item PAVSANIAS c) de Elleboro Anticyreo optimo illo (teſte STRABONE, DIOSCORIDE et PLI-

NIO

a) N. A. l. XVII, c. XV.
b) Bibl. l. II.
c) Phocicis ſ. L. X. v. Geogr. l. IX.

NIO etc. vid. PERIZON. et alios ad *Aelian. Var. Hist. L.* XII, *c.* 51.) et notissimo: τὰ δὲ ὄρη τὰ ὑπὲρ τὴν Ἀντίκυραν πετρώδη τε ἄγαν ἐστὶ, καὶ ἐν αὐτοῖς φύεται μάλιστα ὁ ἐλλέβορος. immo ipse testatur DIOSCORIDES, Elleborum in editis montibus maxime v. g. Helicone, Parnasso etc. progerminare. Sed et alia forte est caussa, cur HOMERVS dixerit Elleborum (ita enim nunc voco τὸ Moly) χαλεπὸν ὀρύττεσθαι, difficulter effodi, quam ita allegat DIOSCORIDES: συντόμως δεῖ ὀρύττειν (τὸν ἐλλέβορον) διὰ τὸ καρηβαρίαν ἐκ τῆς ἀποφορᾶς γίνεσθαι: haec ita vertuntur quasi a PLINIO: *Nec atrum veratrum facile colligitur, caput adgrauans etc.* Conf. huc OLAI BORRICHII *Apolog. pro Hermetis Aegyptiorum, et Chemicor. sapientia, contra Herman. Couringium, Cap.* IV. *pag.* 130. Taceo praeterea quae vterque scribit de aquilae volatu, quae quum viderit quempiam veratrum effodere (*fere enim interest secantibus*, vt ait PLINIVS) eidem homini a se viso sit caussa mortis mox subsequuturae, id enim fabulam potius anilem redolet.

§. XVII. Monstrata igitur accuratissima, nisi fallor, inter Homericum Moly et Elleborum nigrum similitudine, nunc explicandus erit *sensus allegoricus*, et quid sub *hoc Ellebori schemate* intellexerit poëta. Putandum enim non est, quasi VLISSI vere data fuerit illa anticircaea planta, sed Homerus more suo h. e. poëtico aliud hic *proponit*, aliud autem *supponit*, quod et supra vidimus in explicatione CIRCES, ferarumque ab ipsa mansuefactarum etc. etc. Vti etiam recte hic obseruavit PETRVS DE LA SEINE, *Tract. de Nepenthe Homeri, Parte* IV. *pag.* 193. bene simul prouocans ad illa MAXIMI TYRII et THEMISTII loca, a nobis quoque infra opportune allegata et laudata. Modum tamen fere omnem hic excessit clarus ille ob ingenii portenta, HERM. AB HARDT, in *Comment. de Circe Homeri, Cirrha Phocidis*, etiam 1716. edito in qua inaudita paene de bellis Cirrhaeorum inauditis. Hoc autem eo facilius elucebit, si consideramus, qui mentem fuerit dispositus VLISSES ad sacram CIRCES domum vadens. Scilicet iam supra, si recte memini, dixi, eum *furiis* et *furore agitatum*, caecaque et se et socios vindicandi cupidine inflammatum discessisse, hinc enim culpatur ab Mercurio:

K 2 πῆ

πῆ δ' αὕτως δύστηνε δι' ἄκριας ἔρχεαι οἶος;

Et poſtea:

οὐδέ σε φημὶ
Αὐτὸν νοστήσειν, μενέεις δὲ σύ ἔνθάπερ ἄλλοι.

Deerat ergo, vt videmus, VLISSI *prudentia, vt caute ageret, circumſpecte* et ne *furor iraque mentem praecipitarent*, vt loquar cum VIRGILIO. [d]) Haec ipſi porrigitur a Mercurio, i. e. a Deo; eſt enim illa Θεόσδοτον ἀγαθὸν, vt de Moly ait EVSTATHIVS, et ſcimus ex S. S. ſub *ſpecie* quidem *Molyos* ſeu *Ellebori nigri*. Hic igitur ſciendum, antiquitus primum Ellebori nigri ad leuanda *mentis* et *capitis* vitia ipſumque ingenium acuendum, et ſapientiam augendam et roborandam, fuiſſe vſum, vt ERASMVS loquitur. Quo maxime ſpectat illud PETRONII, *Cap.* 88. *pag.* 425. *Chryſippus, vt ad Inuentionem ſufficeret, ter Elleboro animum deterſit:* vbi plura vid. in *Not. Varior.* apud BVRMANN. et in vaſto GOVSAL. DE SALAS *Comment. pag.* 141. Inde ipſe CHRYSIPPVS apud lepidum LVCIANVM, *Lib. de Vitarum Auctione, pag.* 384. *Tom.* I. ita ſeuere pronunciat: τὸ κεφάλαιον, οὐ θέμις γενέσθαι σοφὸν, ἢν μὴ τρὶς ἐφεξῆς τοῦ ἐλλεβόρου πίνῃς, *In ſumma, te ſapientem fieri fas non eſt, quin ter ex ordine Elleborum biberis*, conf. et ibidem *Lib.* II. *Ver. Hiſt. pag.* 675. et alibi ſaepius. Quod ipſum vberius et ſolidius adhuc confirmat egregio teſtimonio ipſe PLINIVS, *Lib.* XXV, *cap.* 5. *Elleborum tam promiſcuum, vt plerique ſtudiorum gratia, ad peruidenda acrius, quae commentabantur, ſaepius ſumtitauerint: quod Carneadem reſponſurum Zenonis Libris feciſſe conſtat:* vbi vid. HARDVIN. *pag.* 366. *Tom.* II. *opp.* Quo et inprimis ſpectat illud VALERII MAX. *Lib.* VIII, *cap.* 7. *Extern.* 5. *Carneades cum Chryſippo diſputaturus, Elleboro ſe ante purgabat, ad exprimendum ingenium ſuum attentius, et illius refellendum acrius: quas potiones induſtria ſolidae laudis cupidis effecit appetendas*, vbi vid. *Varior. Not.* apud TORREN. *pag.* 735. item BAYLE *Dict. Hiſt. Crit. Tom.* II. *pag.* 59. *ſqq.* et MENAG. ad DIOG. LAERT. *Lib.* IV. *pag.* 184. Sic enim furentes PROETI filiae elleboro ſanatae ſunt a MELAMPO, vt ſupra dictum: ſic et HIPPOCRATES ad ſanandum

d) Aen. II.

dum DEMOCRITVM ab infanis Abderitis vocatus, CRATEVAE ῥιζοτόμῳ, cuius et fupra facta fuit mentio, fcribit, vt inter alias collectas herbas, maxime fibi quoque mittat Elleborum, rationem fupra pofuerat: νοσέειν γάρ φασιν αὐτὸν (Δημόκριτον) καὶ καθάρσιος μάλα χρήζειν ἐντὸς μανίης ἐόντα: immo ipfe DEMOCRITVS ita ad HIPPOCRATEM in Epiftola: ἐπῆλθες ἡμῖν ὡς μεμηνόσιν, ὦ Ἱππόκρατες, ἐλλέβορον δώσων. Apud LVCIANVM MENIPPVS e) ita adfatur vmbram TANTALI fitientem: ληρεῖς ὦ Τάνταλε, καὶ ὡς ἀληθῶς ποτοῦ δεῖσθαι δοκεῖς, ἀκράτουγε ἐλλεβόρου νὴ Δία, f) et apud eundem iuftus Rhadamanthus furentem Aiacem iubet πιόμενον τοῦ ἐλλεβόρου παραδοθῆναι Ἱπποκράτει τῷ κῴῳ ἰατρῷ: ibidem, quibusdam interiectis: ἠκούομεν δὲ καὶ περὶ Χρυσίππου, ὅτι οὐ πρότερον αὐτῷ ἐπιβῆναι τῆς νέσου (falfo, lege νήσου) θέμις, πρὶν τὸ τέταρτον ἑαυτὸν ἐλλεβορίσῃ. de quo modo in antecedentibus dictum. Vnde et nata funt adagia: πῖθ' ἐλλέβορον, vt apud ARISTOPHANEM, g) item ἐλλεβόρου δεῖσθαι: apud Latinos: *bibe Elleborum, Elleboro eft opus etc.* qualia paffim occurrunt apud fatyricos veteres, HORATIVM, IVVENALEM, PERSIVM, quaeque maximam partem allegauit ERASMVS h) in *Adagiis:* et inprimis HADR. IVNIVS in *Adag.* 95. *Cent.* I. *pag.* 1184. apud eundem ERASMVM, in *Append. Adagior.* item BAIERVS, *Adag. Med.* 37. *pag.* 81. *fqq.* et *Comment. ad Iuuenal. Satyram.* XIII, 95. apud HENNINIVM, vt et SALOM. CELLARII *Antiquit. Med. cap.* V. *pag.* 39. Quum vero in infula Anticyra optimus pronafceretur Elleborus, vt fupra docui, quique tutiffime fumi poffet, vt teftis eft PLINIVS; i) hinc illos, qui infania, morbo comitiali, alioue laborabant, eo profectos legimus. Tale de LIVIO DRVSO graui plebis tribuno refert dictus modo PLINIVS et ex eo GELLIVS. k) OVIDIVS fatum fuum immite et infperatum ftupefcens:

Littus ad Euxinum fi quis mihi diceret, ibis, l)
Et metues arcu ne feriare Getae;

K 3 *I, bibe,*

e) Dial. Mort. add. Tom. I. pag. 292.
f) l. II. Hift. Ver.
g) Vefpis.
h) Chil I. Cent. VIII. *in Stupidos.*
i) l. XXV. c. V.
k) l. XVII. c. XV.
l) de Pont. l. IV. El. III.

I, bibe, dixiſſem, purgantes pectora ſuccos,
Quidquid et in tota naſcitur Anticyra.

Hiuc et lepida illa prouerbia : *Nauiget Anticyram*, vt apud HORATIVM m) eſt, *Eat Anticyram etc.* ſed et PLVTARCHVS dixit: τὴν μανίαν ἡ Ἀντίκυρα θεραπεύει, vt multa hic mittam huius generis alia : n) Quo et illud inprimis pertinet, quod de ſuperbo illo inſanoque Medico, MENECRATE, refert AELIANVS, *L.* XII. *Var. Hiſt. cap.* 51. cui, quum ſeſe in *Epiſt. ad Philippum Maced.* Regem, vocaſſet ſtolide Iouem, hic ipſe ſanior et prudentior Rex ſalſe et facete reſpondebat: Συμβουλεύω σοι, προσάγειν σεαυτὸν ἐπὶ τοῖς κατὰ Ἀντίκυραν τόποις. ἠνίττετο δὲ ἄρα διὰ τούτων, ὅτι παραφρονεῖ ὁ ἀνήρ, vbi vid. *Varior. Not.* apud cl. ABR. GRONOV. *pag.* 812. Egregie quoque huc PLVTARCHVS, *Lib.* VI. *Sympoſ. Quaeſt.* 7. *pag.* 693. ἄνθρωπος φρενετίζων καὶ μαινόμενος ἀλλ᾽ ὅταν ἐλλεβόρῳ χρησάμενος, τὸ μὲν σφόδρον ἐκεῖνο καὶ σύντονον οἴχεται, καὶ γέγονεν ἐξίτηλον· ἡ δὲ ἀληθινὴ δύναμις καὶ σωφροσύνη παραγίνεται τῷ σώματι. Nec minus ſcitum et appoſitum illud prudentis matris CHAROPES conſilium ad prurientem ſuam filiolam, apud ALCIPHRON. *Epiſt.* 2. *Lib.* III. *pag.* 276. Μέμηνας, ὦ θυγάτριον, καὶ ἀληθῶς ἐξέστης· ἐλλεβόρου δεῖσοι, καὶ οὐ κοινοῦ, τοῦ δὲ ἀπὸ τῆς φωκίδος Ἀντικύρας, vbi vid. BERGLERI *Obſeruat.* item LEONIS ALLATII *Notas, ad Epiſtolas Socraticas, pag.* 171. et Interpretes Petronianos, ad illud ſcitum dictum, iam ſupra laudatum : *ter Elleboro animum deterſit*, vt plura taceam. Puto igitur ex hactenus dictis clare ſatis patere, quod *prudentia ſub Molyos, ſeu Ellebori icone haud inepte adumbrari queat*, praeſertim quum tot accedant veterum teſtimonia. EVSTATHIVS, ne eius plane obliuiſcar, de quo hic vid. POSTEL. *ad Homer. pag.* 380. *ſqq.* vagatur hic extra oleas, quum τὸ μῶλυ per παιδείαν interpretatur, ita vt per nigram radicem innui putet difficile et obſcurum doctrinae initium, per florem autem album, finem poſt ſuperatos difficultatum ſcopulos iucundum et doctrinae perſpicuitatem. Ipſum tamen EVSTATHIVM, in hac Molyos explicatione, hic ſequutus eſt nouiſſime ANGELVS MARIA RICCIVS, *Diſſertat. Homeric.*

m) Serm. l. II. conf. Eraſm. Adag. n) περὶ Ἀδεγνα.

meric. LIV. *Volum.* III. *pag.* 123. Sed generatim, iſtae quidem Diſſertationes ſunt maximam certe partem, declamationes ſcholaſticae paraeneticae, et Homiliae quaſi in Homerum ethicae et religioſae, teneris adhuc Tironum animis formandis, quam ad augendam doctorum virorum ſcientiam, aut ſitim diſcendi noui quidpiam cupidorum reſtinguendam aptiores et commodiores: quod tamen pace cl. Auctoris, candide hic monitum ſit. VLISSES enim hic non παιδείᾳ, ſed σοφίᾳ potius atque βȣλῇ indigebat: In eandem ſententiam, aut ſi mauis, errorem iuit quoque THEMISTIVS, o) cum LIBANIO, *Progymn. pag.* 15. ſed eo magis excuſandus, quod oratorem agit, non commentatorem, quin immo laudandus ex parte, quod ἑρμῆν non aeque ac EVSTATHIVS ſupra ea de re notatus per λόγον, ἀλόγως fere explicuit, ſed per Deum πάσης σοφίης δοτῆρα. Sic et MAXIMVS TYRIVS p) ſpem bonique expectationem intelligi putat ſub Moly Homerico itidem arte oratoria dicamne vſus an abuſus? Alibi tamen, *Diſſ.* nempe XVI. *pag.* 166. τὸ Μῶλυ rectius exponit per ἀρετὴν, vbi tamen, vt id obiter moneam, pro ἐκ κίρκης, ex MSt. cum DAVISIO, melius legendum ἐν κίρκης, ſcil. οἴκῳ, vid. *Not. Var.* ad DIONYS. LONGIN. *p.* 66. et VALKENAR. ad *Herodot. pag.* 587. Sed nec ſcopum hic attigit PHILOSTRATVS, quando in *Heroic. prooem. pag.* 665. ipſum Moly per eloquentiam et ſtudiorum cultum, nimis vage explicat: de quo vid. BARNES. ad hunc ipſum noſtrum HOMERI locum. Omnium autem minime hic audiendus laſciuus *priapeiorum Auctor*, qui ingenio non malo male abuſus, ipſum Moly, ob florem lacteum et radicem nigram, per particulam illam ſalacem virorum exponit, ad permolendas Veneres quam amolienda Venena, aptiorem. Tandem et nullus dubito, quin LVCIANVS hunc HOMERI locum reſpexerit ſimulque, vt ſolet, irriſerit; ſic enim refert de RHADAMANTHO fatorum ſeriem ſibi ſciſcitanti percontantique exponente: τοσαῦτ' εἶπε καὶ ἀνασπάσας ἀπὸ τῆς γῆς μαλάχης ῥίζαν ὤρεξέ μοι ταύτην, κελεύσας ἐν τοῖς μεγίστοις κινδύνοις ταύτῃ προσεύχεσθαι. Manifeſtius autem ad hunc ipſum Homericum locum alluſit NICETAS MONIATES, in *Annal.*

pag.

o) Orat. XXVII. p) Diſſ. XIX. q) l. II. Hiſt. Vet.

pag. 174. vbi de ANDRONICO Imp. agit, deo hominibusque iuxta inuiſo, et ab vtrisque deſerto, ac denique miſerando ſuo exitio non immerito deſtinato. Sic autem ille ſcribit de iſto infeliciſſimo Imperatore, conſilii prorſus inope: Τὸ Μῶλυ τὸν Ἑρμῆν ἐπιλέλοιπε, τοῦ Θεοῦ μηνίσαντος, *Moly Mercurium deſtituit, Deo ipſo irato:* prouerbiali quaſi locutione. Sed forte hic memoriae lapſu, ipſe NICETAS ſcripſerit Ἑρμῆν, pro Ὀδυσσέα, vti ſcribere ſane debuiſſet. Θεὸς enim μηνίσας, hic ipſe eſt Ἑρμῆς, ſeu *Mercurius*, Molyos inuentor atque largitor: at qui Moly ab ipſo accepit, eiusque auxilio deſtitutus dicitur, eſt potius VLYSSES.

§. XVIII. Sed VLISSES hoc diuino inſtructus dono, hac inquam *prudentia* praeditus CIRCEN adit: quae, licet eum ſuis etiam blandimentis et illecebris circumuenire, parique ac ſocios, modo in ſordidum imbellemque transformare velit porcum, fruſtra tamen agit. Eſt enim VLISSES νοῦν ἔχων καὶ λογικὸς, vt loquitur PLVTARCHVS et EVSTATHIVS, r) quique ſcit voluptate non vt domina ſed vt ſerva vti, prout ſapientes ſolent. χρώμενοι μὲν τῇ ἡδονῇ, μὴδὲ προεκφερόμενοι ὑπ' αὐτῆς, vt acute dixit ARISTIPPVS, apud STOBAEVM, *Serm.* XVII. *pag.* 157. Egregia hinc iſta EVSTATHII: ὑπεριγίνεται αὐτοῦ (ὀδυσσέως) ἐκείνη (ἡδονὴ) καθὰ καὶ τῶν ἑταίρων, οὐ γὰρ αἰδρείῃσι κατ' ἐκείνους ἕπεται, συνὼν δὲ καὶ χρώμενος ἐπιστημόνως αὐτῇ κατὰ λόγον ὀρθὸν, αὐτός τε ἄνθρωπος μένει, καὶ ἐκείνους λύεται σώζων, et paullo poſt: οὐ πάντη ἀπαξιώσας (ὀδυσσεὺς) τὴν ἡδονὴν, ἀλλ' ἀσφαλισάμενος ἑαυτὸν φιλοσόφως εἰς τὸ σωφρόνως καὶ ἀβλαβῶς μετ' αὐτῆς γενέσθαι. Hinc et CIRCEN adigit, vt ſocios ſuos reddat humanitati; quod et ipſa non recuſat, certe non debebat ob prudentis VLISSIS praeſentiam, et porcellis iſtis humanis ex haris eductis peculiare adfricat medicamen ſiue vnguentum, cuius virtute ſetae defluunt, priſtina redit forma et humana facies. Hoc antiporcinum, vt ita loquar, medicamentum, ſcite, opinor, ita exponit EVSTATHIVS: τὸ μέτριον τῆς τρυφῆς ὅσον εἰς σωμασκίαν στρατιωτικὴν καὶ ζωογόνον τρυφήν. Tandem de ſociis recens natis atque mutatis tam auguſte loquitur HOMERVS:

Ἄνδρες

r) παραγγ. γαμικ.

Ἄνδρες δ' αἶψ' ἐγένοντο νεώτεροι ἢ πάρος ἦσαν,
καὶ πολὺ καλλίονες καὶ μείζονες εἰσοράασθαι.

Supra quae eximia plane est EVSTATHII meditatio: ἐπείπερ ὃς μετὰ πεῖραν κακίας εἰς ἀρετὴν ςραφέντες, βελτίους ἑαυτῶν γίνονται, μαθόντες τὸ καλὸν οἷς (lege potius ὡς) κακῶς ἔπαθον. Breuibus: voluit HOMERVS hacce in fabula, homines *tum caeco impetu, in voluptates ruentes;* tum iisdem *temperanter et cum ratione vtentes* proponere, atque simul indicare damna et pericula priorum, quos in pecora versos fabulatus: et posteriorum securitatem et inconcussam quietem, sub effigie VLISSIS *prudentia et temperantia* a Deo instructi tuto ad CIRCEN euntis nihilque aduersi passi. Conf. huc XENOPHONTIS, *Lib.* I. *Memorab. Socratis, pag.* 571. de quo loco et supra. item DIONIS CHRYSOST. *Orat.* VIII. *pag.* 134. et LXXVIII. *pag.* 660. quos eximios locos hanc in rem, etiam iam supra merito laudauimus: quibus add. Auctoris Graeci incerti *Libell. de Vlixis, Erroribus, Cap.* V. *p.* 25. *sqq.* ibi cl. Editoris, COLVMBI *obseruat. p.* 108. *seqq.* Ceterum peculiare est, quod hic omittere nolim, quod Etymologicum M. vt et ipse PHAVORINVS, hanc humanae faciei restitutionem non CIRCAE, vt HOMERVS putat cum ceteris Molyos mentionem facientibus; sed VLISSI eiusque diuinae plantae a Mercurio porrectae tribuit, sic enim: Μῶλυ εἶδος βοτάνης ὅπερ δέδωκεν ὀδυσσεὺς τοῖς ἑταίροις αὐτοῦ καὶ ἀπεκατέστησεν αὐτοὺς ἀνθρώπους ἀπὸ τῆς ἀλλοιώσεως τῆς κίρκης.

§. XIX. Sicque demum paucis explicatum est *Moly Homericum* cum reliquis *ad fabulam Circaeam spectantibus.* Sane omnem ego, quantum quidem in me fuit, moui lapidem, vt eam illustrarem et verum, sed latentem, eruerem sensum. Ast nimius, forte inquies, fuisti in allegandis veterum testimoniis: Fui, inquam, multus quidem, sed non nimius, immo, si tibi visum, nimius quoque, ex necessitate, non ostentatione nec vana eminendi cupidine. Quis enim solidi quid et veri, aut certe quod verisimile videatur, inueniat ac demonstret in tam abditis veterum allegoriis, nisi accesserint ipsorum veterum testimonia? Hoc scias velim mi lector, me non communi multorum more, scriptores veteres allegasse nunquam mihi visos: sed quoscunque ego

 produxi,

produxi, vel ipſe habeo, vel aliunde petitos, vidi, euolui, exſcripſi, quae in rem meam. Errores quosdam hic irrepſiſſe, nec audacter nego, nec trepide adfirmo; illud enim hominis eſt frontis aeneae, immo nullius (quis enim hoc a ſe putet alienum, quod indicat nos eſſe mortales, quod nobiſcum et in nobis naſcitur?) hoc, male ſibi conſcii; vtrumque fugio. Sed ſufficit! Finio cum vetere epigrammatographo graeco ſupra iam aliquoties allegato, qui Circaeam fabulam eodem fere ac nos modo, ſed breuibus, explicuit: s)

Τὴν κίρκην οὔ φημι, καθὼς εἴρηκεν ὅμηρος t)
Ἀντ' ἀνδρῶν ποιεῖν ἤ σύας ἠὲ λύκους
Τοὺς αὐτῇ προσιόντας. ἑταίρα δ' οὖσα πανοῦργος
Τοὺς δελεασθέντας πτωχοτάτους ἐποίει.
Τῶν δ' ἀνθρωπείων ἀποστυλήσασα λογισμῶν,
Εἶτ' ἀπὸ τῶν ἰδίων μηδὲν ἔχοντας ἔτι,
Ἔτρεφεν ἔνδον ἔχουσα, δίκην ζώων ἀλογίστων.
Ἔμφρων δ' ὢν ὀδυσσεὺς, τὴν νεότητα φυγὼν,
Οὐχ ἑρμοῦ, φύσεως δ' ἰδίας δώρημα λογισμὸν
Εἶχε γοητείας φάρμακον ἀντίπαλον.

T A N T V M.

COLO-

s) Verſio Latina ſoluta atque metrica, belliſſimi huius Epigrammatis graeci, legitur in ipſa *Anthologia*, et apud ANDR. RIVINVM. Aliam vero metricam non minus ſcitam eiusdem verſionem MATTHIAE BERGII, exhibet SITZMANNVS, in Notis ad BOETHII *Lib.* IV. *de Conſol. Philoſ. pag.* 251. nouam denique, iſtaque Bergiana adhuc accuratiorem, nuper nobis propoſuit Cl. COLVMBVS, in *Not. ad Anonym. de Vlyſſis erroribus, pag.* 112. In vernaculum denique metrum idem Epigramma coëgit, et re vera coëgit, POSTELIVS, in *Notis* ad *Homeri Iunonem aſtutam, pag.* 382. Sed hodie eheu! vix Latina intelliguntur, nedum Graeca, vt notum.

t) Antholog. l. I. Cent. VI. C. LXXII. Add. *Anthol. Graec. Nou. Reiskian. L.* II. *Epigr.* 636. *pag.* 105.

COLOPHON.

Hippocrates legit Homerum u)
Homerus non vna vſus eſt dialecto. x)
Romana Euſtathii editio tanti facienda non eſt. y)
Heſiodus Medicinae fuit peritus. z)
Anacreon non omnia ſcripſit dialecto Ionica, contra Suidam. a
Poëtae fiunt non naſcuntur.
**

L 2 HIPPO-

u) Vid. ipſius *Libr. de Articul.* et in *Mochl.* add. EROTIAN. in *praefat. Gloſſ. Hipp.* item FOES. *Oecon. Hipp.* paſſim. et GALEN. Conf. SCHVLZII *Hiſt. Med. pag.* 281. et *Epiſt. noſtra Med. Crit. ad Freind.* vbi plura.)

x) Vid. MAX. TYR. *Diſſ.* XVI. et *Auctor. Vitae Homer.* in *Collect. Myth. Thom. Gale. pag.* 289.)

y) Propter multos ſcribarum et Typographorum errores, vt ſupra paſſim oſtenſum.)

z) Teſtis huius CLEODEMVS Medicus eſt, apud PLVTARCH. *Sympoſ.* VII. *Sapient. pag.* 95. PLINIVS quoque eum de Polio aliisque herbis, ſcripſiſſe, paſſim teſtatur: quae tamen negat FABRICIVS, *Bibl. Gr. L.* II. *c.* 8. *pag.* 381. forte ſine cauſſa.)

a) Vid. BAXTER. ad *Anacreont.* contra BARNES. CASAVB. *Lect. Theocr. Cap.* II. et *Ep. noſtr. Med. Crit. ad Freind.*)

** Primum hoc Vitae meae, Academicae iuuenilis ſpecimen publicum ſupra ſpem aut expectationem, multos inuenit amatores ac laudatores, interque hos potiſſimum, magnum illum Botanicum ac Medicum, RIVINVM, tum doctorem et praeceptorem meum venerandum, quo etiamnum in ipſa ſera ſenectute, vehementer laetor gloriorque: qui non ſolum publice illud impenſe laudabat; ſed et priuatim memet blande ſerioque admonebat, vt in hoc amoeniſſimo ſtudiorum genere, pauciſſimis hodie trito, ſtrenue pergerem, atque ſic veterem Rem herbariam porro diligenter illuſtrarem. Taceo iam MENCKENIOS, OLEARIOS, MENZIOS, RICHTEROS aliosque plures Molyos mei laudatores, inprimis cl. GESNERVM, qui illud in *Theſauro Latinitatis*, publico elogio ornauit. Dudum quoque a me noua eiusdem Editio ſaepius deſiderata fuit. Extitit tamen eodem tempore, non nemo ex nouellis philoſophis, qui de illius vtilitate dubitaret: haud bene perpendens, eo ipſo tamem Rem illuſtrari herbariam, cuius vſus, ſi recte illa et ſobrie, nec nimis ſubtiliter, vt hodie ſaepius, tractetur, negari omnino nequit. Ipſe interim his ipſis non meliora aut vtiliora tum promebat, quin potius in optimos Autores Veteres conſcribebat Notulas non ſemper optimas. Poſtea vero ad ſanctius officium euectus, melioribus et vtilioribus ſcriptis inclaruit. Sed haec ipſius pace, tantum in illius temporis, poſt 50. annos, memoriam.

HIPPOCRATES
ATHEISMI FALSO ACCVSATVS
CONTRA
VIRVM AMPL.
D. NICOL. HIERONYM. GVNDLINGIVM,
P. P. HALENS.
AVCTORE D. W. T. D.
CVIVS ET ACCESSIT RESPONSIO AD ILL. ET CELEB. VIRVM,
IOANNEM CLERICVM.

Scribebat *Iuuenis Septemdecim Annorum, Lipſiae,* 1713. Curabat deſcribi 1719. Recenſebat denuo, plurimum vbique augebat et emendabat *Senex Septuaginta Annorum, Wittebergae,* 1765.

TERENTIVS PHORMIONE:
Nihil eſt,
Quin male narrando poſſit deprauarier.

VIRO
SVMME REVERENDO ATQVE ILLVSTRI
IO. ALBERTO FABRICIO,
S. THEOL. D. ET P. P. HAMB.
AVCTOR.

Quae diu intra priuatos delituit parietes, nunc demum in lucem prodit *opella haec Anti-Gundligiana.* TIBI eam inſcribere, ex eo iam, quo illam compoſui, tempore, animus fuit. Feci duplici de cauſſa, vna communi; altera ſingulari. Communis eſt, quia TV hodie ſolus fere es in Germania (citra adulationem loquor) humaniorum et graecarum inprimis litterarum praeſes et ſtator; quales olim in eadem fuerunt PHILIPPVS MELANCTHON et IOACHIMVS CAMERARIVS, Viri memoriae numquam interiturae. Ad Te ſolum, par eſt, vt referatur, quidquid in amoeno hoc ſtudiorum genere aut ſuſcipitur,

ſcipitur, aut tentatur, ceu ad aequiſſimum iudicem et digniſſimum arbitrum. Singularis autem eſt, ipſum illud ſolidiſſimum iudicium, quod de cl. GVNDLINGII ſcripto tuliſti in *Bibliotheca Graeca*, immenſae frugis et ſtupendae eruditionis opere. Hoc enim permotus, illud cum cura legere coepi, ſcripſi contra illud, perrexi, perfeci tandem. Iure igitur TIBI hic reddo, quod monitu veluti TVO et iuſſu effectum eſt. Tutare leuem hanc Exercitationem contra ſiniſtra, quae praeuideo, maleuolorum cenſorum iudicia, et vitilitigatorum cenſuras; et ſi qua offendis, quae TIBImet ipſi minus probentur, pro virtute TIBI propria, i. e. humanitate, aut tege, aut mone: Tam cito certe non monueris errantem, quam cito ego monentem ſequar. Vale VIR SVMME, in orbis commodum, Vrbis Tuae decus, et muſarum graecarum hodie nimis proh dolor! faſtiditarum ſingulare praeſidium, mihique illum fauorem, quem per humaniſſimas litteras mihi ſaepius iam declaraſti, *) aeternum ſerua. Scripſi Lipſiae cIɔIɔCCXVIII. die Nou. vltimo.

INTRODVCTIO.

HIPPOCRATES, quem omnia iure ſaecula laudarunt, et ſi qua ſint futura, laudabunt; hactenus breuiloquii tantum et obſcuritatis cuiusdam (quo iure, alibi erit diſpiciendum) fuit a quibusdam accuſatus: nunc vero, decennium eſt, et quod excurrit, Atheiſmi, pudet dicere, accuſari quoque coepit. Idque vnius, quod mireris LECTOR, Viri eruditi auſu, aut luſu potius atque *Otio* factum eſt. Rem Tibi omnem pandam: Edidit Vir ampliſſimus NICOL. HIERONYMVS GVNDLINGIVS *Otia*, ſiue Exercitationes quasdam philoſophici,

*) Sibi vero ipſi nec hanc opellam noſtram, quamuis tenuem ac iuuenilem, nec illius dedicationem, diſplicuiſſe, quin potius eam ceu aſſenſu ſuo prorſus dignam, vehementer placuiſſe; ipſe ILL. FABRICIVS, paullo poſt, non ſolum per litteras humaniſſimas, ingenue mihi teſtatus eſt priuatim; ſed et poſtea, publice quoque, non ſine inſigni noſtri laboris elogio, candide profeſſus fuit in ſuo immortali opere, *Bibliothec. Graec. Vol.* XIII. *Lib.* VI. *cap.* 9. *pag.* 191. vbi et in ſeqq. in eruditiſſimis praeſertim Notis IO. STEPHANI *Theologiae Hipp.* adiectis, per omnes fere paginas, diligentiſſime oſtendit, ipſum Hippocratem fruſtra et inepte Atheiſmi fuiſſe accuſatum.

phici, historici et mixti argumenti, quarum *Part.* II. *Cap.* III. inscriptum est HIPPOCRATES Ἄθεος. Ibi omnes ingenii, quotquot habet, intendit neruos, vt probet, optimum et pientissimum senem pessima illa Atheismi peste fuisse contaminatum. Hocque tanta sui egit cum fiducia, vt ita scribere nullus prorsum veritus sit: *Hippocrates Atheis adscriptus, est paganus, et iam diu fato suo functus, ita vt mihi persuadere haud possim, futurum quempiam, qui mihi grandem ea de re scribat dicam, aut vnum ex eius posteris, qui me in ius rapiat etc.* Quantulum autem hoc argumentum ponderis habeat, in aprico esse arbitror. Nam esto, HIPPOCRATEM fuisse paganum, esto, eum diu iam ad plures abisse: an exinde quaeso sequatur, eum pro lubitu esse traducendum, eiusque famae tam indelebilem notam esse inurendam? quasi vero mortuo leoni sit insultandum, et HERCVLES vel post fata HERCVLES non maneat! Et licet *nec de Graeciae salute, aut Apostoli fama,* vt alibi μυκτηρίζων loquitur cl. GVNDLINGIVS, *disceptetur:* sermo tamen est de homine ciuiliter, vt sic dicam, bono, immo de vniuerso humano genere, quid enim sanitate pretiosius? optime merito, quem citra rationem laedere, nec fas sinit, nec ius permittit. Equidem concedo, vt postulat Vir Cl. quadamtenus, non existenti nullam inferri posse iniuriam: Nam quod numquam extitit, numquam affici potuit; at illud aegre huc quadrat. Etsi enim non amplius existit HIPPOCRATES; extitit tamen aliquando, et fama fuit super aethera notus. Potest igitur omnino ipsius famae, quae adhuc superat, et per tot illustrium virorum suffragia et testimonia, nouas indies adquirit alas, per detestandam Atheismi imputationem, labes virulenta adfricari, adeo, vt illi, qui hactenus HIPPOCRATIS obscuritatem suae somnolentiae ceu peripetasma, obtenderunt, nunc in Atheismo ipsi imputato, eiusdem simul inueniant tutamentum. Nam certe per Cl. GVNDLINGIVM, illi imposterum laudem merebuntur maximam, qui se religiosa scilicet mente, ab HIPPOCRATIS lectione penitus abstinebunt; quam tamen vt saluberrimam et optimae frugis plenissimam, omnibus et Medicis, et Philosophis ceterisque doctis, sedulo potius commendare addecebat: Est enim HIPPOCRATES vere ille,

Qui genus humanum ingenio ſuperauit, et omnis
Praeſtinxit, ſtellas exortus vti aetherius ſol,
Quique per artem,
Fluctibus e tantis vitam tantisque tenebris,
In tam tranquillo, et tam clara luce locauit.

Hoc igitur ſpiſſum praeiudicii glaucoma vt iis abſtergerem, qui

Omnia magis admirantur, amantque
Inuerſis quae ſub verbis latitantia cernunt,
Veraque conſtituunt, quae belle tangere poſſunt
Aureis, et lepido quae ſunt fucata ſonore.

Vtque veritati, cui vnice milito, ſuus conſtaret honos; HIPPOCRATEM *praeſenti Exercitatione* defendere, et ex *decennali*, vt ſic loquar, *Atheiſmo* manu non leuibus, vt ſpero, argumentis armata, eripere, operae viſum fuit pretium,

Ne eum circumuentum inique iniqui irrideant.

De eruditis enim et emunctae naris hominibus, certus ſum atque ſecurus, neminem eſſe, fuiſſe, aut fore, qui nouae huic et infirmae Cl. GVNDL. opinioni aut ſuffragetur, aut ſuffragatus ſit, aut ſuffragabitur: quum quotquot illius fecerunt mentionem, eam non tantum non adprobarint, ſed et adeo cum ſeuera cenſura dimiſerint. Celeb. FABRICIVS *Bibl. Graeca L.* II. *c.* XXIV. *pag.* 843. Cl. GVNDLINGII argumenta vocat *minime certa atque euidentia, qualia in tam graui criminatione merito deſiderentur.* Quod et poſtea vberius et luculentius probauit in eiusdem *Bibl. Graec. Vol.* XIII. *Lib.* VI. *cap.* 9. *pag.* 191. et praecipue in doctiſſimis Obſeruationibus *Io. Stephani Theologiae Hipp.* a ſe copioſe vbique adiectis, quibus ficulnea argumenta Gundlingiana vndique penitus proſternit et explodit, noſtraeque ſententiae in contrarium, potiſſimum accedit, vt iam ſupra monitum a nobis fuit. Quod et pari in nos, aut rectius, in ipſam veritatem, amore, ſtrenue fecit ill. IO. CLERICVS, *Bibl. Vet. et Nou. Tom.* XV. *pag.* 428. *ſqq.* et *p.* 438. vbi hunc noſtrum Libellum impenſe laudat: Conf. cel. MOSHEM. ad CVDWORTH. *Syſtem. Intellect. Cap.* III. *pag.* 104. *ſqq.* imo ipſe CVDWORTH a nobis non alienus. Summe Reuerendus BVD-

DEVS

DEVS *Hippocrati sine sufficienti ratione Atheismum a Cl. Viro fuisse obiectum* pronunciat, *Tract. de Atheism. Cap.* I. §. XX. *pag.* 77. adde omnino *Not. pag.* 84. Haec magni illi Duum-Viri, breuiter quidem, sed solide et vere. Qui Cl. GVNDLINGIO data opera contradixisset, eiusque argumenta trutinasset, aut trutinare voluisset, praeter Cl. GOELICKIVM, noui certe neminem. Is enim Duisburgi, 1713. e cathedra publice contra ipsum declamauit, illamque declamationem mox publici quoque iuris fecit. Sed quid ibi praestiterit GOELICKIVS, ex responsione Cl. GVNDLINGII *Bibl. Nou. Halens. Part.* XXIX. inserta, iam experiemur: *E tota,* ait ibi Cl. Vir, *quam publice* GOELICKIVS *recitauit, oratione luculenter elucet, eum dissentire quidem a me, non autem soluisse dubia, vel declinasse exceptiones, quas plena manu in medium attuli.* Non penitus, vt fatear verum, errauit hic Cl. GVNDLINGIVS: Nam praeter generalia quaedam vix quidquam illa Apologia tractat, vt taceam eum eodem, ac GVNDLINGIVS fecit, modo, erroneam circa *nomen Naturae* HIPPOCRATI opinionem adscripsisse; de qua in hoc ipso opusculo plura. Dicet quidem hic, credo, Cl. GOELICKIVS: Oratio est, quae vt omnia accurate et verbose persequerer, non permisit: Sed, si licet, respondeo, defensionem pro prisco quodam Auctore, vbi ipsa illius verba et loca controuersa sunt alleganda, eorundemque verus ac natiuus intimusque sensus est eruendus, resque philosophice tractanda est, angustis et circumscriptis oratiunculae limitibus, vbi et auditorum, temporisque et sermonis nitoris vtique ratio est habenda, commode includi vix posse. Non autem erat, quod ea propter triumphum caneret, atque intumesceret Cl. GVNDLINGIVS, illas enim, quas plena manu in medium attulit exceptiones, plena quoque manu, si cum illo gloriari liceat, e medio sustuli.

Triennium quidem fere iam est, ex quo hanc defensionem conscripsi, et hinc quaedam, quae tum admodum adolescens, XVII. nempe Annorum, vel superflua, non diffiteor, addidi, vel peregrina, vt videbuntur, admiscui, iam rescindere potuissem, vel expungere. Sed neutrum volui, quia et illa cum fructu quodam legi posse augurabar: imo etiamnum auguror, senex iam septuagenarius.

Ceterum

Ceterum Cl. GVNDLINGIVS haud aegre, ſpero, feret, quod contra ipſum ſcripſi: vſus enim eadem ſum libertate in excuſando, qua ipſe in accuſando, HIPPOCRATE; accedit, quod ipſe Vir Cl. illud non improbauit, ſed conceſſit potius, quin et inuitauit, ſi quispiam rationibus in contrarium inſtructus, modeſte accederet: quod quanta cum cura a me fuerit obſeruatum, ex ipſo meo opuſculo ſatis liquebit.

Haec quae praemitterentur, quaeque LECTOR ſcires, viſa ſunt. Nunc

Quod ſupereſt, vacuas aureis mihi, - - et TE
Semotum a curis adhibe veram ad rationem,
Nec mea dona TIBI ſtudio diſpoſta fideli,
Intellecta prius quam ſint, contemta relinquas.

§. I.

Quod primo ad *nomen Athei* attinet, adſerit Cl. GVNDLINGIVS, recenſitis prius variis huius nominis ſignificationibus, ſe per Atheum illum potiſſimum intelligere, qui negat, DEVM hoc vniuerſum condidiſſe, quod EPICVRVS feciſſe dicitur; ſed haud plane creditur a magno ipſius defenſore, GASSENDO, *Tom.* I. *de philoſoph. Epicuri, pag.* 330. *ſqq.* et paſſim alibi, in eximio iſto Opere. Porro, qui DEVM et mundum ſeu materiam confundit, vt accuſatur Spinoza. Sed hanc definitionem ad *Naturaliſtam*, vt loquuntur, Atheo quidem adfinem, potius pertinere, nemo eſt qui non perſpiciat. Tantum autem abeſt, vt illorum agam cauſſam, vt potius dicam, priorem ingenio ſuo abuſum, poſteriorem vero eodem haud *infoecundo quidem*, vt ſumme reuer. BVDDEVS loquitur, malitioſe vſum et per ſuas demonſtrationes geometricas in deuia ſeductum, cauſſam efficientem confudiſſe cum cauſſa materiali, et immateriale miſcuiſſe cum materiali, non cogitantem illud SALLVSTII, Πόθεν ἡ τάξις τῷ κόσμῳ, εἴπερ μηδὲν ἦν τὸ τάττον; quod praeter alios multos, ſolidiſſime inprimis contra ipſum SPINOZAM, oſtendit IO. BREDENBVRG, Ciuis Roterodamenſis, vt et euidentiſſime et copioſiſſime PETR. BAYLE, *Dict. Hiſt. Crit. Tit.* SPINOZA, *Tom.* IV. *pag.* 258. *ſqq.* et *pag.* 268. *ſq.* Conf.

M et

et huc BRVCKERI *Hist. Crit. Philosoph. Tom.* IV. *Part.* II. *pag.* 693. *sqq.* et BVDD. *diss. de Spinozismo ante Spinozam.* Aliam ergo Athei definitionem seu conceptum lubet suggerere breuem quidem, sed verum, nisi fallor, et iustum. Scilicet dixerunt Stoici, teste DIOGENE LAERTIO, [a]) διττὸν εἶναι τὸν ἄθεον, τόντε ἐναντίως τῷ Θείῳ λεγόμενον, καὶ τὸν ἐξουθενητικὸν τοῦ Θείου, *duplicem esse Atheum, tum eum, qui contrarius dicatur Deo, tum eum, qui Deum prorsus habeat pro nihilo;* non, *qui adspernetur,* vt male τὸν ἐξουθενητικὸν expressere in STEPHANI Editione: illud enim ex hac quidem versione, idem fere esset ac praecedens ἐναντίως τῷ Θείῳ λεγόμενον. Quod licet neget BVRGMANN, in *Diss. de Stoa a Spinozismo et Atheismo exculpanda, pag.* 24. nihil tamen solidi in contrarium attulit, inprimis, quum τὸ Θεῖον non per Deum, sed diuinum frustra explicet. Nunc ad ipsa verba: priora apta satis ac sufficientia ad exprimendam de Atheo ideam contendimus: frustra licet negante Auctore *Diss. de Hipp. op. barb. neg.* Est itaque Atheus ὁ ἐναντίος τῷ Θείῳ, seu quod idem, τῷ Θεῷ, qui DEO si non semper manifesta voce, propter metum nempe hominum, malae famae, aut et poenae; at semper tamen intellectu, voluntate, et Vita inprimis ipsa, aduersatur, h. e. qui ipsius sapientiam, potentiam, veritatem, iustitiam, prouidentiam, et quae sunt *attributa,* vt Theologi loquuntur, alia, non omnia negat quidem prorsus quod vix potest, propter sanam rationem et conscientiam internam; sed minora tantum et inferiora putat, ac re sunt vera, et ita διὰ τὸ φαύλους καὶ μηδὲν ἡμῶν βελτίους ἡγεῖσθαι τὴν φύσιν εἶναι τοὺς Θεούς, vt apud Porphyrium legitur: [b]) Hinc que ipsi ex mobili perversae mentis leuitate ac caecitate, singularem rerum humanarum curam et gubernationem imprudenter impudenterque eripit, aequa iustaque Virtutum ac Vitiorum praemia post hanc Vitam aliquando futura, proterue denegat, quoniam vel ipsam animae immortalitatem impie in dubium vocat: et ipsum denique Caelo veluti suo inclusum, in se ipso tranquille quasi et otiose quiescere, ac securum tacitumque aeuum sic agere, stolide iudicat. Ex quo contemtu, seu minori, ac par erat, DEI aestimatione, pessima deinceps ac horrenda

a) *Zenone.* b) *Lib. II.* περὶ Ἀποχ. ἐμψύχων.

renda oriuntur vitia, ἀσωτία, effrenata libido, οἰνοφλυγίαι, κῶμοι, σαπροὶ, seu vt ap. EVRIPIDEM est σαθροὶ λόγοι, ἐπιορκίαι et alia huiusce-modi centena, quorum multa recensent St. PETRVS et PAVLLVS. c) Quod ad posteriora verba, ea potius ad brutum, quam hominem pertinent, vti et pie sapienterque loquuntur Viri maximi GROTIVS, BENTLEIVS, CVDWORTH, GREW, RAIVS, BOYLE, MORVS, PARKERVS, NICHOLS, CLARCKIVS, IABLONSKI, CLERICVS, DERHAM, et BVDDEVS, aliique plures, qui turpissimam Atheismi stultitiam strenue impugnarunt, qui enim DEVM esse plane negat, ille non est Atheus, sed insanus et omnibus orbus sensibus, nec hominis nomine, vt dixi, dignus. d) Hinc et talis Hieropsaltae dicitur נבל h. e. vt LXX. senes optime reddunt, ἄφρων, insipiens, stultus, de quo plura legas apud FROMMANNVM, *in Dissertationibus de Atheo stulto.* Ceterum ex ista Hebr. voce נבל *Nabal*, deducendum mihi videtur Lat. *Nebulo* aliter licet sentientibus FESTO, VOSSIO, MARTIN. et aliis. Vt enim hic nihil dicam de lege illa mortalium pectori inscripta, seu ἐμφύτῳ γνώσεως Θεοῦ idea et obscuris post lapsum lineis, a multis quidem priscis aeque ac recentioribus in dubium vocatis, certis tamen ceteroquin, vt solide demonstrauit Summe Rev. BVDDEVS: e) praesertim vero Ven. SHERLOCK, in praestantissimo et vtilissimo Tractatu, *de Immortalitate Animae et Vita aeterna, Sect.* III. *pag.* 113 *sqq.* vsque ad finem, certe cuilibet, qui non prorsus obbrutuit, ex mira hac concinnaque huius vniuersi structura, ex signis coelestibus, tum duobus illis magnis; tum ceteris innumerabilibus haud paruis; breuibus: ex rebus creatis omnibus innotescet, non esse hominis de mortali semine nati, haec omnia produxisse, eaque tam diu, ordine non interrupto, aut turbato conseruasse ac gubernasse, et adhuc gubernare. Vid. huc inprimis STEPHANI *Theol. Hipp. cap.* I. *p.* 194. et qui de Mundi opificio scripserunt, vt GREGOR. NYSSEN. BASIL. M. THEODORET. AMBROS. LACTANT. PHILO. IVD. Hoc est, quod et PAVLLVS f) vult, quum dicit: τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ paganis

M 2 fuisse

c) I. *Ep. c. IV. adde Rom. I,* 29. *sqq.*
d) *Ps. XIV. et LIII.*
e) *De Ath. C. V. §. I. Not.*
f) *Rom. I,* 19.

fuisse φανερὸν nempe ἀπὸ κτίσεως κόσμου; quicum conferri poterit, quod PLVTARCHVS in hanc rem differuit libro *de Philosophorum placitis I. cap.* VI. πόθεν ἔννοιαν ἔσχον Θεοῦ ἄνθρωποι, vbi diserte exponit, quod τὸ κάλλος τοῦ κόσμου, cum sole, luna, astris etc. homines impulerit, vt crederent DEVM esse; cui et assentitur Auctor libri περὶ φιλοσόφου ἱστορίας vulgo GALENVS g) creditus, vbi §. est: πόθεν ἔχομεν ἔννοιαν θεῶν; ad quod ita respondetur: Ἔχομεν ἔννοιαν τούτου (Θεοῦ) ἐκ τοῦ κάλλους καὶ μεγέθους τῶν ὁρωμένων αὐτοῦ δημιουργημάτων. οὐδὲν γὰρ τῶν καλῶν εἰκῇ γεγέννηται, ἀλλ' ὑπὸ δημιουργοῦ σοφοῦ, κ. τ. λ. Vid. et huc inprimis PHILO IVD. *de Monarchia, pag.* 629. *sqq.* item *de Mundi opificio*, et alibi saepe: vt et SEXTI. EMPIR. *cont. Mathem. Lib.* VIII. Hinc et MAXIMVS TYRIVS scribit: h) τὸ βαρβαρικὸν, ὁμοίως ἅπαντες μὲν ξυνετοὶ τοῦ Θεοῦ, κατεστήσαντο δὲ αὐτοῖς σημεῖα ἄλλοι ἄλλα, quale quid etiam apud CICERONEM *Lib.* I. *Quaest. Tuscul. Lib.* I. *de sqq.* et *L.* II. *de Nat. deor.* et alibi legitur; praecipue apud PLVTARCH. *contr. Colot. p.* 1125. item ARTEMIDOR. *Lib.* I. *cap.* 9. et DION. CHRYS. *Or.* XII. *pag.* 201. sed et apud SENECAM, adde Summum GROT. *de V. R. C. L.* I. §. 2. etc. item in *Comment. ad Lib. Sapient. Salom. cap.* XIII. *pag.* 602. praesertim conf. huc FABRICII *Bibliograph. antiquar. cap.* VIII. *pag.* 229. *seqq.* et FABRICII Heidelberg. *Apologet. contra Atheis. calumn. pap.* 119. *sqq.* item ZACHAR. GRAPII *Theol. recens controuers. Cap.* I. *Quaest.* 6. *pag.* 32. *sqq.* vt et LA CROZE, *Entret. sur diuers. Suj. d'Hist. pag.* 254. *sqq.* nec non BVDDEI *Tr. de Atheismo, cap.* V. *pag.* 363. *sqq.* ac WESSELING. *ad Diodor. Sic. T.* I. *pag.* 179. quibus add. si placet, *Poem. nostr. Tom.* I. *pag.* 82. 83. in *Not.* item *Not. ad* GROTII *christ. pat. pag.* 434. et ad eiusdem *Lib.* I. *de Ver. Rel. chr. Opp. poet. Opitii, pag.* 736. et *pag.* 745. Fuerunt tamen nihilo minus quidam, si fides habenda est Auctoribus, qui temere et ἀλόγως nullum esse DEVM assererent. Talis fuit DIAGORAS Melius, de cuius impietate et ἀθεότητι videndus potissimum Scholiastes ARISTOPHANIS *tam ad Nubes, quam ad Aues*, ATHENAEVS *Deipnos. L.* XIII. PLVTARCHVS *de Pl. Ph. l.* VII. ATHENAGORAS *in Legat.* pro

g) *Opp. Gal. T. IV. pag.* 427.

h) *Diss. XXXVIII.*

pro Christ. pag. 7. LACTANTIVS *de Ira Dei et alibi*, vt et CICERO, *Lib.* I. *de Natura Deorum*, item AELIANVS *H. V.* II, 31. et quae ad eum obseruauit doctissimus KVHNIVS, vt alios plures nunc sileam; de quibus vid. BAELIVS, FOPPIVS, REIMMANNVS, BVDDEVS, *Diss. de Spinozismo ante Spinozam*, et alii plures. Tales etiam fuisse fertur THEODORVM CYRENAEVM, et EVEMERVM TEGEATEM PLVTARCHO l. c. allegatos et CICERONI, dicto loco vid. et PHIL. IVD. *Lib. quod omnis probus sit liber. p.* 684. vbi hic ipse THEODORVS se satis speciose defendit ab obiecto sibi foedo Atheismi crimine. conf. CASAVB. et MENAG. ad DIOG. LAERT. *L.* II. item BVDDE. *de Atheismo, cap.* I. *pag.* 47. Vnde mirari subit, qui Cl. GVNDLINGIVS scribere potuerit, *nullum fuisse inter subtiles et philosophos Atheos, quam Diagoram et forte Theodorum*: hic enim manifeste ipsi contradicit PLVTARCHVS addendo EVEMERVM TEGEATEM, immo et ipsum EVRIPIDEM Tragoedum, qui ne iudicii Areopagitici incurreret rigorem, SISYPHVM εἰσήγαγε προςάτην τῆς δόξης, ipsius PLVTARCHI sunt verba; nec desunt etiam alii bene multi, quos recenset Summe Rev. BVDDEVS saepius iam citatus. Scio hic quidem, quae in defensionem eorum, qui olim in Atheorum relati fuerunt numerum, adferri solent a Viris eruditis. v. g. NAVDAEO, WOLFIO, HASAEO, FABRICIO, GASSENDO, STANLEIO, BRVCKERO, BAYLIO, THOMASIO, REIMMANNO, LEIBNITIO, CLERICO, et aliis. Sic HERACLITVM ingeniosissime defendit B. noster GOTHOFREDVS OLEARIVS, PLVTARCHVM contra MOLINAEVM, Celeberr. FABRICIVS, ipsumque denique EVEMERVM, vt et EVRIPIDEM Summe Reu. BVDDEVS etc. Sed ideo praesidium non inuenit Cl. GVNDLINGIVS, sufficit enim, eos pro Atheis ὁμολογουμένως fuisse habitos, non autem disquiritur, quam recte pro talibus fuerint habiti, illud est historiae, quam tractat ibi GVNDLINGIVS, hoc veritatis, quae alibi erat inquirenda. Ceterum etiam ego illud haud capio, quomodo illi vocari possint *subtiles*, vt ait Cl. Auctor, *Athei*, qui DEVM aperte negant; Verius enim ego, et alius tales dixerit crassos, vt ita dicam, atheos, et prout supra iam demonstraui, stolidos

 insanos-

inſanosque. Sed haec dicta ſunto de Athei nomine, quibus qui plura velit addere, adeat aureum BVDDEI librum ſaepius ſupra allegatum aliosque plures, praeſertim, qui cateruatim quaſi, contra iſtum Atheorum principem, SPINOZAM nempe, data opera ſcripſerunt, quorum ingentem numerum produxerunt BAYLIVS, BRVCKERVS, et alii. Nobis in praeſenti plura proferre nec libuit, nec licuit, quum ad ſpecialiora iam ſit tranſeundum.

§. II. Sed nunc ponamus, illum, vt vult Cl. G. eſſe Atheum, qui negat, DEVM mundi eſſe conditorem, quique confundit DEVM cum materia: Quid illud quaeſo ad bonum applicandum, aut potius trahendum erat HIPPOCRATEM, cuius nunc in me partes ſuſcipio? an ille inquam Spinoziſmi erat accuſandus? Sane ego non puto, nec alius forte, qui ſedulo, cum iudicio, et *in connexione*, vt loquuntur, Magni HIPPOCRATIS peruoluit ſcripta: non ſine ratione addo: *in connexione.* Hac enim plerumque, non dicam, ſemper, a Lectoribus neglecta, factum eſt, vt optimo HIPPOCRATI peregrinus adfingeretur ſenſus, et hinc tanti Auctoris famae non parua inferretur iniuria. Quod infra patebit clarius, quum ventum fuerit ad ipſa illa loca, quae ad probandam HIPPOCRATIS ἀθεότητα non cum cura legerunt, ſed ſine cura et raptim quaſi collegerunt, vt ita loqui liceat, iſti inhumani ἀθεοποιηταί. Vt igitur dicam, quod res eſt: Saepius apud diuinum ſenem vox φύσιος legitur, quam nunc vocat ἀπαίδευτον, item ἀδίδακτον, nunc δικαίην, et δικαιοτάτην, nunc ἰητρὸν νούσων, nunc aliis condecorat nominibus et elogiis. Haec ergo quum legerent quidam, qui ſciebant et Stoicis et aliis Philoſophis ſolemne fuiſſe, vt ſupponerent generale quodpiam principium, quod omnia gubernaret, per omnia eſſet diffuſum, quod eſſet iuſtum, ſapiens, aeternum, perfectumque, idque iam ſub nomine ψυχῆς τοῦ κόσμου, iam ſub voce τοῦ νοῦ, iam ſub notione αἰθέρος, iam ſub vocabulo Διός, immo etiam ipſius φύσιος etc. venditarent: ſtatim in eam delapſi ſunt ſententiam, vt et tale quid HIPPOCRATI ne cogitanti quidem ea de re, adſcriberent; ſed delapſi vt dixi, et ſimul grauiter lapſi ſunt. Nollem autem ita lapſum fuiſſe LIPSIVM; taedet fari, impegiſſe etiam hic

CLERI-

CLERICVM medicum doctiſſimum celeberrimumque; erubeſco fere dicere, magnum quoque BOYLEVM ſplendidum illud Angliae ſidus, hic eclipſin quandam fuiſſe paſſum, vt alios taceam: Condonandum igitur eo facilius Cl. GVNDLINGIO, ſi tot heroes errantes ſecure nimis ſequutus, etiam a via aberrauit, [i]) quippe qui aperte fatetur, *ſe Hippocrati adſcripſiſſe ſententiam multis gentilibus gentilem*, quod tamen, vt quiuis videt, non ſufficit: erat enim illa ſententia probanda, non adſcribenda, quod et recte contra ipſum vrget Auctor Diſſert. de HIPPOCRATE Operam Barbaris negante. Probare quidem illam videtur variis locis, ex ipſo HIPPOCRATE allegatis, et infra a me explicandis et expendendis; ſed, vti Lector perſpiciet, probare videtur, non re ipſa probat; illa enim loca omnia paene contrarium potius probant, et loco alieno allegantur. Prius autem, quam me ad ipſam locorum illorum diſcuſſionem conuerto, neceſſum eſſe videtur, vt pauciſſimis tantum eloquar, quid ſaniores Philoſophi per vocem φύσιος, ſeu Naturae, intellexerint, hoc enim facto, eo melius et aptius licebit tranſire ad ipſum HIPPOCRATEM, eiusque de *Natura* loca vexata.

§. III. Nimirum, quum Philoſophorum cordatiores, prudentioresque ex variis rerum creatarum φαινομένοις intelligerent, omnia fieri lege quadam, et concinno quaſi ordine, peculiarique diſpoſitione, v. g. quod hoc tempore floridum rideret ver, illo, feruida torreret aeſtas, alio, humidus decideret autumnus, et alio glacialis ſaeuiret hiems; item, quod veris tempore terra pictis ſuperbiret floribus, aeſtatis, canae adſurgerent ariſtae, autumni, dulces calcarentur vuae, et denique hiemis, arbores ſuis denudarentur comis et hortorum periret decus etc. haec inquam, et alia eiusmodi φαινόμενα varia adduxerunt iſtos, vt crederent, certam eſſe diſpoſitionem, certum ordinem, breuibus, ordinatum quempiam et concinnum huius vniuerſi motum, aut mechaniſmum, cuius miniſterio omnia tam apte, tam concinne fierent et tam eleganter, qua de re pulcre differentem inueniet, qui cupit, MACROBIVM in *S. S. l. c.* 14. *p.* 53. Vid. et inprimis SENECAE *Quaeſt. Nat. Lib.* III, *c.* 29. et paſſim, alibi, plura hanc in rem, loca

i) *Praef. P. II. Or.*

loca veterum collegit GATAKER. *ad M. Antonin. Lib.* VIII. *pag.* 245. et *Lib.* VII. *pag.* 219. Add. et CIC. *Lib.* I. *de Natura Deor. p.* 28. *ſq.* inprimis PHIL. IVD. *de Monarchia*, vt et *de Mundi opificio*, et paſſim alibi. Conf. *Poem. noſtr. T.* I. *pag.* 204. *Not.* et ad *Opitii poem. T.* IV. *p.* 745. in GROT. Hunc igitur ordinem, hunc inquam motum appellabant φύσιν ſeu *Naturam*, item et ἁρμονίαν, ſenſu adhuc ſano et innocenti. Poſtea alii erant, qui, quum animaduerterent ordinem iſtum, ſeu ordinatum iſtum motum, ſemper fere vnum eundemque eſſe in producendis et reducendis, vt ita loquar, variis rebus, tum naſcentibus, tum natis iam, loco φύσιος vſurpabant vocem ἀνάγκην, ſeu neceſſitatem duram, quaeque impediri non poſſet: hinc CYCLOPS Deum contemtor apud EVRIPIDEM:

Ἡ γῆ δ' ἀνάγκῃ, κἂν θέλῃ, κἂν μὴ θέλῃ, k)
Τίκτουσα ποίαν. Τἀμὰ πιαίνει βοτά.

Nunc procedebant paullatim, et loco ἀνάγκης, malebant ſcribere εἱμαρμένην, vnde decantatum illud fatum, quod erat ἄτρεπτον, καὶ ἐπικεκλωσμένον, καὶ ἀπαραίτητον, καὶ ἀνίκητον, vt loquitur MAXIMVS TYRIVS, l) cui addas TACITVM *A.* IV. 26. et LYSIAM ἐν ἐπιταφίῳ τοῖς κορινθίων βοηθοῖς. Sed nec hoc ſuffecit omnibus. Nonnulli enim, dum ſibi perſuadere non poſſent, hunc motum, hanc φύσιν, hanc ἀνάγκην talia exhibere poſſe φαινόμενα, niſi eſſet ſapientia quadam atque intelligentia haud vulgari imbuta, φύσιν illam vocabant νοερὰν, vt ARCHYTAS cum aliis. Inde rurſus alii φύσεως et ἀνάγκης loco, nude ponebant νοῦν, ſeu mentem, vt Platonici, et πρόνοιαν, vt Stoici, PLVTARCHO teſte. Quibusdam neque haec placebant; igitur alio nomine φύσις ipſis appellabatur ψυχὴ τοῦ κόσμου, et huic mundi animae aeternitatem, diuinitatem, exquiſitiſſimam ſapientiam et alia divina attributa, inauſpicato et temere adſcribebant, vt videre eſt apud OCELLVM LVCANVM, item et ALCINOVM: Quamuis negare non poſſim, me offendiſſe inter philoſophos priſcos, qui diſtinguerent inter ψυχὴν τοῦ κόσμου, et νοῦν οὐρανοῦ, et illi quidem attribuerent prudentiam et quandam diuinitatis adfinitatem; huic autem abſolutum in eam impe-

k) *Cyclope.* l) *Diſſ. XXX.*

imperium, maiorem ſapientiam, immortalitatem, breuibus, ſummam perfectionem, quod nec prorſus abſonum, nec verum prorſus. Tandem vero eo vsque procedebant, vt et ipſum de Coelo traherent Iovem, eumque ſub nomine φύσιος, item ψυχῆς τῦ κόσμυ, intelligerent, vt non vno ſane loco demonſtrauit cum aliis Phurnutus: Conf. huc inprimis GATAKER. ad MARC. ANTONIN. *Lib.* IV. *pag.* 110. *ſqq.* vbi innumera paene hanc in rem loca congeſſit. Et ſic confundebant ex mala bonae vocis Naturae interpretatione (non ex nomine, quod contra ill. BOYLIVM noto atque STVRMIVM, pari enim ratione *Mechaniſmus Coſmicus*, quem pro Natura ponit laudatus BOYLIVS, idolum vocari poteſt, quod et ill. obſeruauit LEIBNIZIVS) motum et motorem, dirigendum et dirigentem ſeu vt Scholaſtici loquuntur, Naturam naturatam et naturantem, vel et *Naturam efficientem* et *patientem*, vt Stoicis placebat diſtinguere, de quo vid. DIOG. LAERT. Zenone, SENEC. *Ep.* 64. et alibi LACTANT. *Inſt. diu. Lib.* VII. *cap.* 3. et alios plures, laudatos GATAKERO, *ad* MARC. ANTONIN. *L.* IV. *pag.* 110. *ſqq.* et LIPS. *L.* I. *phyſiol. Stoic. Diſſ.* V. item STEPH. *Theol. Hipp. c.* I. *pag.* 198. et *c.* 7. Sic videor mihi conciſe quidem; at euidenter demonſtraſſe, qui ex *innocentiſſimo*, vt loquitur Cl. GOELIKIVS, *Naturae vocabulo*, idolum quodpiam fuerit confictum, vt BOYLIVS atque STVRMIVS loquuntur modo nominati. Nihilominus tamen aperte fateor, me nondum omnia τῇ φύσει ſeu κινήσει illi impoſita nomina recenſuiſſe; certe enim vox φύσεως ſi vlla vnquam alia, πολυσημωτάτη fuit veteribus praeſertim Stoicis, ſi fides haberi debet PLVTARCHO. Conf. huc iterum GATAKER. *ad M. Antonin. L.* VI. *pag.* 176. et maxime SALMAS. *ad Epict. et Simpl. pag.* 303. *ſqq. p.* 123. *ſqq.* et *p.* 54. *ſqq.* paſſimque alibi. Quum igitur quidam ex recentioribus, vt ſunt Viri iam laudati, BOYLIVS puta atque STVRMIVS, quibus vel MALEBRANCHIVS, CORDEMEVS, et alii addendi, quos illuſtris LEIBNIZIVS allegauit, *Act. Erud.* 1698. *Menſ. Sept. pag.* 433. perſpicerent, motum illum, ſeu mechaniſmum iſtum coſmicum Naturam dictum, anſam, vt vidimus, aliquo modo dediſſe ad idololatriam; non modo vocem Naturae; ſed et ipſam adeo Na-

turam, eiusque exiſtentiam e philoſophia eradicare ſategerunt, ſtatuentes nempe, DEVM ſolum eſſe huius vniuerſi ſicut Creatorem, ita et motorem, immediate omnia mouentem et diſponentem, excluſo prorſus motu illo vniuerſae mundi machinae ſub ipſa ſtatim illius creatione, ab ipſo impreſſo, et quousque ipſi libuerit ſummo opifici, duraturo, quem vti dixi, motum, aut, vt cum illuſtri LEIBNIZIO imo cum ipſo GALENO, dudum ante LEIBNIZ. vid. GORRAEI *diſ. med.* v. φύσις, et HOFFMANN. *Tom.* VI. *opp. pag.* 256. diſtinctius loquar, *vim creatam actricem rebus inſitam*, item *potentiam actricem*, *legem inſitam*, vt et Cl. SCHELHAMMERVS, applaudente LEIBNIZIO, loquitur, Priſci φύσιος inſcribebant nomine. Inde perquam egregie et acute magnus ille IVL. CAES. SCALIGER, *Comment. in Hipp. Lib. de Inſomn. Apoteleſ.* 32. *pag.* 131. *Neque enim aliud eſt, Natura, quam iuſſus Dei, quo rerum ſeries, effectiones, coniunctiones, ſeparationes, mutationes, rite atque ordine perficiuntur.* Vel aliquanto adhuc accuratius et diſtinctius: *Natura eſt Filia, ſiue effectus et productum primae illius diuinae, potentiſſimae, efficaciſſimae et foecundiſſimae Vocis* FIAT, *quod actum, motum et ordinem ſemel ipſi in prima iſta generatione impreſſum, conſtanti lege et tenore, ſine vlla mora, mutatione, aut defectu, in omnibus rebus ſemel creatis, perpetuo ſeruat.* Conſ. huc SCHELHAMMER, *Nat. Vind. Vindic. Cap.* 8. *pag.* 195. et *de Natura, c.* 5. *pag.* 104. et *cap.* 6. *pag.* 109. et in fine operis, *pag.* 332. Sed quibus fundamentis nitantur horum aduerſariorum, et, vt ita loquar, ἀντιφυσικῶν obiectiones et argumenta; egregie prae aliis demonſtrauit Excellentiſſimus SCHELHAMMERVS tam in *Libro de Natura*, quam potiſſimum in *Naturae Vindicatae Vindicatione*, vbi contra Cl. STVRMIVM, acerrimum Naturae impugnatorem, docte, ſolide et maſcule diſputat, Naturaeque a tot hoſtibus circumuentae et hinc propemodum in deditionem pronae, viriliter ſuccurrit, eamque triumphantem libertati reddit. Vid. in primis *Cap.* III. *pag.* 48. *ſqq.* et *Cap.* IV. per totum, prorſus eximie et ſolide. A cuius Cl. Viri partibus ſtetit quoque ill. LEIBNIZIVS in *Act. Erud. An.* 1698. *Menſ. Sept. pag.* 427. *ſqq.* qui et ſimul *pag.* 439. de hac doctrina, quam periculoſa ſit, ita ſcribit: *Tantum abeſt, vt DEI glo-*

riam

riam augeat, tollendo idolum naturae; vt potius rebus creatis in nudas diuinae vnius ſubſtantiae modificationes euaneſcentibus, ex DEO factura cum Spinoſa videatur ipſam rerum naturam etc. etc. Conf. SCHELHAMMER. *Nat. Vindic. Vindicat. Cap.* VIII. *pag.* 196. *ſqq.* et B. RIVINI noſtri *Diſſ. de Spiritu Hominis vitali, pag.* 167. *ſqq.* collect. *Diſſert.* vbi inprimis contra LE GRAND vere ac ſeuere diſputat, eumque acrius premit et vrget, vt vix ſaluus effugere poſſit. Hanc vero controuerſiam vel duobus indicaſſe ſufficiat, aliqua vt addam, inſtituti mei ratio non permittit, hinc pergo.

§. IV. Quemadmodum igitur prudentiores vt dixi, Philoſophi, motum quemdam ordinatum huic αὐτομάτῳ (ſic mundum vocat ill. BOYLIVS) a DEO impreſſum credebant et adſtruebant; de quo vid. inprimis SCELHAMMER. *Lib. de Natura, pag.* 98. *ſqq.* et vberius in *Naturae Vindicat. Vindicatione, cap.* VI. *pag.* 145. *ſqq.* ita pari ratione nil erat, quo minus vel ſimilem motum, ſimilemque concinnum ordinem et mechaniſmum adſcriberent microcoſmo, ſeu homini, eumque itidem appellarent φύσιν, ſeu Naturam, interdum etiam ψυχὴν, ſeu animam, hac tamen cautione, vt eam diſtinguerent ἀπὸ τοῦ νοῦ, i.e. ab immortali illa et rationali mente: GALENVS tamen et alii φύσιν diſtinguunt atque ψυχὴν, ita vt hoc maius, illud vero minus, et corruptioni obnoxium, indicet: Alii vocarunt hanc corporis humani naturam ἕξιν, item διάθεσιν, item τάξιν, quod apud PLVTARCHVM legitur *l.* VIII. *Sympoſ.* vt et ἁρμονίαν, item ξύστασιν, quod apud ipſum ſaepius occurrit HIPPOCRATEM, etc. Conf. SCHVLZ. *Hiſt. Med. pag.* 226. et GASSEND. *Comment. in Lib.* X. DIOG. LAERT. de *phyſiol. Epicur. Tom.* I. *pag.* 355. *ſqq.* item HOFFMANN. *Opp. T.* VI. *pag.* 256. ibique VALLERIOL. SYDENHAM. BAGLIV. LANCIS. et alios. Et haec φύσις, haec inquam ψυχὴ, ἕξις καὶ διάθεσις illos denotat motus, quos phyſiologi dicunt animales, ſpontaneos, inuoluntarios, vtpote mentis imperio non ſubiacentes, vt loquitur NEMESIVS. Tales ſunt ſanguinis circuitus ſeu circulatio, ſanguificatio, concoctio, chylificatio, m) ſecretio animalis, excretio, motus inteſtinorum peri-

N 2 ſtalti-

m) *Vid. Galen. Iſagog.*

ſtalticus, arteriarum pulſus, et qui ſimiles ſint motus et actiones, quae fiunt inſcia quaſi mente, et illas vix obſeruante, n) καὶ ἑκόντων καὶ ἀκόντων ἡμῶν, vt idem ait NEMESIVS. Hi motus quousque recte procedunt et iuſte, eousque ſanitate homo fruitur integra: ſimul ac autem ab externa quadam cauſſa v. g. praua diaeta, noxio aëre, contagio, et vulnere, vel alia demum quaecunque etiam ſit, διαθέσει illi, εὐεξίῃ ac ἁρμονίῃ contraria, ſeu vt cum HIPPOCRATE loquar et GALENO, ἐχθρῇ καὶ πολεμίῃ, fuerint turbati et impediti, machina illa corporea extra ſuum quaſi circulum ac ordinem collocatur, hancque turbationem, et, vt ſic dicam, diſlocationem vocamus morbum. Sic enim PLVTARCHVS o) morbum exponit per τάραξιν τῆς φύσεως, quod ego redderem per τάραξιν τῆς ἐμφύτου τάξεως, GALENVS per ἐνόχλησιν φύσιος ſeu παρὰ φύσιν, MAXIMVS TYRIVS p) per τάραξιν τῆς κατὰ φύσιν οὐσίας, vt de aliis taceam. Saepius autem fit, vt hi turbati motus vel ſua ſponte in priſtinum redeant ordinem, ſicuti contingere haud raro videmus in machinula chronometrica, quae etiamſi mox tardius, mox autem citius temporis deſignarit curſum, paullo poſt ſua veluti ſponte, rectum et adaequatum ſuum recuperat ordinem atque motum. Quod ſi hoc in machina fit corporea (fit autem haud raro) tunc appoſite dicitur: *Naturam aegrum adiuuiſſe, bonam Naturam aegrum ſanaſſe etc. etc.* Inde bene huc CICERO, *Lib.* III. *Tuſcul. Quaeſt. cap.* 3. *Ad corporum ſanationem multum ipſa corpora* et NATVRA *valent*. de quo plura vid. in doctiſſimis *obſeruat. Moshemianis*, ad CVDWORTHI *Syſt. Intell. Cap.* 3. *pag.* 104. vt et *pag.* 182. Inde nunc intelligendus et bene interpretandus locus ille HIPPOCR. de Natura κατὰ γνώμην καὶ σκοπὸν, agente, ſingularis, *Lib. de Arte, pag.* 11. de quo inferius plura. Conf. DEMETR. PEPAG. *de Podagra cap.* I. et PALLADIVS, *de Febr. c.* 26. Sin autem id minus fiat, et illi motus nimium fuerint turbati, et grauiter laeſi, tunc Medicus accerſitur, qui eſt motuum illorum turbatorum reſtaurator, et φύσιος συνεργὸς ὑπηρέτης καὶ μιμητὴς, vt HIPPOCRATES ait apud GALENVM, *non Dominus*, vt quibusdam ex arrogantia dicere placuit, quos merito confutat ill. BOHNIVS.

Hinc

n) *De Nat. Hum.* o) *Symp. VIII.* p) *Diſſ. XVIII.*

Hinc egregia ſunt AETII q) verba: συνεργεῖν δεῖ τῇ φύσει πρὸς σωτηρίαν ἀγωνιζομένῃ πρὸς τὴν νόσον, οὕτως γὰρ ἡ φύσις σύμμαχον λαβοῦσα τὸν ἰατρὸν, τὰ δέοντα ποιοῦντα. Quae ipſa aurea ſententia hauſta eſt ex aureo illo HIPPOCR. fonte, quem vid. in *Prognoſt. pag.* 448. *Epidem.* VI. *pag.* 810. vbi vid. GALEN. *pag.* 483. *Tom.* 9. rurſus HIPPOC. *de Morbo Sacr. pag.* 344. et alibi ſaepe. Add. PHIL. IVD. *de Sacrif. Ab. et Cain. pag.* 117. BASIL. M. *T.* I. *pag.* 363. THEMIST. *Orat.* 22. *p.* 277. THEODORET. *de prouid. Serm.* II. *pag.* 61. IV. *pag.* 121. *ſq.* et V. *pag.* 164. LIBAN. *Declam.* 39. *pag.* 834. et alios plures. Si vero nec Medicus cum ſuis inſtrumentis (vt medicamenta vocat HIPPOCRATES) contra malum iam ad ἀκμὴν delatum, i. e. contra laeſionem motuum enormem quaſi, et plane ἀνήκεστον, nil valet, tunc demum tota corruit machina, tunc plane emoriuntur motus illi eneruati, et hanc motuum στάσιν quietemque vocamus *mortem.* Haec eſt φύσις illa, ſeu Natura in corpore animato mechanico, haec inquam, eſt φύσις Medicorum cum priſcorum, tum recentiorum plerorumque, vt ill. BOHNII, SYDENHAMI, BAGLIVI, CONRINGII, HARVEI, HOFFMANNI, BERGERI, et aliorum innumerorum. Qua propter, re accuratius conſiderata, ita nunc nobis definienda videtur ipſa *Natura: Eſt Vis vitalis et actiua, corporibus animatis per omnes ipſorum partes, a creatore indita, quae conſiſtit in certis, aequalibus et conſtantibus motibus, inter ſe arctiſſime connexis, ad conſeruationem ipſorum corporum ſemper directis.* Sed aliam *Naturae* definitionem, ſcitam, doctam atque ſolidam vid. apud ill. VAN SWIETEN, *Tom.* I. *in Boerhaau. proleg. pag.* 3. *ſq.* vbi et laudat breuiorem HELMONTII definitionem: *Naturam eſſe iuſſum Dei, quo res eſt id, quod eſt, et agit, quod agere iuſſa eſt.* Conf. huc et GORRAEI *defin. Med.* V. φύσις, et VALERIOLA, *Loc. commun. L.* I. *pag.* 56. item SEELMATTER, *de Nat. Hipp. pag.* 8. *ſqq.* et maxime HOFFMANN. *Diſſ. de Naturae et Artis efficacia in medendo, Tom.* VI. *opp. pag.* 256. *ſqq.* Sunt quidem, nos non fugit, quidam iique magni nominis noſtra aetate Medici, qui, dum omnes in corpore organico motus animae rationali immediate adſcribunt, per φύσιν ſeu Naturam,

 ipſam

q) *L.* V, I. *pag.* 78.

ipsam animam rationalem intellectam volunt. Verum huius loci non est, in hanc sententiam inquirere, quam merito iam iam tot Viri celeberrimi strenue impugnarunt; id tantum dico, quod nunquam sint probaturi, HIPPOCRATEM etiam vocem φύσιος pro anima rationali vsurpasse, vt nuperrime (alios studio taceo) fecit Cl. NENTERVS r) et GOELICKIVS. Huius Cl. Viri G. puta, sententiam libet hic examinare. Dicit nimirum HIPPOCRATEM vocem Naturae vbiuis sumere pro Natura t) Humana, h. e. pro anima rationali; quod et recte nobiscum reprehendit Auctor Diss. mox citandus: et B. SCHVLZIVS, *Hist. Med. pag.* 228. licet contrarium statuere videatur Auctor nouae Edit. Libelli *Hipp. de dec. orn. Comment.* VII. *pag.* 164. *sqq.* vbi pro more, laboriose de hac inexplicabili fere controuersia tractat. Conf. infra §. XXV. dicta. deinde adserit θερμὸν illud, de quo infra multa dicentur, idem esse ac φύσιν et consequenter idem ac animam rationalem; Ex his autem suppositis sponte, credo, fluit, animam hominis rationalem et orbi condendo adfuisse et omniscíam esse et omnia intelligere et videre et audire omnia, quod tamen est falsissimum. Stat itaque sententia, quod et mox pluribus docebitur, φύσιν HIPPOCRATIS esse ens mere mechanicum in corpore quidem viuo, seu ipsum mechanismum. u) Inde acutissime et sapientissime magnus MOSHEMIVS: *Hippocratis Natura nihil est, quam mechanica corporum constitutio,* in Not. ad CVDWORTH. *Syſtem. Intell. pag.* 182. et *pag.* 168. item et *pag.* 104. qui magis hic audiendus, quam Auctor *Diss. de Hipp. op. Barb. neg.* qui, nescio quae, hic tricatur et argutatur. Nam ens mere mechanicum est quidem Idolum, motu et actu proprio destitutum; at ens mere mechanicum viuum, aut corporis viui et animati, non est Idolum sensu, actu aut motu priuatum. Sed de mechanismo illo corporis animati, siue Natura Animalium viua et actiua sola hic loquimur, vt vel infans clare videt: igitur frigida haec sunt sophismata, et raucum hic atque inconditum crocitauit Coruus: sit venia ioco. Et licet eam ἀπαίδευτον, ἀδίδακτον, δικαίην etc. vocet, καὶ διὰ παντὸς ὑμνεῖ, vt

r) *In Fund. Med.*
s) *In Def. Hipp.*

t) §. *XII. XX.*
u) *L. IX. de Pl. Hipp. et Plut.*

vt cum GALENO loquar, illi tamen nec intellectum, nec ſapientiam, nec iuſtitiam, vt aduerſarii volunt, tribuit, vt ſuis locis videbimus. Haec neceſſario videbantur praemittenda, licet plus iuſto fere ſim expatiatus: Nunc ipſa illa loca a Cl. GVNDLINGIO in medium allata ordine recenſebo, explicabo, vindicabo. Faxit NVMEN feliciter!

§. V. Prior itaque locus, quem Cl. GVNDLINGIVS ad monſtrandam HIPPOCRATIS ἀθεότητα, in medium producit, depromtus eſt ex Libro περὶ τροφῆς, ſeu *de Alimento*, libro certe *ſalebroſo et latebris pleno*, vt loquar cum PROSPERO MARTIANO, celebri alias HIPPOCRATIS ſcholiaſte. Sic autem ille eſt: φύσις ἐξαρκέει πάντα πᾶσιν. Hic ante omnia moneo, GALENI lectionem paullo meliorem eſſe hacce vulgari, legit ſcilicet magnus ille HIPPOCRATIS admirator duobus in locis: φύσιν ἐξαρκέει πάντα πᾶσιν: nihil enim facilius hoc errore potuit committi, diuellendo ſcilicet παντα a πασιν: Conf. huc Merici CASAVBONI *Not. ad Marc. Antonin. Lib.* V. *pag.* 401. apud GATAKER vbi ſimilem varietatem obſeruauit. Sed hoc leue. Et loco alio ita: ἐξαρκέειν εἰς ἅπαντα τοῖς ζώοις. Nunc et ipſius GALENI huius ſententiae interpretationem audire, operae eſſe videtur pretium. Ἡ, inquit τῆς φύσεως κίνησις γίνεται μὲν ἐν περιόδοις τεταγμέναις, κατάγε τὸν ἴδιον λόγον, Κωλύεται δὲ ἐνίοτε φυλάττειν τὰς περιόδους ὑπὸ τῶν ἔξωθεν εἰς αὐτὴν ἁμαρτανομένων, deinde ſtatim ſubiungit: οὕτω γοῦν καὶ ὁ πᾶν θαυμαστὸς Ἱπποκράτης ἔλεγε, φύσις ἐξαρκεῖ παντάπασιν κ. λ. Loquitur nimirum GALENVS in iſto libro περὶ κρισίμων ἡμερῶν, ſeu diebus criticis, et κρίσει illa in pathologia et ſemiotica ſatis decantata: hinc ait, motionem φύσεως ſeu διαθέσεως illius in morbis turbatae quidem, ſed molientis tamen egerere et propellere materiam, vt loquuntur οἱ ἰατρῶν παῖδες, peccantem, fieri quidem in certis quibusdam et definitis periodis, ſeu circuitibus, ſecundum propriam rationem, h. e. ſecundum proprium et innatum quaſi modum ſeu *inſtinctum quemdam concreatum*, vt loquitur illuſtris BOHNIVS: impediri vero nonnunquam, quo minus iuſte ſeruare poſſit iſtas circuitiones, ab externis cauſſis, quibus in illum Naturae conatum peccetur. Has cauſſas ibidem recenſet, mutatis aliquanto verbis, ac extant

 apud

apud ipsum Coum. Et hanc ipsam esse HIPPOCRATIS mentem, testatur ipse sequentibus loco περὶ τροφῆς eodem: Ἀποκρίσιες κατὰ φύσιν, κοιλίης, οὔρων, ἱδρῶτος, πτυάλου, μύξης κ. λ. haec hactenus. Transeo nunc ad locum alterum ex eiusdem libri §. VIII. φύσιες πάντων ἀδίδακτοι. Hic iterum prouoco ad Pergamenum, optimum quippe vt plurimum, atque doctissimum HIPPOCRATIS interpretem, qui praesentem aeque ac sequentem ex *Epidem. VIto.* si vnquam alium, fuse quidem, sed docte quoque, explanauit, idque quatuor praecipue in libris, nempe libro *de Vsu partium Imo*, *Capp.* 2. 3. *et* 4. deinde passim in seqq. *de Locis adfectis* V, *Comment. in lib. Hipp. Epidem.* VI. *sect.* V. maxime, et tandem Tractatu, *an animal sit, quod vtero continetur?* quae loca, ni fallor, etiam adnotauit solertissimus FOESIVS: praesertim vero CASP. HOFMANNVS *Comment. in Lib.* I. *de vs. part. c.* 3. 4. *pag.* 7. *sqq.* item summus FABRICIVS, *in Not. ad Steph. Theol. Hipp. cap.* VII. *pag.* 235. *sq.* Conf. KVHN. *ad Aeliani Var. Hist. Lib.* X. *cap.* III. *pag.* 646. *sq.* Edit. cl. ABR. GRONOVII, summi nostri amici. Inter haec duo praecipue sunt, vbi, vt visum fuit Foesio, legisse videtur GALENVS: φύσιες ζώων ἀδίδακτοι, quod bellum quidem et elegans, atque HIPPOCRATIS menti esse conuenit, dixerat enim ille paullo ante: ζωοῦται τὰ μέρεα τῶν ζώων; nunc breuitatis ergo, cui semper, vt notum, studet, omisisse videtur vocem ζώων, et πάντων nude posuisse: sed pace tanti viri, non puto ita legisse GALENVM, quam potius ita dilucidasse sensum HIPPOCRATIS subobscurum et semi quasi perfectum: ita enim et supra loco παντάπασι scripserat ζώοις. Verum haec leuiora: Nunc ad ipsam praesentis loci explicationem, ad quam priusquam me accingo, quaedam de brutorum ratione praefari lubet.

§. VI. Olim iam agitata, et ad nostra fere tempora vsque, pertracta fuit quaestio: Vtrum animalia sic dicta bruta ratione quadam essent imbuta, nec ne? De quo arduo et inexplicabili paene argumento, post ipsum BAYLIVM *Dict. Hist. Crit. Art. Pereira*, et maxime *Rorarius*, aliosque plures, vid. praesertim *Dissertatio Historico-philosophica* operosissima et copiosissima, *de Anima Brutorum*, a cl. RIBOVIO,

VIO, ipsi Rorarii Libello, *de Rat. Brut.* a se doctis quoque Notis illustrato, in fine adiecta. Vbi plurimum quidem in vtramque partem disputatur; parum vero, aut nihil ad liquidum deducitur. Conf. huc et MORHOFII *Opp. posthum. Lib.* IV, *cap.* I. CASAVBON. ad *Athen. Lib.* I, *c.* 10. *pag.* 34. BVDD. *de Atheism. cap.* V. *pag.* 439. *sqq.* et maxime *Cap.* VI. *pag.* 503. *sqq.* item *Cap.* VII. *pag.* 559. *sqq.* Priscorum plerique quotidianis experimentis et euidentissimis argumentis edocti, quin conuicti etiam, mitius se iudicasse autumabant, si dicerent, nec rationalia plane, nec irrationalia prorsus esse animalia sic dicta bruta: Igitur pulcello illo sed nihil significante nomine vocabant rationis ἀναλογίαν, seu *facultatem aestimatiuam* et vmbram, quasi dicas imitamentum quodpiam seu similitudinem rationis. Ad quod misserrimum et infirmissimum inexplicabilis huius argumenti asylum miror quoque, vel ipsa nostra aetate, confugisse ipsum RIBOVIVM, *Diss. de Anima Brut. cap.* 25. *pag.* 806. *sqq.* qui tamen in sequentibus, ipsis brutis animalibus concedit animam, claras rerum notiones et earum conscientiam, item perceptionem, imaginationem, memoriam, discendi et imitandi facultatem, diuersos et humanis similes affectus, et talia plura. Sed nihilo tamen minus his ipsis animalibus, tot manifestis rationis signis instructis ipsam rationem frigide denegat. Verum hoc ipsum est mera contradictio in adiecto, deforme Sideroxylon, et monstrosus Scindapsus. Sed quum hoc nec frigidum sit, nec calidum, nec tepidum quoque, et inanis tantum, vt pure dicam, terminus, breuibus, quum ἀναλογίαν rectius dixeris ἀλογίαν: Alii, qui se prioribus ὀξυδερκεστέρους putabant, substituebant μνήμην, seu memoriam, non autem eam, quam ratione esse dicebant mixtam; Sed tantum, quae aut *hebetudinem*, x) aut, vt PONTANVS mauult, *habitudinem quinque sensuum comitaretur*, quod apud MACROBIVM legitur. Sed quam bene hi suam rem gesserint, videamus nunc breuiter. Dicunt nimirum, memoriam potissimum esse, qua bruta gaudeant. Sed quum memoria illa sit mentis facultas, qua obiectorum ideae seu εἴδωλα per senso-

ria

x) *In S. S.*, *I*, 14.

ria animalia ſemel impreſſa et ſic neceſſario concepta, menti noſtrae viuide repraeſentantur: ſane non video, qua probabili minimum ratione concipi queat memoria ſine ratione, ſine iudicio. Quod et inprimis vehementer vrget laudatus modo BAYLIVS, *Dict. Hiſt. crit. Tom.* IV. *Tit.* RORARIVS, *Not. D. pag.* 77. *ſqq.* et praeſertim, TIT. PEREIRA, *Tom.* III. *pag.* 652. *ſqq.* Not. E. et *Not.* I. *pag.* 655. *ſqq.* copioſiſſime. Eſt enim memoria maxima mentis facultas, quae tamen nequit conſiſtere, niſi ſolida obiectorum praeceſſerit perceptio: ſed nec perceptio ſola ſufficit, ni acceſſerit aliquid actiuum, quod tam multas variasque rerum ideas nobis quotidie per ſenſoria oblatas, diſcernit, ſeparat, in ordinem redigit, quod vulgo dicunt iudicium. Quae omnia exacte quoque acuteque ipſe noſter docet HIPPOCR. loco illo egregie e *Lib. praecept.* infra §. XXII. a nobis explicato, de quo et vid. SCALIGERI *Exercit. Anti Cardan.* CCCVII. *pag.* 880. Idem vero argumentum diligenter tractant PLATO, ARISTOTELES, SEXTVS EMPIR. *pyrrhon. Hypot.* L. III. PLVTARCHVS, PLOTINVS, OLYMPIODOR. et alii plures: praeſertim vid. PHIL. IVD. *Lib.* II. *Allegor. Leg. p.* 54. et alibi. Eſt igitur, quis negare auſit? memoria ſine iudicio turbata rerum repraeſentatio, confuſum chaos, et idem ac vir ἀκέφαλος. Haec quae dixi, ipſis poſſe obiici, iam videntur praeuidiſſe, et hinc lepide, vti putant; ſed ridicule, vti ego puto, diſtinxere inter memoriam ratione mixtam, et memoriam, quae comitatur quinque ſenſuum hebetudinem, ſeu, vt e recentioribus ANTONIVS LE GRAND voluit, inter *memoriam intellectiuam*, et *ſenſitiuam.* Sed quae illa memoria ſit poſterior, neſcio et illi ipſi, credo, neſciuerunt. Verum et hi prudentiores, certe pudentiores, fuerunt magno illo alioquin CARTESIO eiusque aſſeclis, longa quidem ſerie productis, a BAYLIO, IENKIN. THOMASIO, BRVCKERO, et aliis, inprimis autem a RIBOVIO, *Diſſ. de Anima Brut. cap.* 24. *pag.* 746. *ſqq.* vſque ad finem; quibus noviſſime quoque, heu! doleo, acceſſit eminentiſſ. POLINIACVS, in poëmate alias incomparabili *Anti Lucret. Lib.* VI. inani opera; qui non rationem ſolum; verum et memoriam, et vitam paene adeo ipſam brutis denegarunt animalibus, automata et quas neſcio machinas ex

illis

illis effingentes, et credentes, quin aperte fcribentes, y) *omnes animalium actiones mechanice poſſe explicari, et motus, quos ab anima quadam in beſtiis proficiſci arbitramur, iis adſimes eſſe, qui in automatibus ſola virtute manucleae et rotarum figura, producuntur.* Quam ineptam tamen frigidamque ſententiam ſolide fortiterque confutarunt HENR. MORVS, HVETIVS, BAYLIVS, THOMASIVS, aliique plures, a Rev. BRVCKERO diligenter allegati, in *Hiſt. Crit. philoſoph. Tom.* IV. *part.* 2. *p.* 329. *ſq.* qui ſimul ipſe rectius ſapientiusque contrarium ſtatuit, et ieiuno huic commento Carteſiano minime fauet. Add. *Poem. noſt. T.* I. *pag.* 60. et OPITII *poem. T.* IV. *pag.* 744. Quod autem hoc Commentum non abſonum ſolum; ſed et in creatorem ſapientiſſimum ſit blaſphemum, breuiter iam demonſtrabo, ſed argumento, niſi fallor, perſpicuo, valido, et ab ipſo animalium organiſmo petito: quod ipſum pro argumento omnium grauiſſimo et ſolutu difficillimo, ipſe habet CARTESIVS, REGIVS et al. et ante ipſum THOM. CAMPANELLA, *L.* II. *de ſenſu Rer. cap.* 22. item IENK. THOMASIVS et IO. ANT. CAPELLA *de Rat. Brutor.* idem vero inprimis vehementer vrget SALMASIVS, *Comment. in Epictet. et Simpl. pag.* 136. *et pag.* 318. vt et CAMERARIVS, *Hor. Subciſ. Cent.* II. *cap.* 93. *pag.* 356. praecipue *pag.* 358. *ſqq.* praeſertim vero DEVSINGIVS, in egregia et curioſa *Diſſert. de Rat. et Loquela Brutorum animantium, pag.* 189. *ſqq.* item BODIN. in *Theat. Nat. L.* IV. *pag.* 476. et HVART. *Scrut. Ingen. cap.* VI. quos tamen excepto BODINO, non allegauit RIBOVIVS, vti ſane debebat: Quo et maxime ſpectat docta IO. HENR. MVLLERI *Diſſert. Brutorum actiones mechanice eſſe inexplicabiles,* item IO. ADOLPH. WEDELII propempticon inaug. *de ſenſu Brutorum*, et B. HAHNII noſtri *Diſſ. de Manu hominem a brutis diſtinguente.* Si, inquam, animalia bruta eadem habent organa perfecta, quorum ope et miniſterio ſentimus et cognoſcimus; ſequitur neceſſario, animalia aeque ac nos ſentire, atque cognoſcere: Habent autem prorſus, quod nemo ibit inficias: ſi vero eorum in brutis nullus eſſet vſus; ſequeretur, ea caſu tantum, et ita fruſtra fuiſſe condita. At DEVS nihil poterat fruſtra condere,

O 2

y) *Anton. le Grand de Carent. Senſ. Brut.* §. 79.

dere, eſt enim perfectiſſimus & ſapientiſſimus; qui ſapientiſſimus eſt, nihil facit, nec facere poteſt ſine fine quodam atque reſpectu: Nunc vero alium in finem (quantum quidem ſcimus) addere non voluit organa animalibus ſummus ille opifex, quam vt obiecta ſenſibilia eorum ope conciperemus, concepta diiudicaremus et ſeparatim iudicaremus, et in memoria, ceu ſcrinio, adſeruaremus, vt ſuo tempore depromi poſſent. Ergo qui animalibus ſenſoriis exquiſitiſſimis inſtructis de quo vid. PHIL. IVD. *Lib. de Abrahamo, pag.* 302. et alibi, item ARISTOT. PLVT. MAX. TYR. GALEN. PLIN. LVCRET. PORPHYR. BASIL. M. THEODORET. GREGOR. NYSS. et cum his laudat. BAYLE, *Dict. Hiſt. Crit. Artic. Rorarius.* ſenſum denegare vult et rationem, vel parum vel nihil ſenſus habere videtur. De qua ſingulari ſenſuum in brutis, excellentia, vid. inprimis laudati RORARII *Lib.* II. *de Rat. Brut. pag.* 226. *ſqq.* ibique doctas Notas. Nam et in animalibus quotidie animaduertimus dubitationem, deliberationem, gaudium, metum, triſtitiam, iracundiam, zelotypiam laudis et gloriae voluptatem, cupiditatem vlciſcendi iniurias, pudorem, ſingularem in hunc vel illum hominem amorem, fauorem et blanditias, et contra in alterum, peculiare odium, indignationem et auerſationem, vt multis ſtupendis fere exemplis docent idem RORARIVS, *L.* II. *p.* 137. *ſqq.* RITTERSHVS. *ad Oppian.* CAMERAR. DEVSING. et alii; et quae huius generis adfectiones aliae, quas et diuerſa vocis modulatione et diuerſo corporis motu geſtuque indicare ſolent, qua de re legendus eſt inprimis LVCRETIVS, z) vt et maxime LACTANTIVS, *Lib. de Ira Dei, Cap.* VII. *pag.* 1020. *ſqq.* vbi vid. cl. BVNEMANN. et alios in Not. item RORARII *Lib.* II. *de Rat. Brutor. pag.* 160. *ſqq.* ibique RIBOV. in *Not.* et inprimis in adiecta *Diſſert. de Anima Brutor. pag.* 776. vbi praeſertim ad cel. GVIL. TEMPLEVM, prouocat: add. IS. VOSS. *de Viribus Rhythmi, pag.* 66. item *ad Catullum, pag.* 226. Haec an poſſint proficiſci ex machina quadam, aut automato, non dubito ſolum, ſed plane nego. Praeter haec videmus etiam animalia nonnunquam inſanire, et damnum ita inferre mortalibus: Sed qui poſſint inſanire, ni ante

z) *De Nat. L. V.*

ante ſana, vt ſic dicam, mente fuerint praedita? Certe illud, quod non adeſt, nec aboleri, nedum corrumpi poteſt: ergo prius alia mentis adfuit diſpoſitio, quam et interdum adhibitis remediis, iterum ſortiuntur. Vid. huc PLVTARCH. *de Solert. Animal. pag.* 963. et DEVS. *Diſſ. laud. pag.* 205. et *pag.* 217. Tandem et poſſunt doceri, quod autem doceri poteſt, v. g. varias artes, geſtus, exercitia, variosque praeſertim concinnos et harmonicos cantus, vt in brutis, et volucribus ſaepius obſeruatur, conf. RORAR. *L.* II. *pag.* 206. *ſqq.* et *pag.* 231. *ſqq.* et MAX. TYR. *Diſſert.* XL. *pag.* 400. illud neceſſario capax eſſe debet doctrinae; quod vero doctrinae eſt capax, illud et rationem habet, quam in rem ſtupendum plane exemplum de cane notarum et modulationum muſicarum perito, recenſet RORARIVS, *Lib.* I. *de Rat. Brut. pag.* 21. et alias mirandas hiſtorias de auibus canoris, et reprehenſae emendationis correctionem intelligentibus, ibidem *Lib.* II. *pag.* 211. *ſqq.* Sed plura id genus vid. apud IENKIN. THOMAS. de *Anima Brutorum Rat.* vt taceam ipſius Saluatoris effatum, vbi ſerpentibus a) φρόνησιν quandam tribuit, in quem ſenſum et SOPHOCLES aues vocauit φρονιμωτάτους, ad quem locum ambo ſcholiaſtae merentur inſpici. Imo, ſomniant quoque animalia, vt equi, canes, imo et volucres, ceu notum, atque ſic habent τὸ φανταστικὸν, ſeu imaginationem, quae ſoli animae rationali, ſeu τῷ ἡγεμονικῷ, conuenit; quod inde potiſſimum acriter et ſapienter vrget SALMASIVS, in *Not. ad Epict. et Simpl. pag.* 136. et *pag.* 318. pro vindicanda brutis ratione aliqua, fruſtra ipſis ab aliis erepta. Add. DEVSING. et WILLIS. de *Rat. Brutor.* vid. et PHIL. IVD. *Libro, quod Deus ſit immutab. p.* 234. praeſertim autem *Lib. de Decalogo pag.* 587. et inde HVG. GROT. in *Proleg. ad Lib. de Iur. Bell. et pac. fol.* III, 7. Plura ſane addi poſſent et plus quam plura: ſed ne nimis extra oleas, vt aiunt, euager, hic abrumpo. Plura qui velit argumenta et probationes, is quaeſo euoluat *librum* III. PORPHYRII, b) vbi egregie ſubtilis ille Philoſophus de brutorum cognitione diſputauit, et, ex quo PORPHYRIVS plurima ſua hauſit, PLVTARCHVM *Lib.* πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα τὰ

 χερ-

a) *Matt.* X, 16. *Electra.*

b) περὶ Ἀποχ.

χερσαῖα, ἢ τὰ ἔνυδρα, item quae apud eundem *fordidus Gryllus* haud abfurde grunnit, fed maxime prudenter aduerfus VLIXEM differit περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι, vt taceam librum περὶ φιλοστοργίας, aliosque tum prifcos, vt THEOPHRASTVM, qui tefte DIOGENE LAERTIO, librum fcripfiffe fertur [c]) περὶ ζώων φρονήσεως, etc. item ARISTOTEL. in *Hiftor. Anim.* AELIAN. *de Nat. An.* PHILEN. *de prop. Animal.* OPPIAN. PLIN. PHOT. CIC. *L.* II. *de Nat. Deor.* SENEC. in *Quaeft. Nat.* GALEN. POLYB. *L.* XV. PHIL. IVD. tum recentiores, vt RORARIVM ibique in Notis RIBOVIVM, cum aliis, quos allegat MENAGIVS *ad Diog. Laërt.* item WILLISIVM, DENSINGIVM, CAMERARIVM, BODINVM, IONSTONVM, HVARTVM, GASSENDVM, MAIOLVM, ALDROVANDVM, VALLAM, VALLESIVM, DV HAMEL, SCHMIDIVM, LIPSIVM, et qui noftra aetate celeberrimus eft, IO. CLERICVM [d]) in *Not. ad Grot. de V. R. C. p.* 13. etc. Praefertim vero in ipfius *Phyfic. Lib.* IV. add. SALMAS. *Comment. in Epict. et Simpl. pag.* 136. item *pag.* 172. et *pag.* 181. *fqq.* item *pag.* 318. vt et Not. noftr. ad laudat. GROTII *Lib.* I. *de Verit. Rel. chrift. pag.* 743. *fq. Tom.* IV. *opp. poeticor.* MART. OPITII, a nobis editor. item *poemat. noftror. Tom.* I. *pag.* 59. *fq.* in Not. Plures vero Auctores pro ratione Brutorum pugnantes, collectos exhibet RIBOVIVS, *Diff. de Anima Brutor. cap.* 25. *pag.* 770. *fqq.* praecipue autem BAYLIVS, Titulis iam fupra laudatis, PEREIRA, atque RORARIVS. Haec de ratione, feu, vt MAX. TYRIVS diftinguit, *de fenfu et experientia brutorum*, quam, non nego, gradu longe eminentiore homini, ceu nobiliori et ad meliora creato, a fummo Opifice fuiffe conceffam. Iam de brutorum Natura, de qua hic ab HIPPOCRATE potiffimum loqui iubeor.

§. VII. Nimirum ficuti animalia bruta vi fuae rationis certis tamen limitibus circumfcriptae, aliquid comprehendere, et fic vel doceri poffunt: ita et in fe motus habent quosdam ἐμφύτους quafi, et fibi proprios, quos fponte i. e. ἀπαιδεύτως, et fine peculiari inftructione, benigniffimi Creatoris beneficio, fuerunt indepta, eosque plerumque vocamus

c) *Lib. VIII. fegm.* 30.

d) *Diff. XL.*

vocamus naturales. Sic apes, quibus alias *partem diuinae mentis* assignauit MARO, cellulas suas mathematice struunt mathesin licet non edoctae; de qua mirabili aedificandi arte vid. RORAR. *Lib.* II. ibique in *Not.* cl. RIBOV. *pag.* 247. *sqq.* copiose et accurate: quibus add. si placet, poema nostrum *de Apibus*, *Tom.* I. *opp. poet. pag.* 22. *sqq.* ibique *Not.* conf. ATHEN. *L.* 8. *pag.* 353. hirundines suos nidos, architectonicam non edoctae; araneae sua contexunt retia, nescientes Geometriam, vt alia taceam, quae quotidie occurrunt, καὶ ὅσαι, verba sunt MAX. TYRII, [e]) ἄλλων ζώων τέχναι πρὸς σωτηρίαν ἑκάστῳ σύμφυτοι γένει. De quibus mirandis prorsus artificiis animalium naturalibus plura miranda vide apud laudat. RORARIVM, *Lib.* II. *p.* 254. *sqq.* ibique *Not.* RIBOVII, adde BAYLE, DERHAM, WILLIS, REIMAR. LEIBNIT. SCHMIDII *Differt. de Geometria Brutorum, et Republica Formicarum*, et inprimis GALEN. *Lib.* I. *de Vs. part. c.* 2. 3. *sqq.* ibique in *Comment.* HOFMANN. *p.* 6. *sqq.* item IVLIAN. *Orat.* 7. et IVN. de *pict. Vett. L.* II. *c.* I. *pag.* 48. vt et PETR. GASSEND. *de Philos. Epicuri*, *Tom.* I. *pag.* 336. *sqq.* et *pag.* 579. *sqq.* Notatu et hoc perquam dignum, quod nullum fere sit animal, quod non natura, h. e. αὐτοδιδάκτως quasi, sciat remedium aliquod ad morbos profligandos et pristinam sanitatem restituendam. Hinc bene Gryllus apud PLVTARCHVM, [f]) quasi omnium animalium ageret caussam: Τοὺς μὲν Αἰγυπτίους πάντας ἰατροὺς ἀκούομεν εἶναι. Τῶν δὲ ζώων ἕκαστον οὐ μόνον πρὸς ἀλκὴν θήραντε καὶ φυλακὴν κ. λ. de quo loco vid. BAIERI *Adag. Med.* VII. *p.* 16. *sqq.* lege, si libet, ibidem apud laudatum PLVTARCHVM, exempla animalium Medicorum, addeque eiusdem Auctoris librum *de terrestrium et aquatilium animalium solertia*, supra iam allegatum, item ARISTOTELEM *in Hist. Animalium*, et huius ex parte compendiarium Sectatorem, ANTIGONVM, ἐν ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγῇ, AELIANVM, tum sparsim in *Hist. Var.* tum maxime in *Hist. Animal.* ANTOLIVM περὶ τῶν κατὰ ἀντιπάθειαν καὶ συμπάθειαν, et DEMOCRITVM περί συμπαθειῶν καὶ ἀντιπαθειῶν, vtrosque cum doctissimis scholiis Cl. RENDTORFI editos et *Bibliothecae Gr. Fabr.* *Lib.*

e) *Diss.* XXIIX. *it.* XL.   f) *Gryllo.*

Lib. IV. *cap.* 29. *pag.* 296. *ſqq.* et *pag.* 333. *ſqq.* inſertos, PLINIVM in *Hiſt. Nat. L.* VIII. *c.* 27. et alibi, ex recentioribus LANGIVM *Epiſt. Med.* II. 2. VOSSIVM de *Idololatr. L.* III. *c.* 67. *ſqq.* CAMERARIVM *Syllog. memorabilium Med. Cent.* I. ROLFINCIVM *de Plantis lib.* I. *c.* I. inprimis RORAR. de *Rat. Brutor. L.* II. *pag.* 279. *ſqq.* ibique Notas Ribouianas vberrimas, item IOACH. KVHN. *ad Aeliani Lib.* X. *de Var. Hiſt. cap.* 3. *pag.* 646. 647. Edit. ABR. GRONOV. cum *Not. Var.* et TITI BOSTRENS. *L.* II. *contra Manich. p.* 122. apud CANIS. *Lect. antiquar. Tom.* I. aliosque plures, quos hic omnes recenſere non vacat. Vnde non abſonum, ſi putarint quidam, mortales priſcos medicinam ex animalibus brutis maximam partem didiciſſe, de quo nos alibi pluribus ex inſtituto. Nempe in Commentatione noſtra *de ſcarificationis Oculorum Hiſtoria, antiquitate et Origine*, Wittebergae, 1754. *pag.* XI. *ſqq.* conf. VINCK, in *Amoenit. Philol. Med. Cap.* II. *pag.* 46. et *pag.* 49. Poſſet hic aliquis forte obiicere, quod animalia bruta, conceſſa ipſis aliqua ratione, ſe ipſa inuicem poſſint inſtruere et erudire. Quod licet penitus non negem, ſic enim v. g. auium pulli ſaepius imitantur earum auium cantum, quas quotidie audiunt; lupi vulpesque etc. catulos ſuos, ſi paullo adoleuerint, ſecum venatum abducunt, vt diſcant, quibus technis et fallaciis ſecuras et libere palantes beſtias capere poſſint, alia vt taceam: praecipue vero admiranda illa, imo ſtupenda prorſus de prudentia et calliditate Canum, exempla, luculenter enarrata a CAMERARIO, *Cent.* II. *Horar. Subciſ. c.* 93. *p.* 358. *ſqq.* DEVSINGIO, *Diſſ. de Rat. Brutor. pag.* 195. SCHELHAMMERO, in *Naturae Vindicat. Vindicatione, cap.* VII. *pag.* 165. *ſqq.* et denique RIBOVIO, in *Not. ad Rorar. Lib.* I. *de Rat. Brutor. pag.* 18. *ſqq.* digniſſima profecto, quae plus ſemel ab omnibus ſumma cum admiratione legantur: tamen animalia ſic nuncupata bruta multa agere αὐτοφυῶς et ſine doctore et ductore, tum ex iis patere arbitror, quae ſupra dixi, tum ex eo, quod iam dicam. GALENVS, ad ſtabiliendum HIPPOCRATIS noſtri dictum, quod φύσιες ζώων ſint ἀδίδακτοι, ſingulare adducit exemplum, *libro*, quem ſupra citaui περὶ τῶν πεπονθότων Τόπων *Vto*, quod breuibus enarrare haud pigebit. Scilicet, quum praegnantes

tes multas diſſecaret capras, inuenit aliquando hoedum perfectum, et iam excludendum: Hunc vinculis ſuis liberatum portabat in domum quamdam, vbi multas patellas, quarum haec vino, illa oleo, alia melle et alia lacte erant repletae, poni iuſſerat. Primo igitur hoedus ille pedibus incedebat, quaſi audiuiſſet et didiciſſet, crura ſibi in hunc finem fuiſſe conceſſa: porro, excutiebat humiditatem ex matrice ſibi adhuc adhaerentem: tertio, vno pedum ſcalpebat latus; et omnibus denique liquoribus in catillis contentis, olfactu ab ipſo exploratis, ſolum abſorbebat lac, quaſi ſciuiſſet, hoc in ſui nutritionem ſolum eſſe adaequatum et commodum: Taceo hic reliqua, quae ibi de delectu herbarum et fruticum, ab eodem hoedo adhibito, item de ruminatione, quam inprimis demiratur GALENVS, leguntur, ſed addo tantum gnomen ſapientiſſimam, quam magnus ille Medicus fini huius narrationis, non ſine ſingulari emphaſi adiecit: παρορῶσι οἱ πολλοὶ τὰ τοιαῦτα τῆς φύσεως ἔργα, μόνα τὰ ξένα θεάματα θαυμάζοντες. *Multi*, inquit, *obiter tantum adſpiciunt et negligunt tales naturae operationes, dum ſola peregrina ſpectacula admirantur.* Conf. et *Lib.* I. *de vſ. part. cap.* 3. *ſqq.* et vbique per omnes iſtos Libros XVII. diuinos plane et ſupra omnes omnino laudes longiſſime poſitos: ne alia his ſimilia loca Galenica numero fere carentia iam attingamus. Ceterum autem ex his cunctis abunde opinor patet, temerarium prorſus et fruſtraneum, imo et ridiculum et ieiunum eſſe, abſtruſam animalium naturam et animam ſcrupuloſius indagare velle; quum tamen ipſa noſtra anima, quae haec audet, ſuae naturae et eſſentiae prorſus ſit ignara: *Quid enim ſit Animus ille Rector, dominusque noſtri, non magis tibi quisquam expediet, quam vbi ſit,* vt vere et acute pronunciat SENECA, *Quaeſt. Nat. L.* VII, *cap.* 24. add. inprimis PHIL. IVD. de *Nomin. Mutat. pag.* 809. et *noſtr. poem. Tom.* I. *pag.* 59. *ſqq. in Not.* Sed haec de φύσει animalium ἀδιδάκτῳ. De qua et vid. SEELMATTERI *Diſſ. de Natura Hipp. pag.* 7. *ſqq.* tota enim huc ſpectat. item FABRIC. ad *Steph. Theol. Hipp. cap.* 7. *pag.* 235.

§. VIII. Vnus adhuc reſtat locus ex Libro hoc περὶ τροφῆς a Cl. GVNDLINGIO allegatus. Sed quum video, eum et illud in ſuas

 traxiſſe

traxisse partes, quod φύσις HIPPOCRATI dicta sit δικαίη et δικαιοτάτη; hanc leuem quoque machinam veluti in transitu, prius remouebo. Vellem autem Cl. Autorem CLERICVM non fuisse tam secure sequutum, qui mirum quantum ibi fallitur; sed vt ipsa prius Hippocratis inspexisset ipse loca; forte enim, si legisset, accuratius paullo iudicasset. Locus igitur princeps est in Libro περὶ Ἀγμῶν, seu de *Fracturis*, sub initio. Dixerat ibi HIPPOCRATES, oportere Medicum artis suae gnarum, et luxationum et fracturarum extensiones facere quam rectissimas: ratio mox in promtu est: αὐτὴ γὰρ ἡ δικαιοτάτη φύσις, *ipsa enim iustissima natura.* Sciendum scilicet est, τὸ δίκαιον aliud esse sensu politico, seu ciuili, ac morali, aliud sensu mathematico, geometrico, vel mechanico, aut statico, aut, si mauis, grammatico. Priorem hic intellexisse Cl. CLERICVM, et ex eo Cl. GVNDLINGIVM, liquet ex ipsorum dictis: sed illum locum inuenire hic non posse, constat contra ex HIPPOCRATIS textu, quid enim quaeso luxationis extensioni cum iustitia? Reiecto igitur hoc sensu, ceu minus huc conveniente, alter admittendus est necessario. Secundum huncce autem δίκαιον idem est ac εὐάρμοστον, οἰκεῖον, ἁπλοῦν *adaptatum, accommodatum, congruum, proportionatum,* seu vt EROTIANVS exponit, συμφέρον, *vtile, conducens.* Sed quid plura? audiamus hic potissimum HESYCHIVM, ceu testem omni quidem exceptione maiorem, qui ita nostram sententiam manifestissime et validissime confirmat: δίκαιον, ἴσον, ὅμοιον, παρὰ Ἱπποκράτει, quid ergo his ipsis, clarius planiusque? Et hoc sensu aliquoties nostro vsurpatum est in hoc libro: Sic infra §. VII. *Ed. Lind.* δικαίης χειρίξιος *aptae et adaequatae fracturarum tractationis* meminit: *sq.* §. VIII. inquit: δικαιοτάτη βραχίονος κατάτασις, *aptissima et optima brachii fracti extensio;* similiter et §. XXXII. κατάτασιν δικαίην, *extensionem iustam,* h. e. *quam status praesens postulat,* nominauit: prae reliquis maxume huc spectat locus ex §. XL. vbi de femoris articulo scribit: δικαίην φύσιν μοῦνον ἔχον καὶ ταύτην περιφερέα, hic simul patet, quo sensu in praesenti de *Fracturis,* libro, sumta sit vox φύσιος. Haec enim verba non secus, quantum ego quidem intelligo, reddi possunt ac debent, quam: solus ille femoris articulus *proportionatam* et *aptam*

habet

habet *ftructuram,* feu *qualitatem* et *difpofitionem* eamque circularem, quo fenfu φύσιος vocem alibi quoque faepius vfurpauit HIPPOCRATES, vt *VI. Epidem. Sect.* III. *Lib.* I. *de Morbis* §. IX. g) item *Lib. de Glandulis* etc. etc. Hinc et PALLADIVS locum fupra allegatum fcitiffime ita exponit: φύσιν ἐνταῦθα καλεῖ τὴν διάπλασιν, cui et omnino addas GALENVM in *Commentario* ad illum locum. Plura iam mitto loca, quae cum in libro περὶ ἄρθρων, tum alibi occurrunt et apud HIPPOCRATEM, et apud Auctores alios. Ita v. gr. dicitur δίκαιον τάγμα, σῶμα, μέτρον, οἴκημα, δίκαιος ἀριθμὸς, σταθμὸς, πῆχυς, δικαία ψῆφος, πλάστιγξ, φάλαγξ μηρὸς, et innumera alia. Sic enim etiam Latini vfurpant τὸ *iuftum,* vt *iuftum poema* apud HORATIVM, *iuftiffima tellus* et *iuftum tempus,* apud VIRGILIVM, *iufta ftatura* apud SVETONIVM NERONE, *iufta magnitudo* TERENTIVM, *iufta corporis forma,* apud LAMPRIDIVM, *iufta toga, iuftus Nafus, iuftus annulus, iufta manus, iufta Nili afcenfio, iuftus exercitus, iufta acies, iuftus amnis,* apud LIVIVM, h) *iuftum volumen,* apud VELLEIVM, *iufta menfura, iufta linea, iuftus paffus, iuftus pes, iufta libra, iuftum aequilibrium, iuftus Canon, iuftus Calceus, iufta moles, iufta fuperficies, iuftum pondus, iuftum ftadium, iuftus modius,* et infinita fere alia: Imo *Quadratam iuftitiam,* de Veftis συμμετρίᾳ, nec nimis longa, nec fluxa, eleganter dixit TERTVLLIAN. *Lib. de Pallio, c.* I. vbi videndus inprimis SALMAS. in *Comment. pag.* 100. et *p.* 103. multis adductis Vett. locis eximie illud illuftrant. Sic pariter *Iniuftum* et *iniquum,* adhiberi, docet KVHN. ad *Aelian. Var. Hift. L.* II. *c.* 41. et EMMENESS. ad VIRG. III. *Georg.* 347. faepiffime etiam *iufto* ita vfus eft fenior PLINIVS, aliique, vt Lexica demonftrant, plures vfi funt. Vult igitur HIPPOCRATES in loco illo haec: Medicus „debet luxationum et fracturarum extenfiones, quantum poteft, facere rectiffimas, ipfa enim natura et partium corporis ratio, quae apta „eft, concinna et adaequata, poftulare videtur, vt id, quod laefum „fuit, priftinam fuam recuperet formam, et nihil relinquatur mancum „et aptae partium fymmetriae ac proportioni contrarium.„ Haec

g) *Comment. in Fract.*

h) *Vid. Polluc. Onomaft. L. I. c.* 12.

quae dixi, egregie confirmat GALENVS: [i]) Ἐιπέρ τις ἄλλος ποτὲ δημιουργὸς ἰσότητός τε καὶ ἀναλογίας πολλὴν ἐποιήσατο πρόνοιαν, καὶ ἡ τὰ σώματα τῶν ζώων διαπλάττουσα φύσις. ὅθεν ὁ Ἱπποκράτης ὀρθότατα δικαίαν ὀνομάζει. πῶς γὰρ οὐ ταῦτα δίκαια. καὶ τὸ μείζονας εἶναι τοὺς ἐπὶ τοῦ βραχίονος μῦς τῶν ἐπὶ τοῦ πήχεως. κ. λ. adde hic praeter PLVTARCHVM, *Lib. de Amore Prolis*, *pag.* 495. potiſſimum eiusdem *de Placit. Hipp. et Plat. Lib.* IX. *pag.* 339. vbi ex hoc praecipue probat τὴν τῆς φύσεως δικαιοσύνην, ſeu concinnum et iuſtum naturae ordinem, quod muſculorum vnicuique implexus ſit neruus, arteria et vena, adducens ſimul HIPPOCRATIS dictum notatu dignum: δίκαιον ἔχουσι τὸ σῶμα οἱ ἄνθρωποι, quod EROTIANVS in ſuo *Gloſſario* Hippocratico allegat, qui maxime hic videri debet: vt et eius interpres doctiſſimus, EVSTACHIVS, *pag.* 35. *ſqq.* item FOESIVS in Oecon. copioſiſſime, nec non HOFMANN. ad GALEN. *Lib.* XVI. *de Vſ. Part. pag.* 346. *ſqq.* BARTH. *Aduerſarior. Lib.* LVI. *cap.* 4. *pag.* 2680. Sic rurſus apud noſtrum. HIPP. *L.* II. *praedict. pag.* 492. δικαίως διαιτώμενον, idem ſane eſt, ac quod in anteced. *pag.* 490. et 491. dixerat ἀτρεκέως, item ὀρθῶς διαιτώμενον, h. e. *accurata et iuſta victus ratione vtentem.* Praeſertim vero hic notari meretur Locus ille e *Lib.* I. *de Mulier. Morb. pag.* 470. vbi Venter et Veſica ſtercus et vrinam excernere dicuntur κατὰ δίκην, h. e. *ſecundum iuſtum et conuenientem ordinem et modum.* Si quis enim cum GVNDL. inepte vertere velit *ſecundum iuſtitiam* nempe *ciuilem*, nae, ille tum habebit iuſtitiam admodum ſordidam, foetidam, foedam atque abominandam, cuius obſcoenum cultum nemo facile ſine nauſea ſit ſuſcepturus; ſed ſit ioco ſubito Venia. Rectius ergo hic in *Cod.* MEAD. illud κατὰ δίκην, ita explicatur: *Idem eſt ac* προσήκει, *alibi dicitur* δικαίως, *alibi* ἐπιτηδείως, *item* ἀτρεκέως, *atque* ὀρθῶς, *vt et* ἴσως, συμμέτρως, εὐκαίρως, εὐτάκτως, ἰσορρόπως, ſic et ἄδικον contra, idem eſſe ac ἀσύμμετρον, bene docet KVHN. ad *Ael. Var. Hiſt. Lib.* II. *cap.* 41. multis exemplis. Ex hactenus ergo dictis patere confido, nec iuſtum eſſe aduerſariorum iudicium de iuſta HIPPOCRATIS Natura.

§. IX.

i) *L. II. Vſu Part. adde max. Lib. XVII. item VI. et XVI.*

§. IX. Ex hoc diuerticulo redeo nunc ad *locum* ordine *tertium*, ex superiore libro περὶ τροφῆς desumtum. Δύναμις, inquit ibi Cous, πάντα αὔξει καὶ τρέφει καὶ βλαστάνει. Sane hic locus, si vnquam alius, infeliciter huc tractus est a Cl. GVNDLINGIO: id enim neutiquam probat, quod ex ipsius quidem mente debebat. Sed dum Cl. DAN. CLERICVM bona fide sequitur, bona quoque fide ab illo, et cum illo, fallitur. Naturae quasdam δυνάμεις, seu facultates tribuisse HIPPOCRATEM, constat cum ex ipso, tum GALENO. At vero illae facultates eidem nihil sunt aliud, quam ipsa illa natura in variis actionibus animalibus peragendis occupata, vbi facultatem suam, respectu organorum, vario modo exercet, et exin varius enascitur effectus euentusque. Sic, dum natura sanguificat, dicitur illa actio, seu ille motus δύναμις αἱματοποιητικὴ; dum varios secernit humores, δύναμις ἀποκριτικὴ; dum semen elaborat et ad definita ablegat vascula, δύναμις σπερματοποιητικὴ, et quae huius generis δυνάμεων aliae sunt plures, quarum Catalogum exhibet GALENVS libro potissimum περὶ φυσικῶν δυνάμεων Imo, et nos supra §. IV. Haec in genere et breuiter tantum de Naturae facultatibus. Iam ad ipsum, qui sub manu est, HIPPOCRATIS locum. Agit ibi diuinus ille senex, vt quiuis videbit, qui non supine leget libellum istum, περὶ τροφῆς δυνάμεως, seu de potentia et virtute alimentorum, eorundemque ad corpus nutriendum respectu et relatione: hinc dicit: δύναμις πάντα αὔξει, κ. λ. scilicet δύναμις τροφῆς, quinta illa alimentorum essentia et vis concentrata, ac, vt ZVINGERVS significanter hic ait, *substantifica*, vt supra aperte et fuse dixerat §. II. et ex sqq. k) infra verbis: ὑγρασίη τροφῆς ὄχημα (quem locum scite explicat GALENVS) apertius liquet. Sic alibi ei, qui de diaeta humana scribere velit, iniungit γινώσκειν σίτων καὶ ποτῶν ἁπάντων, l) οἷσι διαιτώμεθα, δύναμιν, ἥντινα ἕκαστα ἔχει, κ. λ. noti quoque sunt, certe esse debent, tres GALENI περὶ τροφῶν δυνάμεως libri, vbi plura legi possunt quae huc faciunt: Sic et ATHENAEVS *Deipnos. lib.* II. aliqua disseruit de variis variorum alimentorum facultatibus, item PLVTARCHVS passim, conferri etiam potest SIMEONIS

 SETHI

k) *L. IV. de Vsu Part.* l) *L. I. de diaet.*

SETHI liber de *Alimentorum facultatibus* cum BOGDANI scholiis editus, e recentioribus de eodem argumento scripsere GADALDINVS, FREITAGIVS, PISANELLVS, SEBIZIVS, BLOSSIVS aliique plures. δυνάμιες quoque, vt id obiter hic adiiciam ipsa Medicamenta generosiora vocantur ab HIPPOCRATE nostro, DIOSCORIDE, GALEN. ALEX. TRALL. et aliis. De quo plura vid. apud SALMAS. *Exercit. Plin. pag.* 740. FOES. in *Oecon.* voce δύναμις, et cel. WESSELING. ad *Diodor. Sicul. Lib.* IV. *pag.* 294. *Tom.* I. quibus add. *Obs. Crit. nostr. Lib.* III. *cap.* 25. *pag.* 256. Et haec vera tandem est loci HIPPOCRATICI interpretatio. Iudicet iam aequus obsecro Lector, quam inique ille huc fuerit pertractus: etiam ab Auctore illo, qui de *Hipp. Barbaris operam negante*, Dissertationem olim scripsit.

§. X. Sed pergo, iamque ad eum locum deuenio qui omnium est vexatissimus et ex quo Cl. GVNDLINGIVS praecipue probare adnititur, HIPPOCRATEM fuisse Atheum, qui DEVM confuderit cum materia, ignisque elementum pro DEO habuerit. En verba ipsa ex libro *de Principiis*, aut, vt alii rectius forte, licet contradicat Cl. CLERICVS, et qui eum sequitur, Cl. GVNDLINGIVS, *de Carnibus* transcripta: Δοκέει μοι ὃ καλέομεν θερμὸν, ἀθάνατόν τε εἶναι, καὶ νοέειν πάντα, καὶ ὁρῆν, καὶ ἀκȣέειν, καὶ εἰδέναι πάντα, καὶ τὰ ὄντα, καὶ τὰ ἐσόμενα, seu vt alii, quod vero eodem recidit, τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. De qua emphatica phrasi, etiam rursus apud Nostrum occurrente, *Lib. praenot. init. pag.* 447. item I. *Epidem. pag.* 662. et in *Epist. pag.* 909. vt et apud PLAT. *Lachet. p.* 254. item HOMER. HESIOD. IAMBLICH. ORIG. *cont. Cels.* DIONYS. HAL. *L.* 9. MACROB. VIRGIL. aliosque plures, vid. plura apud GATAKER. ad *Marc. Ant. L.* VII. *pag.* 224. HEMSTERHVS. ad *Lucian. Somn. T.* I. *pag.* 15. GALE ad IAMBLICH. *de Myster. pag.* 247. DE LA CERDA, ad IV. *Georg. pag.* 541. et DIETERIC. *Iat. Hipp. pag.* 1063. Quae igitur horumce verborum vis sit, multum refert recte intelligatur et vberius explicetur. In antecessum moneo ante omnia, Θερμὸν illud neutiquam confundendum esse cum φύσει seu Natura HIPPOCRATIS, prout id inauspicato fecerunt LIPSIVS, et, pudet dicere, ill. LEIBNIZIVS, item DAN. CLERICVS, STVR-

MIVS,

MIVS, GASSENDVS, GOELIKIVS et fidus Achates GVNDLINGIVS. Rectius vero ac ſapientius vtrumque diſtinxit magnus CVDWORTHVS in *Syſtem. Intellect. Cap.* III. *p.* 184. *ſq.* vbi vid. cel. MOSHEM. qui tamen nonnihil ibi fluctuat: ſed non aeque FABRICIVS, ad STEPHANI *Theol. p.* 193. *ſqq.* nec STEPHANVS ipſe *Cap.* I. add. cl. MATTH. *Comment.* VII. *pag.* 194. *ſeqq.* at SCHELHAMMER. *de Nat. Vindicat. Vindic. pag.* 29. *ſqq.* et *pag.* 41. *ſqq.* Θερμὸν enim in Θεῖον HIPPOCRATIS toto, vt aiunt, caelo differunt a φύσει ſeu Natura. Per prius enim id eſt τὸ θερμὸν, DEVM intelligit, ſeu aliquid *non productum*, vt mox demonſtrabo diſtinctius: per poſterius autem, puta φύσιν, *aliquid a DEO iſto productum*, h. e. motum illum et mechaniſmum vniuerſalem cum toti mundi machinae impreſſum, tum vnicuique, vt loquuntur, indiuiduo inditum, ſeu rei vnius cuiusuis peculiarem rationem et conſtitutionem, prout illud hactenus aperte, credo, demonſtraui, et apertius infra demonſtrabo. Audiamus interim hic magnum SCALIG. *Exercit.* 188. *cont. Card. pag.* 586. *Eſſe Naturam, ordinariam Dei poteſtatem, etiam diuinus Hipp. docet nos. Eſt enim Natura ordo connexioque cauſarum cum effectibus in Mundo, qui eſt perfectus, a perfecto, optimo, ſapientiſſimo factus.* Conf. et *Exercit.* 359. *p.* 1052. et *Exercit.* 249. *p.* 723. Iam vero mihi operae eſſe videtur, vt prius, quam ipſum praeſentem HIPPOCRATIS locum excutiam, aliqua de magni huius Viri philoſophia et potiſſimum de principiis eius phyſicis, ediſſeram. Fuerunt enim, et adhuc ſunt, plurimi, qui crediderunt et credunt, ex hoc de θερμῷ loco, euidenter poſſe probari, HIPPOCRATEM idem omnium rerum primum crediſſe principium, quod olim HERACLITVS dicitur, nimirum ignem. Ad quos etiam pertinet maximi Nominis Vir, CVDWORTHVS modo laudatus, *Syſt. Intell. cap.* III. *pag.* 105. vbi tamen vid. MOSHEM. in Not. item ipſe FABRICIVS, *Bibl. Graec. Lib.* II. *cap.* 24. *pag.* 842. et SCHVLZIVS *Hiſt. Med. pag.* 209. et *pag.* 224 ſed ſolius GVNDLINGII in gratiam, vt certe videtur: add. et RIBOVII *Differt. philoſ. de Anima Brutor. cap.* 22. *pag.* 720. Sed, quod tantorum virorum pace fiat, paullo aliter ſentio. HERACLITVS, prout ex DIOG. LAERT. PLVTARCHO,

CICE-

CICERONE etc. notum eſt, ex igne omnia fieri, et in ignem omnia demum ſtatuebat ſolui. Sed quid in praeſenti *de Carnibus* loco HIPPOCRATES? Docet quidem, qua ratione calidum multum, immo plurimum ad viſcerum formationem contulerit; ſed non excludit frigidum, glutinoſum et ſimilia, quae ibi leguntur, quod tamen non aeque fecit HERACLITVS. Deinde probent, obſecro, Viri docti, vnde ex hoc loco demonſtrari queat, HIPPOCRATEM credidiſſe, omnia in ignem iri reſolutum? Sed hic, dicat forte quis, alium Tibi obiicio locum vbi expreſſe dixit HIPPOCRATES: m) ξυνίςαται τὰ ζῶα, τάτε ἄλλα πάντα καὶ ὁ ἄνθρωπος ἀπὸ δυοῖν, πυρὸς λέγω καὶ ὕδατος: Nae! inquam, elegans hic eſt locus, et addam ego elegantiorem: n) πυρὶ καὶ ὕδατι πάντα ξυνίςαται καὶ ζῶα, καὶ φυτὰ, καὶ ὑπὸ τȣτέων αὔξεται, καὶ ἐς ταῦτα διακρίνεται. De quo inſigni loco vid. LINDANI *Excercitat.* X. §. 253. *ſqq.* de HIPPOCRATIS *Circuitu ſanguinis*, opere alias rariſſimo, pauciſſimisque Viſo, fatentibus ALMELOVEENIO, SCHVLZIO, et aliis. Conf. et de hoc ipſo loco, SALMASII *Comment. in Epict. et Simplic. pag.* 177. et STEPHANI *Theol. Hipp. cap.* III. *pag.* 211. ibique FABRIC. in *Not.* Haec loca aperte probant, ſed quid? HIPPOCRATEM o) duo rerum omnium ſtatuiſſe principia, ignem nimirum et aquam, quod et recte obſeruavit ill. BAGLIVIVS, et hinc iure dici non poſſe philoſophum Heraclitetum: eadem enim ratione et THALETIS dici poſſet aſſecla, qui DIOG. LAERT. PLVTARCHO, aliisque teſtibus, ex aqua omnia fieri contendebat, et in eandem diffluere omnia, item et ipſius HOMERI ſectator, qui Oceanum pro rerum principio vendidit, quemque in aliis ſequutum fuiſſe HIPPOCRATEM, *alibi* a nobis fuit demonſtratum, nempe in *Epiſt. Med. Crit.* ad cl. FREIND, *pag.* 21. Ergo HIPPOCRATES, prout ego quidem arbitror, nec HERACLITVM omnino eſt ſequutus, nec THALETEM, ſed eadem potius fouit principia, quae ARCHELAVS, vnus ex ſecta illa Ionica, qui δύο αἰτίας γενέσεως, duas generationis adferebat cauſſas, θερμὸν puta καὶ ψυχρὸν, ſeu, vt MEIBOMIVS, applaudente quoque MENAGIO, legebat

m) *Lib. I. de Diaet.* n) *Lib. II. de Diaet.* o) *Diſſ. de Terrae motu Romano.*

gebat ὑγρὸν, vt eſt apud DIOG. LAERT. vel, vt apud PLVTARCHVM legitur, ἀέρος ἀπείρου πυκνότητα καὶ μάνωσιν, quorum hoc ignem, illud vero aquam eſſe contendebat. Huic vero ARCHELAO addendus quoque eſt HIPPION, qui pariter ignem et aquam rerum omnium dixit eſſet principia, non terram, quod optime, vt ſolet, demonſtrat Summe Reuer. FABRICIVS, *Lib.* II. *Bibl. Graec. cap.* 23. *pag.* 819. *in Not.* licet contra ſtet cl. GVNDLINGIVS. Cecinit quoque in hunc ſenſum tenerorum luſor amorum: p)

Quippe vbi temperiem ſumſere humorque calorque,
Concipiunt: et ab his oriuntur cuncta duobus.

Immo dico, HIPPOCRATEM, hoc certe reſpectu, Stoicum fuiſſe ante natos, vt cum LIPSIO loquar, Stoicos. Horum enim plerique, non omnes, vt PHILO Iudaeus notat, *Lib. quod Mundus ſit incorruptibilis*, *pag.* 729. *ſq.* putabant omnia ex aqua et igne oriri, et in eandem tandem reſolui elementa. q) Luculenter SENECA, Stoicorum certe princeps; *Aqua et ignis terrenis dominantur; ex his ortus, et ex his interitus eſt.* An ſimilius verbis HIPPOCRATIS modo recitatis poteſt eſſe aliquid, quam hoc ipſum? Sed et alius inſignis eſt locus apud eumdem Philoſophum, vbi probat, r) *omnia* demum *mortalia inundationibus obduci et ignibus vaſtis torreri incendique:* cui et alia poſſunt addi, quae Chriſtianus, vt ſic dicam, Stoicus collegit in Phyſiologia Stoica. s) Item IAC. THOMASIVS, in *Diſſert. de Exuſtione Mundi Stoica,* et quae noſmet ipſi, ſi id quidem adiicere hic liceat, olim copioſe de eadem re diximus, in Not. ad *Somn. Scipion. pag.* 471. *ſqq. Tom.* I. *Poëm.* et ad HVG. GROTII *Chriſt. Pat. Tragoed. pag.* 517. *ſeqq. Edit.* II. *auct.* multa quoque hac de opinione Veterum notauit LINDENBROGIVS, ad *Cenſorin. de die Natali, cap.* 18. *pag.* 113. Vt breuibus multa complectar, inſedit haec non plane reiicienda opinio multis veterum mentibus. IVNCVS apud STOBAEVM: φασὶ τὸν κόσμον αὐτὸν λελῦσθαί ποτε ἐκ μέρους, t) καὶ αὖθις λυθήσεσθαι εἴς τε πῦρ καὶ ὕδωρ: Druidae apud

p) *Met. I.*
q) *Nat. Quaeſt, L. III. cap.* 28.
r) *Conſol. ad Marc. cap.* 25.
s) *L. II. diſſ.* 21.
t) *Serm. CXX.*

apud STRABONEM [u]) inter alia, putabant ἐπικρατήσειν ποτὲ καὶ πῦρ καὶ ὕδωρ: Mitto alia quae huc adferri poterant; vide immortalis GROTII incomparabilem *de V. R. C. librum* I. §. XXII. *et alibi.* Sufficit mihi, demonſtraſſe, HIPPOCRATEM iure dici haud poſſe philoſophum Heracliteum. Quod et ita recte et ſapienter viſum celeb. IO. CLERICO, in ſua *Bibl. Vet. et Nou. Tom.* XV. *pag.* 438. vbi Vir tantus plane a partibus noſtris ſtat, et hunc ipſum Libellum exiguum ingenti elogio ornat. Conf. Reu. MOSHEM. ad CVDWORTH. *loc. cit. pag.* 105. et Venerab. BRVCKER. in *Hiſt. Crit. philoſ. Tom.* I. *pag.* 1227. vbi pariter iudicium ſuum modeſte ſuſpendit, nec ipſum HIPPOCRATEM inter manifeſtos quidem HERACLITI ſectatores, certis argumentis, confidenter cenſeri poſſe, candide cauteque pronunciat: vti et poſtea cl. MATTHIAE in *proleg. ad Comment. in Hipp. Lib. de decent. Ornat. p.* 33. et in *Epilegom. pag.* 202. vbi HIPPOCRATEM. potius PYTHAGORAM ſectatum fuiſſe, oſtendere ſtudet, non ſine probabilitatis ſpecie aliqua. Item Auctor Diſſ. de Hippocr. *Babaris operam negante.*

§. XI. Reſtat hic etiam explicare, quomodo CORNELIVS CELSVS item Suidas HIPPOCRATEM nuncupare potuerit DEMOCRITI diſcipulum, quum tamen is Philoſopho illi φιλογέλωτι haud prius, vt recte notant Viri docti, exacte innotuerit, quam quum ad ipſum ſanandum, vocaretur ab inſanientibus Abderitis. Sed ſciendum hic eſt, diſcipulum hoc loco non idem eſſe ac tironem, ſed in genere illum denotare, qui aliquid diſcit, non quando id diſcit: Conf. huc DIO. CHRYS. *Orat.* LV. *pag.* 559. dum enim diſcimus, ſumus diſcipuli, etiamſi viri ſimus, quin adeo ſenes. DEMOCRITVM igitur et phyſicis et anatomicis, quarum inprimis ſemper fuit ſtudioſiſſimus, obſervationibus, vaſtam HIPPOCRATIS ſubinde adauxiſſe ſcientiam, fidem nobis faciunt et conſtans veterum traditio, et ea, quae etiamnum ſuperſunt, litterarum monumenta, quae vt omnia pro ſuppoſititiis habeam, nec Clerici, aliorumue Virorum clariſſimorum, alibi allegatorum, multominus HEVMANNI, rationes vnquam ſunt effecturae.

Qua

u) *Geogr. l. IV.*

Qua de controuerſia exactius tractaui, in *Comment. de Noua Hipp. Edit. Sect.* I. §. 7. *pag.* 6. Superſunt autem adhuc et Epiſtolae et libellus de *Hominis Natura* ad HIPPOCRATEM ſcriptus (licet et hunc libellum reiecerit MENAGIVS) vbi in reſponſione ſua ita eum adhortatur HIPPOCRATES: ὀρθῶς ποιήσεις ἐπιστέλλων ἡμῖν πυκνότερον, καὶ μεταδιδοὺς τῶν ὑπὸ σέο γραφομένων ξυνταγμάτων, ſimul ipſi mittens de Ellebori vſu, diſſertationem. Praeterea et eo reſpectu, DEMOCRITI diſcipulus non incommode dici poterit HIPPOCRATES, quod partem philoſophiae nobiliſſimam, Ethica puta et moralia, vt loquuntur, ex ipſo hauſerit: In his enim ſe eruditum et inſtructum fuiſſe ab DEMOCRITO, palam confitetur in grandi illa, at eleganti ad *Damagetum epiſtola*, vbi inter alia plura, quae ibi legi poſſunt, haec de ſe ſcribit vir veri amantiſſimus: καὶ ἡμᾶς ἐσωφρόνιζε ὁ Δημόκριτος, et ſub epiſtolae finem, ita ſe abeuntem DEMOCRITVM fuiſſe adloquutum, adſcribit: πολλοῦ με τῆς σοφίης θαυμασμοῦ πεπλήρωκας, et interiectis paucis: θεραπείην δὲ λαβὼν τῆς ἐμῆς διανοίης, παρὰ σεῦ ἀπαλλάσσομαι etc. Haec, data occaſione, de hac controuerſia dicenda duxi. CELSO nunc plenius ſua, credo, conſtabit fides, nec habebunt docti viri amplius, quos inter eminent inprimis ipſe FABRICIVS, SCHVLZIVS, BRVCKERVS, BAYLIVS, et CONRINGIVS, quod ſibi crucem figant, dum enim edoctus eſt, vt dixi, HIPPOCRATES, iure vocari potuit diſcipulus, licet iam ipſe ſenex eſſet et ſummus in aliis doctrinis et artibus, Magiſter. Ceterum autem de magno hoc doctore, DEMOCRITO, et ipſo maiore diſcipulo, ſcil. HIPPOCRATE, vid. egregie et diſerte tractantem cl. PHILIPP. IAC. HARTMANNVM, in *Originibus anat. Cap.* VI. *pag.* 40. *ſqq.* opere lectu ſane digniſſimo iuxta et iucundiſſimo, de quo alibi plura a nobis dicta. Sed haec de HIPPOCRATIS philoſophia et principiis phyſicis ſufficiant.

§. XII. His neceſſario praemittendis praemiſſis, iam reuertamur ad noſtrum θερμὸν, quod hic potiſſimum eſt dilucidandum. Nimirum immane quantum errant, quicumque cum Cl. GVNDLINGIO aſſerunt, HIPPOCRATEM ignis elementum pro Deo habuiſſe, ac tritam philoſophorum quorumdam ſententiam amplexatum, credidiſſe,

Calidum iſtud, ſeu Deum illum diffuſum eſſe per omnia creata, et ideo quiddam eſſe materiale. Velim enim vel vnicum ex HIPPOCRATE mihi locum adferant, ex quo placitum illud aliqua ſaltim ratione poſſit confirmari et probari. Ea enim loca, quae Cl. GVNDLINGIVS allegat, omnia eodem modo ac eadem facilitate corruent, ac ea ſuperius quae excuſſimus. Nam ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, legi hucusque in tota illa de HIPPOCRATE ἀθέῳ, Exercitatione, ne vnum quidem, quem ἀκαίρως non attuliſſet Vir Cl. et perperam explicuiſſet, vt infra monſtrabo accuratius. Vt igitur eloquar, quid mihi, omnibus rationibus et rerum momentis bene expenſis, circa praeſentem videatur locum, dico, aliud eſſe DEVM ſubtiliſſimo igni aſſimilare, et talem ceu habitaculum ipſius (ἀνθρωποπαθῶς loquendo) ſibi concipere; et aliud ex aduerſo eſſe, Deo ignem tamquam ſubſtantiam atque corpus ipſius, adſcribere. Prius adſeruit HIPPOCRATES, vt iam adparebit, et recte, vt ne quidem culpandus, multo minus pro atheo ſit habendus; alterum vero ipſi vel in mentem veniſſe, nullo profecto pacto ex diuini Viri ſcriptis probari vmquam poteſt. Conf. huc STEPHANI *Theol. Hipp. c.* III. *p.* 209. ibique FABRIC. atque etiam cl. MATTH. *Comment.* VII. *in Hipp. de dec. ora pag.* 194. *ſqq.* et rurſus FABRIC. ad *Sext. Empir. Lib.* IX. *pag.* 191. item IO. CLERICI *Comment. ad Coheleth. Salom. c.* XII. *pag.* 723. Sed vt ordine procedam; nunc primo probabo, HIPPOCRATIS Θερμὸν non eſſe materiale; deinde vero non eſſe per corpora mortalia et caduca diffuſum: tandem et demonſtrabo, hanc diuini ſenis doctrinam nec ſacris litteris, nec veterum Chriſtianorum dogmatibus, nec ſobriae denique philoſophiae repugnare. Ad prius ergo quod ſpectat; proprietates, quas ſuo Θερμῷ adſcribit HIPPOCRATES, ſunt ἀθάνατον εἶναι, καὶ νοέειν πάντα, καὶ ὁρῆν, καὶ ἀκȣ́ειν καὶ εἰδέναι πάντα καὶ τὰ ὄντα καὶ τὰ ἐσόμενα, h. e. immortalitas, omnipraeſentia, et omniſcientia, vt Theologi loquuntur. Ex quibus diuinis et ſupernaturalibus proprietatibus ſatis tuto colligere licet, omnem hic excludi materiam, vbi enim materia, ibi nulla poteſt eſſe immortalitas, quippe quae ſemper praeceps eſt in interitum. Egregie hinc apud STOBAEVM IVNCVS: x) πάντα ὅσα γίγνε-

x) *Serm. CXX. p.* 610.

γίγνεται καθ' ἡντινȣν αἰτίαν, ἀνάγκη λυθῆναι. Τὸ γὰρ ἀΐδιον (notentur iam ſequutura) καὶ ἄφθαρτον, μόνῳ τῷ Θείῳ προσήκει. τὸ δὲ ὑπὸ τεχνίτȣ συςὰν ἐκ τινος ὕλης, προσδέχεται φθορὰν. Deinde, quod ad omnipraeſentiam, quae in verbis πάντα νοέειν, καὶ ὁρῆν καὶ ἀκȣ́ειν, laudatur; certe illa etiam materiae non competit. Nȣ͂ς enim (vt ipſorum veterum, vti PLVTARCHI, PORPHYRII, MAXIMI TYRII, y) GALENI, immo noſtri adeo HIPPOCRATIS, etc. erat ſententia) μόνος ὁρῇ καὶ νȣ͂ς ἀκȣ́ει, τὰ δὲ ἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά. Sed mens, quae quaſi eſt DEI ἀποσπασμάτιον, vt EPICTETVS loquitur, et *decerpta ex mente diuina*, vt ait TVLLIVS, z) et hinc λιβὰς ȣ̓ρανία SYNESIO quoque dicta, dici neutiquam poteſt materia, licet hodiernorum quidam ſint, qui contrarium ſtatuere malunt: certe eo reſpectu, quo mentem iudicare, cogitare, ratiocinari etc. dicimus, illam inepte dixeris materiam, quamcumque etiam Tibi finxeris ſubtiliſſimam et vt ſic loquar, abſtractiſſimam. Vid. huc praeter alios fere innumeros, BVDDEI *Tract. de Atheiſmo, Cap.* III. *pag.* 264. *ſqq.* et *Cap.* VI. *pag.* 499. *ſqq.* et *pag.* 503. item in *Element. Philoſ. theoret. part.* II. *cap.* I. §. X. et alibi. Licet magnus LOCKIVS, MALEBRANCHIVS, BERNARDVS, aliique recentiores, ſtatuerit, materiam etiam ipſam cogitare poſſe, ſi Deus quidem pro ſua immenſa potentia et Voluntate efficaciſſima, id voluerit; de quo vid. plura apud SCHELHAMMER. in *Naturae Vindic. Vindicatione, Cap.* VIII. *pag.* 189. *ſqq.* Sed haec obiter, data quidem occaſione. Supereſt adhuc omniſcientia, quae dictis iam ex cauſſis, ab omni penitus abhorret materia: nam ea ſoli ſpiritui propria eſt, et quidem longe eminentiori, quam noſtri ſunt ſpiritus, ſeu animae. Etenim nos ob noſtram imbecillitatem iuxta et imperfectionem, ἐκ μέρȣς tantum, vt S. ait Apoſtolus, ſcimus et cognoſcimus; Qui igitur omnia, quaecumque ea ſint, tum ea, quae actu exiſtunt, tum, quod maius, quae futura, ſcit ac cognoſcit; ille profecto omnium eſt perfectiſſimus, et hinc ſapientiſſimus. Quis vero potiori quaeſo iure ita vocari poſſit, quam ipſe DEVS, magnus ille omnis ſapientiae

 oceanus

y) *Lib. III. de Diaet. XV.* 10. *III*, 8. *et* STEPHANI *Theolog. Hipp.*
z) *Hymn. III*, 713. *adde Lipſ. Phyſ. St. Cap. III. pag.* 209.

oceanus? An igitur HIPPOCRATES non poſtremi ordinis philoſophus, et ab ſuperſtitioſi et humi ſerpentis vulgi ſorte alieniſſimus, igni, h. e. materiae, tam mirabiles et ſtupendas vires adſcripſerit, viris cordatioribus et in HIPPOCRATIS lectione exercitatioribus diiudicandum relinquo; ego interim illud conſtantiſſime nego, praeſertim quum ὁμόψηφον habeo ſumme reuerendum BVDDEVM, [a]) imo ipſum ex parte, CVDWORTHVM, *Cap.* III. *Syſtem. Intellect. pag.* 105. vbi ad hunc ipſum HIPP. locum ſapienter prouocat: potiſſimum autem ill. FABRIC. in doctiſſimis Notis, ad IO. STEPHANI *Theologiam Hipp. Tom.* XIII. *Biblioth. Graec. pag.* 193. vbi et plura alia HIPP. loca quam diligentiſſime collegit; Inde Auctor *Diſſ. de Hipp. inofficioſo,* et hic, vt ſolet, fruſtra tricatur et obloquitur. Conf. huc et GASSENDI *Comment. de philoſ. Epic. in* X. *Lib.* DIOG. LAERT. *Tom.* I. *pag.* 355. *et in ſqq.* quidquid etiam contradicat, aut contradicere velit Cl. GVNDLINGIVS.

§. XIII. Sed ad alterum iam progredior, probaturus, HIPPOCRATEM non ſtatuiſſe, quod ſuum Θερμὸν, ſeu, quod idem, Θεῖον, per corpora creata ſit diffuſum, et iisdem veluti innexum. Quid? interpellabit hic Cl. G. nonne ipſa HIPPOCRATIS verba demonſtrant aliud? nonne per totum fere de principiis, librum vires huius Calidi in artubus et viſceribus animati corporis compingendis, cantantur? euolue bone, verba: τοῦτο οὖν, (ſc. θερμὸν) τὸ πλεῖστον, ὅτε εταράχθη πάντα, ἐξεχώρησεν ἐς τὴν ἀνωτάτω περιφορὴν, et verte: Huius igitur plurima pars, quum turbata eſſent omnia, in ſupernam circumferentiam ſeceſſit: pars nempe, vt vides, huius calidi plurima, ob leuitatem, in ſupremum ſeceſſit locum, non vero omnis. At haec ego ſatis placide audio, et, ſi licet, rideo quoque. Sic enim a ſenſu vero alienae et corruptae verſiones, qualis eſt haec Cornarii, iis imponunt, qui contextum ipſum inſpicere vel non volunt, vel non valent. Vox enim πλεῖστον, vti hic legitur, non eſt plurima pars, ſed idem ac *maxime,* ſeu μάλιστα, *inprimis, ante omnia,* vt recte ita explicat GVIL. BVDAEVS Vir graece olim doctiſſimus: Cui certe potius hic Credendum,

a) *De Ath. c.* I. §. XX. *p.* 84. *Not.*

dendum, quam Auctori *Diss.* mirae *de Hippocrate Barbaris Operam negante,* qui nimis confidenter et illud negabat, et plura alia contra nos atque HIPP. ipſa tamen luce meridiana clariora; quae vero hic operoſius refellere, nec noſtri nunc eſt otii, nec operae pretium. Hinc ille locus ita potius erat vertendus: *Hoc igitur calidum maxime, quum omnia confunderentur, in ſupremam ſeceſſit circumferentiam.* Conf. huc THEMIST. *Or.* II. *p.* 33. Nempe hoc ipſo indicatur calidi illius excellentia et praerogatiua, quippe quod non paſſum ſe commiſceri et confundi cum craſſis iſtis et caſſis ſubſtantiis, et ob ſuam ſubtiliſſimam eſſentiam, ſublimiora ſelegit loca in regiam veluti ſedem. Conf. huc maxime cel. SCHELHAMMERI *Nat. Vindicat. Vindicat. pag.* 42. *ſqq.* praeſertim autem vid. DIO. CHRYSOST. *Orat.* XL. *p.* 497. CLEMENTIS *Homil.* VI. *Tom.* I. *Patr. Apoſtol. Cotel.* per IO. CLERIC. *pag.* 673. et HERACLID. PONT. *Allegor. Homer. pag.* 442. *Opuſc. Myth. et Eth.* per THOM. GALE. Quod autem illud attinet calidum, de quo multum in terra fuit concluſum etc. id inquam plane differt a θερμῷ illo ἀθανάτῳ, ortum ſuum potius deducens ex prima illa corporum nondum in ordinem redactorum κυκλώσει, ſeu agitatione, volutationeque. Sic enim manifeſte HIPPOCRATES: κυκλεομένων δὲ τουτέων, ὅτε οὖν ἐταράχθη, ἐπεκλείσθη τοῦ θερμοῦ πουλὺ etc. Tandem et circa τὸ ἐξεχώρησεν, quod de calido illo dicitur, moneri poſſet, illud non tam illius, vt ſic loquar, immaterialitatem et praeexiſtentiam probare; quam potius indicare, θερμὸν illud cum reliquis corporibus primis primum fuiſſe confuſum, et deinceps maximam partem ab iisdem ſeparatum ſublimia petiiſſe loca. Verum reſpondeo, actionem illam ſeu ἐκχώρησιν, nihil facere ad denegandam calido illi praeexiſtentiam; ſublimitatem, puritatem, ὑπεροχὴν θείαν, καὶ οὐσίαν ἄυλον, πνευματικὴν καὶ ψυχικὴν, ſimili enim fere modo et ſpiritus ille DEI, ſeu רוח אלהים motaſſe ſe dicitur in ſuperficie aquarum, vt ex I. *Geneſ.* diſcimus: et tamen nemo exin colligere poteſt, vel debet, ſpiritum illum DEI tum temporis, quum ſuper aquis ferretur, i. e. dum ageret aliquid, fuiſſe creatum et non potius iamiam praeextitiſſe: Qua de re vid. pie et egregie pluribus diſſerentem STEPHANVM, in *Theologia*

Hippo-

Hippocrat. Cap. II. *pag.* 200. ibique FABRIC. in *Not. Tom.* XIII. *Bibl. Graec.*

§. XIV. Tandem et tertium eſt explicandum, hanc nempe HIPPOCRATIS hypotheſin nec diuinis oraculis, nec veteri chriſtianae eccleſiae, nec philoſophiae denique ſobriae ac caſtae repugnare. Ad primum ergo quod ſpectat; notum eſt proh dolor! ſatis, mentem noſtram poſt ſemper deflendum lapſum, ita fuiſſe caligine obnuptam et tam denſis tenebris circumfuſam, vt ea nihil fere concipere poſſit, quam quae in ſenſus incurrunt, h. e. materialia: quo potiſſimum ſpectat illud *Mercurii ad Tatium*: ὀφθαλμοῖς μὲν τὰ σώματα θεατά. γλώττῃ δὲ τὰ ὁρατὰ λεκτά, τὸ δὲ ἀσώματον καὶ ἀφανὲς καὶ ἀσχημάτιστον, καὶ μήτε ἐξ ὕλης ὑποκείμενον, ὑπὸ τῶν ἡμετέρων αἰσθήσεων καταληφθῆναι ȣ̓ δύναται. Qua de re plura vid. apud SEXT. EMPIRIC. *Lib.* III. *Pyrrhon. Hypot. Cap.* 5. *ſqq.* et paſſim, item PLAT. ARISTOT. MAX. TYR. PLOTIN. PLVTARCH. et alios. Conf. huc inprimis GASSEND. *de Philoſ. Epicur. Tom.* II. *pag.* 44. *ſqq.* Placuit ergo diuinae miſericordiae, τὰ νοητὰ, i. e. quae non cadunt in ſenſum, et ita ab omni remota ſunt materia, nobis in verbo ſuo, per fidos ſuos amanuenſes, proponere ſub iconiſmo τῶν αἰσθητῶν, vel ſub imagine rerum ſenſualium. Sic e. g. immenſum illud vitae aeternae gaudium depingitur ſpecie ſplendidi epuli: b) ipſa illa beata ſedes, quae piorum animas poſt fata recipit, ſub effigie fortunati alicuius nemoris et horti; item ſub icone oppidi ex mero auro et pretioſiſſimis gemmis conſtructi etc. quin et ipſi ſummo et perfectiſſimo Numini ἀνθρωποπαθῶς membra humana, affectus humani et ſimilia in ſenſum incurrentia, adſcribuntur, quamuis nihil plane habeat ἀνθρωπόμορφον, vt alibi teſtatur Scriptura ſacra, & ipſi quoque faſſi ſunt pagani, teſte DIOG. LAERT. ZENONE et PHILONE IVDAEO paſſim. Conf. huc inprimis laudati GASSENDI *Comment. de philoſ. Epic. Tom.* II. *pag.* 271. *ſqq.* Sic et, quod praeſertim huc pertinet, idem illud ἄυλον Ens repraeſentauit ſe ſub ſpecie *ignis* et *flammae*, et permiſit indulgentiſſime ſe ita deſcribi ab ἁγιογράφοις, πῦρ γὰρ καὶ φῶς, inquit CLEMENS

ALEX.

b) *Matth. VIII*, 11.

ALEX. c) ἀλληγορεῖται ὁ Θεὸς καὶ ὁ λόγος αὐτȣ̃ πρὸς τῆς γραφῆς: add. praeſertim PHIL. IVD. *Lib. de Somn. pag.* 448. *ſqq.* Non quod eius eſſentia, abſit, ignea ſit, ſed *quod ignis diuinae proprietatis*, DIONYSII AREOPAGITAE verba ſunt, *inter haec, quae ſub oculos cadunt, plurimas imagines habeat*, quae ibi ab ipſo late et operoſe recenſentur, *Lib. de Coeleſti Hierarchia, pag.* 57. *ſqq.* Edit. Pariſ. quod infra paullo accuratius docebitur. Sic MOYSI comparuit in *ardente rubo*; de quo vid. inprimis PHILO IVD. *Lib.* I. *de Vita Moſis, pag.* 475. *et ſqq.* item *Lib. de profug. pag.* 370. vt plura alia taceam vbique fere apud ipſum, in hunc ſenſum, obuia. Iſraelitis incertas et ſalebroſas ſemitas ſub *columna ignea*, ſignauit: Saepe in Pſalmis, Vatum libris, et Ioannea Apocalypſi, *ſpecie ignea*, apparet, eiusque ſedes *fulget* ibidem et *fulgurat*; in Actibus Apoſt. ſanctiſſimus ille Spiritus *linguarum ignearum* ad inſtar, in Apoſtolos effuſus fuit. φῶς, inquit de Deo B. PAVLLVS, d) οἰκῶν ἀπρόσιτον, ὃν εἶδεν ȣ̓δεὶς ἀνθρώπων, ȣ̓δὲ ἰδεῖν δύναται. Quem admodum eodem fere tropo, ab APOLLINE COLOPHONIO, Deus vocatur ἐν πυρὶ ναίων, apud LACTANT. *Lib.* I. *Inſtitut. diu. cap.* 7. *pag.* 45. *Ed. Bun.* vbi et plura huc pertinentia. Sic optimus noſter Saluator ſaepius in Nouo Foedere, inprimis apud Ioannem, vocatur φῶς: Nota quoque ex eodem ſacro libro ſatis eſt phraſis: δόξα κυρίȣ Θεȣ̃ etc. cui reſpondet Hebraeum כבוד quod *ſplendorem* denotat *illuſtriſſimum*. Alia praetereo. Sat eſt, me probaſſe, DEVM ſupremum in ſacris litteris igni et lumini comparari, eiusdemque ſedem et, vt ſic loquar, regiam *lumine puriſſimo fulgere*. Nunc videamus, quid de ſuo calido dixerit HIPPOCRATES. Δοκέει μοι ὁ καλέομεν θερμὸν, ἀθάνατον εἶναι etc. *Videtur mihi*, inquit, *id, quod calidum vocamus, ſeu quod ſub nomine et ſpecie calidi inuocamus* (καλεῖν enim et *vocare* eſt et *inuocare*, vt ex AESCHYLI *Prometh. Vinct.* SOPHOCLIS *Trachin.* et aliunde ſatis conſtat) *eſſe immortale.* Sane ex his patet luculentiſſime, HIPPOCRATEM Deo nequaquam naturam igneam adſcripſiſſe, non enim dixit: ὅ ἐςι θερμὸν, ſed ὁ καλέομεν, quod ita, ad ſenſuum hebetudini aliquan-

c) *Symp. VIII.*

d) I *Tim. VI*, 16.

aliquanto ſuccurrendum, vocamus et depingimus. Haec qui cum iis conferre velit, quae ſuperius de calidi HIPPOCRATICI immaterialitate diximus, vt ſic loquar, videbit clare, diuinum ſenem DEVM nonniſi σχηματικῶς, aut figurate, ignem ſiue calidum appellaſſe. Inde miſere ſe hic torquet Auctor *Diſſert. Anthippocrat.* qui, dum τὸ Θερμὸν Deum eſſe fruſtra negat, illas tamen diuinas proprietates τῷ θερμῷ illi ab HIPPOCR. adſcriptas, et ſoli Deo competentes, materiae potius aetheriae creatae attribuere temere audet, quam ipſam liquidiſſimam veritatem hic agnoſcere et fateri mauult.

§. XV. Sed progredior, et minori nunc probo negotio, HIPPOCRATIS hypotheſin hac in parte, nec eccleſiae chriſtianae aduerſari. Quid enim Scripturae S. illi verae et vnicae eccleſiae normae, non aduerſatur, illud nec eccleſiae poteſt: Sed prius eſt, vt demonſtraui hactenus, verum; ſequitur hinc et alterum eſſe. Nolo igitur hic, etſi poſſem, multa patrum graecorum aeque ac latinorum loca coaceruare, in quibus DEVS *ignis*, *lux*, *calor* etc. vocatur, et cum iisdem fuſe et eleganter comparatur. Vt nihil de poëtis chriſtianis dicam, apud quos hac phraſi nihil legitur frequentius: ſic, vt vnum tantum, quod iam mihi ſuggerit memoria, adferam teſtimonium, GREGORIVS ille NAZIANZENVS ſub finem *threni ſui* ſuorum laborum et aerumnarum ergo, ad Chriſtum directi, DEVM vocat ἀστράπτοντα τρισσοῖς ἐν φαέεσσιν, *in triplicibus luminibus fulgurantem.* Et quis neſcit, et noſtros Theologos in hunc vsque diem, illa ſaepius delectari ſimilitudine, et hymnos decantari in noſtra eccleſia, qui DEVM ceu *blande fouentem ignem*, ceu *puriſſimum lumen* etc. celebrant. Potius ergo ad Tertium me conuerto, quo mihi probandum eſt, hancce HIPPOCRATIS theſin nec philoſophiae ſobriae contradicere. Nimirum, quum acutiores accuratioresque perſpicerent philoſophi, τὸ Θεῖον αὐτὸ ἀόρατον ὀφθαλμοῖς, ἄρρητον φωνῇ, ἀναφὲς σαρκὶ, ἀπαθὲς ἀκοῇ, vt loquitur MAXIMVS TYRIVS, e) nec dici poſſe γένος, nec εἶδος, nec διαφορὰν, vt inquit ALCINOVS, et hinc eſſe δυσνοούμενον ζήτημα, vt SECVNDVS de DEO ait, καὶ ἀκατωνόμαστον, vt PLATO dicit apud APVLLE-

e) *Diſſ. I. et XXXVIII. de Doct. Pl. c. X.*

PVLEIVM, [f]) item ἀνώνυμον, vt Trismegistus apud LACTANT. *L.* I. *Inst. diu. c.* 6. et MAX. TYR. *Diss. laudat.* 38. vbi MARKLANDVS pro ἀνώνυμος, infelicissime legit ἄνομος, de quo alibi plura etc. sedulo eo allaborarunt, vt sub schemate quodam atque effigie ineffabilem illum spiritum adumbrarent, quo vel aliquem saltim conceptum sibi de ipso formare possent. Huc spectant inprimis illa supra iam citati TYRII MAXIMI: ἐ ἔχοντες, inquit ille, αὐτῦ (Θεῦ) λαβεῖν τὴν ἐσίαν, ἐπερειδόμεθα φωναῖς, καὶ ὀνόμασι, καὶ ζώοις, καὶ τύποις, χρυσῦ καὶ ἐλέφαντος καὶ ἀργύρε, καὶ φυτοῖς καὶ ποταμοῖς καὶ κορυφαῖς, καὶ νάμασιν, ἐπιθυμῦντες αὐτῦ τῆς νοήσεως ὑπὸ δὲ ἀσθενείας, τὰ παρ' ἡμῶν κατὰ τῇ ἐκείνων φύσει ἐπονομάζοντες, post quibusdam interiectis, ἐ νεμεσῶ, pergit, τῆς διαφωνίας. Ἴςωσαν μόνον, ἐράτωσαν μόνον, μνημονευέτωσαν μόνον; et istud SECVNDI, vbi DEVM vocat πολύμορφον εἴκασμα καὶ πολυχάρακτον μόρφωμα. Schema autem ad DEI naturam et proprietates delineandas, nullum ipsis commodius videbatur atque aptius, quam *ignis* atque *luminis*. Quum enim elementum illud omnium sit ἰσχυρότατον, *fortissimum*, vt alicubi ait HIPPOCRATES, καὶ δυνατὸν πάντα διὰ παντὸς κινῆσαι, vti idem dixit, omniaque disrumpat atque peruadat, item nutriat augeatque, et si quae hoc genus ignis aliae sint proprietates paene innumerae, a modo laudato DIONYS. AREOPAG. quam diligentissime et facundissime enarratae; putarunt, vt dixi, diuinas proprietates sub *ignis schemate* aliquantulum posse illustrari. Egregia proinde THEODOTI est meditatio super iis verbis in V. T. aliquoties occurrentibus, vbi DEVS אש אכלה seu πῦρ καταναλίσκον, aut, quod celeberrimo HARDTIO magis placebit, ἔσχαρα ἀναλίσκεσα, vocatur, quam hic transcribere haud pigebit: Ὅταν, inquit, ὁ ΘΕΟΣ λέγηται πῦρ καταναλίσκον, ἐ κακίας, ἀλλὰ δυνάμεως ὄνομα καὶ σύμβολον ἐκλεκτέον. ὡς γὰρ τὸ πῦρ ἰσχυρότατον τῶν ςοιχείων καὶ πάντων κρατῦν, ἕτω καὶ ὁ ΘΕΟΣ παντοδύναμος καὶ παντοκράτωρ, ὁ δυνάμενος κρατῆσαι κτίσαι, ποιῆσαι, τρέφειν, αὔξειν, σώζειν, σώματος καὶ ψυχῆς ἐξεσίαν ἔχων, etc. plura ibi, quae huc spectant, legi possunt, auctor enim docte in illa allegoria pergit, quibus addi etiam potest locus

f) *Doct. Plat.*

cus DIONYSII AREOPAGITAE ſupra mihi allegatus: qui niſi longus nimis eſſet atque extenſus; ob ſingularem ſuam praeſtantiam, venuſtatem atque maieſtatem ſummo quidem iure dignus vtique foret, qui totus hic legeretur: vberrime enim illa omnia confirmat, quae de hac ſcita comparatione Deum inter atque ignem ac lumen, hactenus iam diximus, atque in ſequentibus, adhuc dicemus. Quare vt ſedulo euoluatur, et curatius expendatur, auctor ſuaſorque ſum omnibus, qui vera et pulchra amant. Non ſolum autem igni DEVM veteres comparabant; ſed et lumini et ſplendori, vnde inter alia encomia, φῶς apud SECVNDVM aliosque vocatur. Quum vero illuſtrius nullum, nullumque maius Sole, viderent lumen, et conſiderarent, quam late et ample *magnus* ille, vt OVIDIVS canit, *mundi oculus* ſuos ſpargeret radios, item quam mobile et quam ὠκύδρομον eſſet corpus, et quam θαυμαστὸν σκεῦος, vt loquitur SIRACIDES; porro, vti blando ſuo calore omnia foueret, nutriret, augeretque etc. non dubitarunt, magnum creatorem, cum magno hoc, vt ita dicam, creato comparare. Hinc PLATO, g) teſte MACROBIO, *ſolum DEO ſimillimum de viſibilibus ſolem repperit, et per eius ſimilitudinem viam ſermoni ſuo attollendi ſe* (vt recte legit GRONOVIVS) *ad non comprehendenda patefecit*, ad quem locum egregium inſpicienda omnino PONTANI eſt obſeruatio: PLVTARCHVS quoque ſolem vocat περικαλλὲς ΘΕΟΥ εἴδωλον, h) *pulcerrimam DEI ſpeciem, ſeu effigiem*, apud quem et alia huius commatis legere eſt, vt et apud MAX. TYR. aliosque plures, inprimis vero PHILON. IVD. *Lib. de Somniis, pag.* 449. *ſqq.*

§. XVI. Hactenus boni illi priſci et cum illis, optimus noſter HIPPOCRATES recte fuerunt philoſophati. Sed ſicuti ex hypotheſi ſiniſtre intellecta triſtiſſima ſaepius mala, bella, iurgia ſcimus fuiſſe oborta: ita et hic contigit. Quum enim eſſent, qui illam inter DEVM ignem lumenque comparationem legerent, non autem intelligerent, DEVM comparari tantum cum igne atque ſole etc. non vero eſſe ignem atque ſolem: euenit, vt DEO igneum adſcriberetur corpus, ſol pro DEO haberetur, et materiale ſic cum immateriali confunderetur.

g) *Som. Scip. I*, 2.

h) *Lib. ad Princip. indoct.*

retur. Hinc est illud ἀθάνατον πῦρ, seu immortalis ignis, vt apud PLVTARCHVM, DIONYSIVM HALICARNASSEVM aliosque audit, quem Vestales Virgines sancte custodiebant, de quo potissimum LIPSIVS consulendus est. [i]) Hinc et Persae ignem et solem, vt ex HERODOTO, DIODORO, STRABONE, MALALA etc. notum, DEI loco colebant, quin et omnes tandem in vniuersa fere Mythologia et Theologia paganica dii ad vnum solem referebantur, quod luculenter demonstrarunt cum MACROBIVS, tum illustre illud orbis eruditi decus GISBERTVS CVPERVS [k]); item VOSSIVS, *de Idololatria;* GYRALDVS, in *Hist. Deorum;* HVETIVS, in *Demonstrat. Euangel.* GASSENDVS, *Op. de philos. Epicur.* et hoc est, quod DEVS SECVNDO πολυώνυμος δύναμις vocetur. Multis autem probare velle exemplis et testimoniis, soli diuina attributa fuisse adscripta, ipsumque deuotissime et superstitiosissime cultum; idem foret, ac probare velle, quod sol splendeat, neutrum enim probatione indiget. Vid. interim, si placet, praeter modo laudatos, THOM. HYDE et BARN. BRISS. *de Relig. et Regno persar.* SELDEN. *de diis Syr.* HERBERT. DE CHERBVRY, *de Gentil. Relig.* aliosque plures, add. FABRIC. *ad Sext. Empir. L.* IX. *pag.* 591. Audiamus tamén precantem ATRIDEM apud HOMERVM: [l])

Ἠέλιός θ᾽ ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷς καὶ πάντ᾽ ἐπακούεις.

et ORPHEVM apud MALALAM: [m])

Ὦ ἄνα κ. λ.

Πανδερκὲς, θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ἀνάσσων.

Quale quid et apud EVRIPIDEM ceterosque poëtas frequenter reperire est. Sed pessime omnium Stoici, PLVTARCHO, DIOGENE LAERT. STOBAEO aliisque testibus, DEVM et Naturam (haec enim ambo ipsis, vt notum, synonyma sunt, non aeque HIPPOCRATI, quod Cl. GVNDL. adserere voluit) definiuere per πῦρ τεχνικὸν, ὁδῷ βαδίζον εἰς γένεσιν. Et licet LIPSIVS, magnus ille Stoicorum patronus, satis argute τὸ πῦρ τεχνικὸν explicuerit; dubito tamen, an satis vere. Imo nobiscum pariter dubitat, solideque aduersus LIPSIVM,

i) *Lib. de Vesta.* k) *Harpocrate.* l) *Il. III.* m) *Chronogr.*

PSIVM, contrarium docet Rev. BVDDEVS, *Cap.* VI. *Lib. de Atheiſ. p.* 477. *ſqq.* vnde fruſtra plane et minus artificioſe illum Stoicorum ignem artificioſum contra nos, defendere ſuſcepit cl. BVRGMANN. in *Diſſ. de Stoa a Spinoziſmo et Atheiſmo exculpanda, pag.* 29. *ſq.* Conf. huc *Not.* noſtras ad *Cic. Somn. Scip. Tom.* I. *poëm. noſt. pag.* 440. quodſi enim boni illi et pii, vt videntur quidem, Stoici dixiſſent πῦρ ψυχικὸν, πνευματικὸν, αἰώνιον, ἀθάνατον, ἄϋλον, ȣράνιον, ἄφθαρτον, ἀένναον, ἀσώματον, ἀγέννητον, νοητικὸν, et νοητὸν, vt ſaepe apud PHILON. IVD. et alios, item ἄψοφον, καὶ ὄφει, καὶ ψώσει, vt eſt apud HIPP. *Lib.* I. *de Diaet.* vt et αὐτέξȣσιον, αὐτοκρατὲς, aut ſimilia alia praedicata, aut epitheta igni illi adieciſſent, ab omni nempe materia remota; tunc ſane aliqua pro ipſis defenſio haud plane incommode parari poſſet: At vero πῦρ iſtud τεχνικὸν aliquam adiectam omnino habere videtur materiam, quoniam τέχνη, ſeu Ars, ſemper opponi ſolet τῇ φύσει, καὶ Θεῷ, ceu materiale immateriali, vt cuiuis notum: hinc cadit Defenſio prorſus. Stoicos enim effigiem et ſimilitudinem DEI cum ipſa illius eſſentia confudiſſe, ſatis ſuperque puto eſſe euictum; hoc autem HIPPOCRATEM non feciſſe, ſuperius iam eſt demonſtratum, et infra iterum demonſtrabitur.

§. XVII. Sed vnum adhuc reſtat, quod et in ſuas partes a Cl. GVNDL. pertractum video: ſcilicet HIPPOCRATIS θερμὸν et veterum Αἰθέρα ſynonyma eſſe. Sic enim HIPPOCR. καὶ ὀνομῆναί μοι αὐτὸ δοκέȣσι οἱ παλαιοὶ αἰθέρα. Quum vero notum ſit, Stoicos praecipue, vt ex PLVT. DIOG. LAERT. CICERONE, LIPSIO, ſupra iam citatis apparet, aetherem pro DEO habuiſſe, hincque putaſſe eum κεχωρηκέναι διὰ τῶν ἐν ἀέρι, καὶ διὰ τῶν ζώων ἁπάντων καὶ φυτῶν etc. vt LAERTIVS n) ait DIOGENES, et ſic DEVM mundo quaſi intexuiſſe, et materiale cum immateriali confudiſſe: Sequi ergo exinde videri poterat, etiam HIPPOCRATEM hoc dogma amplexum, crediſſe, DEVM ad inſtar ſubtiliſſimi ignis, per cuncta creata eſſe diffuſum. Verum liceat hic mihi illis, quae ſuperius de HIPPOCRATIS Θερμῷ a me fuerunt diſputata, addere haec ſequentia. Aether ἀπὸ τȣ͂

n) *Zenone.*

τοῦ αἴθεσθαι potius, vt recte putant PHVRNVTVS, PHILO IVD. *de Confuſ. Linguar. pag.* 268. ANAXAGORAS, o) Scholiaſtes Ariſtophanis aliique, quam, quod PLATO, ARISTOTELES et APPVLEIVS *) ſentiunt; ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν denominatus, de quo vid. IVL. CAES. SCALIGER, *ad Hipp. de Inſomn. Apotel.* XXI. *pag.* 90. *ſq.* aliam tamen probabiliorem etymologiam vid. in *Not. noſtr. ad Somn. Scip. T.* I. *poem. pag.* 440. et ad *Grotii Chriſt. Pat. Trag. pag.* 227. pars caeli credebatur ſuprema, puriſſima, et vt poëta ait, *liquidiſſima* item ſplendidiſſima leuiſſimaque. DIODORVS SICVLVS p) περὶ κοσμογονίας loquens: τὸ πυρῶδες ἀέρος πρὸς τοὺς μετεωροτάτους τόπους συνδραμεῖν, ἀνωφεροῦς οὔσης τῆς τοιαύτης φύσεως διὰ τὴν κουφότητα. DIOGENES LAERTIVS: q) ἀνωτάτω εἶναι τὸ πῦρ ὃ δὴ (vt recte legitur apud Suidam, obſeruante quoque MENAGIO non ὄν, vt vulgo iam in codd. impreſſis, ſpectat enim ad τὸ πῦρ, quod, vt notum, tertii eſt generis) αἰθέρα καλεῖσθαι. MACROBIVS: r) *Quidquid ex omni materia, de qua facta ſunt omnia, puriſſimum et liquidiſſimum fuit, id tenuit ſummitatem, et aether vocatus eſt.* Accedat OVIDIVS: s)

Ignea conuexi vis et ſine pondere caeli
Emicuit, ſummaque locum ſibi legit in arce.

Taceo plura loca, quae nunc apud CICERONEM *Libro* potiſſimum de *N. D. ſecundo*, nunc apud APVLEIVM libris de *Philoſophia Nat. de Deo Socratis*, et maxime de *Mundo*, vbi ſaepiſſime aetherem explicat per *liquidiſſimum ignis ardorem*, nunc apud alios, inuenias. Hunc igitur Aethera, hoc liquidiſſimum inquam puriſſimum et ſplendidiſſimum ſupremumque caeli ſpatium priſci illi et cordati mortales in regiam quaſi ſedem ac palatium, diuino et puriſſimo Numini aſſignabant. Agamemnona ita precatum legimus apud HOMERVM:

Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε, κελαινεφὲς, αἰθέρι ναίων, t)

HESIODVS: u) Θῆκε δέμιν (νύκτα) Κρονίδης ὑψίζυγος, αἰθέρι ναίων. apud quem, vt et HOMERVM, dii frequentiſſime dicuntur ὑπέρτατα δώματα

o) *ad Nubes. Cratylo.*
*) *Libb. de Mundo.*
p) *Bibl. L.* I.
q) *Zenone.*
r) *Som. Sc. I,* 22. *add. Appul. de D. P.*
s) *Met. I. it. XV.*
t) *Il.* 13. *etc.*
u) E. κ. ἡ.

ματα ναίειν, item ὀλύμπια δώματα ἔχειν. In Olympo apud HOMERVM:

— — — — μάλ' αἴθρη x)
πέπταται ἀννέφελος, λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη
Τῷ ἔνι τέρπονται μάκαρες θεοὶ ἤματα πάντα.

Apud AESCHYLVM *Eumenidibus*, et ARISTOPHANEM *Thesmophoriazusis*, ita iuratur:

Ὄμνυμι δ' ἱερὸν αἰθέρ' οἴκησιν Διὸς,

Tale et apud SOPHOCLEM y) legitur, et alibi ARISTOPHANES aetherem saepius vocat Διὸς δωμάτιον, *Iouis habitaculum.* ZENO apud DIOG. LAERT. Iouem Ἀθηνᾶν dici putabat, κατὰ τὴν εἰς αἰθέρα διάτασιν τοῦ ἡγεμονικοῦ αὐτοῦ, (quamuis recte rideat miram hanc seu miseram potius etymologiam doctissimus MENAGIVS, *Obseruat.* in DIOG. LAERT. *Lib.* VII. *pag.* 319. adeo, vt mendum subesse, atque pro Ἀθηνᾶν, Αἰθέρα forsan legendum esse ego suspicer; de qua Synecdoche mox plura vel legendum forte Ἀτενᾶν, nempe ab Ἀτενὲς, quod non prorsus improbabile videtur,) et APPVLEIVS deos *in sublimi aetheris vertice locatos* z) voluit, eorumque *domum caelum* vocauit pluribus in locis: vt mittam, quae ARISTOTELES a) habet circa finem *libri de Mundo*, quaeque apud LIPSIVM in hanc rem collecta, leguntur. Sic et VIRGILIVS de campis Elysiis, vbi habitant diui, et incontaminatae ac purificatae, vt sic loquar, heroum animae:

Largior hic campos aether et lumine vestit b)
Purpureo.

Truculentus PLVTO Proserpinam vi abreptam, ita solatur, apud CLAVDIANVM: c)

Lumenque videbis
Purius, Elysiumque magis mirabere solem.

Talia multa in PLATONIS *Phaedone*, et in *Consolatione* a PLVTARCHO *ad* APOLLONIVM scripta, alibique reperire licet. Conf. si placet,

x) *Odyss.* 2. y) *Ranis.* a) *Physs. St. II,* 12.
z) *De Deo Socr.* b) *Aen. VI.* c) *de R. P. L. II.*

placet, quae copiofe hanc in rem diximus in *Obferuat. ad Somn. Scipionis, Tom.* I. *poemat.*

§. XVIII. Verum putandum non eft, tantae temeritatis fuiffe veteres, vt crediderint, DEVM, quem ὀυδὲν ἐκφεύγειν, vt dixit EPICHARMVS, καὶ πάντα δύνασθαι καὶ ἴσασθαί πάντα, vt apud HOMERVM aliquoties, καὶ πάντα ἰδεῖν καὶ πάντα ἀκούειν, vt idem ait, et EVRIPIDES quoque cum SOPHOCLE, vere afferebant, loco aliquo poffe contineri, et, vt loquitur APPVLEIVS, *comprehendi*, fpatioque quodam circumfcribi. EVRIPIDIS d) dicitur iftud:

Ποῖος δ' ἂν οἶκος τεκτόνων πλασθεὶς ὕπο,
Δέμας τὸ Θεῖον περιβάλοι τοίχων πτυχαῖς.

HERACLITVS in quadam ad HERMODORVM quemdam *epiftola*: ὁ ΘΕΟΣ ὀυδὲ ἔχει ἕνα περίβολον, ἀλλ' ὅλος ὁ κόσμος αὐτῷ ναός ἐστι ζώοις καὶ φυτοῖς καὶ ἄστροις πεποικιλμένος; e) plura, quae huc fpectant collegit DOVGTAEVS in *Analectis facris:* et maxime SPENCERVS, de *Legg. Ritual. Ebraeor. Diff.* VI, *L.* III, *c.* I. *Sect.* VII. 4. *pag.* 1203. *fqq.* Quum igitur DEVM in caelo feu aethere habitare dicerent, idem eos intellexiffe credibile eft, quod fupra iam ratione ignis et luminis, edifferuimus, nempe σχηματικῶς et comparatiue ita fuiffe loquutos. Simili enim ratione (h. e. ἀνθρωποπαθῶς vt aiunt) in Voluminibus fanctis, caelum faepiffime DEI fedes vocatur et tabernaculum, item, quod apud Iefaiam, vt et Hieropfalten etc. maxime inuenitur, DEI כסא h. e. folium; quin et a Chrifto ipfo apud MATTHAEVM, et alibi in Nouo Foedere, ΘΕΟΥ Θρόνος, in quem etiam fenfum, vt id obiter hic inferam, SOPHOCLI *Antigone*, caelum audit θρόνος Διὸς et THEOCRITO f) *Thalyfiis*, θρόνος Ζανὸς, quod Dorice, vt notum, idem ac Διὸς, et tandem COLVTHO Thebano ἕδρη ὑψιμέδοντος Διὸς. *DEI autem folium dicitur*, g) *quod in eo opificio pulcerrimis aftris pictu-rato, eiusque perpetuo et aequabili motu, diuina maieftas eximie eluceat, quemadmodum Regum gloria tunc maxime confpicua eft, quum folio fuo infident,* verba

d) *Apologia.*
e) *P. II, Excurf. XLIX.*
f) *vid.* σχολ. *Theocr.*
g) *Lib. de Raptu Hel.*

verba ſunt maximi GROTII [h]) ad *Matth. Cap.* V. qui et alibi ad *Matth.* XXIII, 22. egregium ſane locum ex *Scriptore reſponſionum ad Graecos* in Iuſtini operibus, adfert, qui hanc ſcitam GROTII interpretationem eximie prorſus approbat et confirmat. Atque ex hoc demum factum eſt, vt aether, vel caelum ἀντονομαστικῶς, aut, vt GROTIVS mauult, συνεκδοχικῶς, pro DEO ipſo ſumeretur, regia veluti pro rege, et continens (ſi ita de eo, qui nullibi continetur, loqui liceat,) pro contento. Huc illud EVRIPIDIS:

Ὁρᾷς τὸν ὑψȣ̃ τόνδ᾽ ἄπειρον αἰθέρα,
Καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ᾽ ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις,
Τȣ̃τον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ᾽ ἡγȣ̃ Θεόν.

Quod CICERO [i]) vertit, aſt *licentius*, vt ait BARNESIVS, adde et *ſomnolentius*. Conf. huc, ſi placet, Notas noſtras ad CIC. *Somn. Scip. Tom.* I. *poem. noſtr. pag.* 441. add. inprimis LVCIANI *Iou. Tragoed. pag.* 151. *Tom.* II. *Opp.* et CLEM. ALEX. *Admonit. ad Gent. pag.* 48. vbi alius eximius ex iſto Euripide locus, cum aliis. Tale et illud eſt ENNI bis a TVLLIO, ſemel ab APPVLEIO allegatum:

Adſpice hoc ſublime candens, quem inuocant omnes Iouem.

Plura loca, vbi Iuppiter nonnunquam pro caelo, et hoc pro Ioue ponitur, inuenire eſt apud VIRGILIVM *libro* potiſſimum *Georgicω̃n ſecundo;* apud LVCRETIVM ſaepiſſime, apud HESIODVM, adnotante GRAEVIO, *Lect. Heſiod. cap.* X. *pag.* 52. atque OVIDIVM aliquoties, apud poëtas ceteros paſſim: conferatur etiam omnino MACROBIVS, [k]) item et HERACLIDES, ſeu ille, qui auctor eſt τῶν ἀλληγοριῶν ὁμηρικῶν. Praeſertim vero vid. GATAKER. ad *Marc. Antonin. Lib.* IV. *pag.* 110. vbi innumera paene hanc in rem, Veterum loca collegit, item BARTH. in *Comment. ad Claudian. pag.* 1120. Sed nec ſacri Scriptores illam συνεκδοχὴν penitus reſpuunt: [l]) Notum enim, vocem Hebraeam שמים, ſeu vt apud Danielem legitur שמיא figurate ſumi pro DEO ipſo; quale quid vel in Nouo Teſtamento vſu venit,

quum

h) *p. m.* 388.
i) *Lib. II. de N. D.*
k) *S. S. I,* 14. *et Sat. I.* 18.
l) *Cap. IV,* 23.

quum ab ipſo Saluatore ὀυρανὸς opponitur τοῖς ἀνθρώποις: m) plura alia taceo, ne in Theologorum caſtra, quum Medicus ſim, irrupiſſe videar: Legi tamen de hac re poſſunt GROTIVS ad dictum *Lucae caput* XV. HEINSIVS cum in *Adnotationibus*, tum *Ariſtarcho*, et LOMEIERVS n) de *Luſtrationibus Veterum gentilium*, item GATAKERVS, vt BVXTORFIVM, SCHINDLERVM, GVSSETIVM aliosque gloſſariographos ſileam, qui omnes notarunt, hanc Synecdochen Rabbinis et Thalmudiſtis familiariſſimam eſſe. Conf. huc inprimis, quae BEYERVS in *Additament. ad Selden, de Dis Syris, pag.* 333. *ſqq.* hac de re collegit et notauit. Hoc igitur quoque ſenſu, quin ſapienter veteres τὸ Θερμὸν HIPPOCRATIS, h. e. ſummum DEVM ſub ignis effigie, adumbratum, aethera vocauerint, nihil profecto, cur dubitem, cauſſae video. Vnde autem illud ſit ortum, quod Veterum quidam, praecipue Stoici, quorum copioſa loca diligentiſſime collegit laudatus GATAKER. *loc. cit.* praeſertim autem CLEANTHES, apud CICERON. *Lib.* I. *de Natura Deor. pag.* II. item PANAETIVS, ANAXIMENES, eiusque diſcipulus DIOGENES APOLLONIATES, putarent, aethera, ſiue caelum reuera eſſe DEVM, atque expanſum quid per omnia creata, nunc, quam breuiſſimis potero, eloquar.

§. XIX. Nimirum, quum paganorum plurimi DEVM et omnipraeſentem crederent et omniſcium, vt ſuperius ex HOMERO multisque aliis probaui, et iam ex duobus plane eximiis XENOPHONTIS o) locis probare poſſem, niſi res nota ſatis eſſet et decantata, ipſisque hinc, dum σχῆμα illud, de quo hactenus, haud recte caperent, mirum, quin ridiculum quoque videretur, omniſcientem et omnipraeſentem caelo quaſi includere, et loco quodam circumſepire: euenit, vt aetherem, ſeu coelum, figurate licet, vt ſupra docui, pro Deo ſumtum, pro DEO ipſo haberent, ſic putantes, eius omniſcientiam et omnipraeſentiam eo concipi poſſe melius, ſi adſererent, eum ſub ſpecie ſubtiliſſimi ignis vel et aëris, per cuncta eſſe fuſum, ac expanſum, et ſic totum complere mundum. De qua Veterum philoſophorum, praeſer-

m) *Matth.* XXI, 25. *adde Luc.* XV, 18. *et ibi Wolf.*

n) *Cap.* X.

o) *Cyropaed. L.* I. *et in Sympoſ.*

praesertim vero CLEANTHIS opinione, imo rectius errore, vid. si placet, quae dudum diximus in *Notis ad Somn. Scip. Tom.* I. *poem. nost. pag.* 440. satis, ni fallor, exacte. Conf. FABRICII *Bibl. Graec. Lib.* III. *c.* 6. *p.* 177. *sqq.* WOLF. *Diss. de Atheismi falso suspectis*, et BVDD. *de Atheismo, cap.* I. *pag.* 23. *sqq.* qui tamen sequentis loci singularis ex PHILEMONE depromti haud meminerunt, quod miror: quibus add. GASSEND. *de Philos. Epicur. Tom.* II. *p.* 45. *sqq.* item CVDWORTH. in *System. Intellect.* et STEPHANI *Theol. Hipp. cap.* II. *pag.* 200. *sqq.* praecipue *pag.* 202. *seq.* Locus certe luculentus apud PHILEMONEM Comicum extat, vbi aër in hunc modum loquens introducitur, quem, etsi paullo est diffusus, adscribam tamen:

Ὃν οὐδὲ εἷς λέληθεν οὐδὲν ποιῶν,
Οὐδ᾽ ἂν ποιήσων, οὐδὲ πεποιηκὼς πάλαι,
Οὔτε Θεὸς, οὔτ᾽ ἄνθρωπος, οὗτός εἰμ᾽ ἐγώ,
Ἀὴρ, ὃν ἄν τις ὀνομάσειε καὶ Δία.
Ἐγὼ δ᾽, ὃ Θεοῦ 'στιν ἔργον, εἰμὶ πανταχοῦ,
Ἐνταῦθ᾽ ἐν Ἀθήναις, ἐν Πάτραις, ἐν Σικελίᾳ,
Ἐν ταῖς πόλεσι πάσαισιν, ἐν ταῖς οἰκίαις
Πάσαις. Ἐν ὑμῖν πᾶσιν οὐκ ἔστιν τόπος,
Οὗ μή 'στιν ἀήρ. ὁ δὲ παρὼν ἁπανταχοῦ,
Πάντ᾽ ἐξ ἀνάγκης οἶδε, πανταχοῦ παρών.

Notum quoque illud ARATI:

- - μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ,
Πᾶσαι δ᾽ ἀνθρώπων ἀγοραί. μεστὴ δὲ θάλασσα,
Καὶ λιμένες πάντη δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες.

Vnde natum istud MARONIS:

Iouis omnia plena: idem ille alibi: p)

Deum namque ire per omnis
Terrasque, tractusque maris, caelumque profundum. q)

Et *Aeneidos* VI.

Principio caelum ac terras, camposque liquentis etc.
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

p) *Ecl. III.* q) *Georg. IV.*

Quae

Quae verba paſſim explicat MACROBIVS, item SERVIVS, praecipue vero LA CERDA in vaſto doctoque *Comment.* ad iſtum locum *Virg. pag.* 712. *ſqq.* vt et STEPHANVS, in *Theol. Hipp. cap.* 2. *pag.* 202. *ſqq.* apud FABRIC. quem et vid. ad *Sext. Empir. Lib.* IX. *pag.* 591. item IO. CLERICI *Comment. ad Coheleth. Salom.* XII. *pag.* 723. praeſertim vero multa, apud HERBERT. DE CHERBVRY, *Lib. de Gentilium Religione,* et VOSS. *Lib.* VII. *de Idolol.* Dixerat et AESCHYLVS, teſte CLEMENTE ALEXANDRINO:

Ζεύς ἐςὶν αἰθὴρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ' ὀυρανὸς, r)
Ζεύς τοι πάντα.

Et ante ipſum ORPHEVS s) verſibus, quos et ARISTOTELES citat et APPVLEIVS, quorumque initium eſt:

Ζεὺς πρῶτον γίνετο, Ζεὺς ὕςατος ἀρχικέραυνος.

Accedat et illud ſancti, vt ait poëta, CATONIS ad LABIENVM, apud LVCANVM:

Eſtne DEI ſedes niſi terra, et pontus, et aër,
Et caelum et virtus? Superos quid quaerimus vltra?
Iuppiter eſt quodcumque vides, quocumque moueris.

Quae verba, vt id obiter moneam, paullo aliter allegat ill. BOYLIVS. MANILIVS t) quoque cecinit, *Lib.* II. *pag.* 32.

Quum ſpiritus vnus
Per cunctas habitet partes, atque irriget orbem
Omnia peruolitans, corpusque animale figuret.

Addendus hic quoque eſt SENECA *Epiſt.* XLI. et alibi, item CICERO, *Lib.* I. *de Natura Deor.* vbi de CLEANTHE agit, vt et de ANAXIMENE et DIOGENE APOLLONIATE, ipſius diſcipulo: Vid. et huc inprimis CLEMENS ALEXAND. *Lib.* V. *Stromat. pag.* 598. *ſqq.* vbi plura Veterum poetarum et philoſophorum loca collecta exhibentur, ex quibus quaedam iam ſupra laudata, et potiſſimum, quae SENECA recentior habet in *Stoicorum phyſiologia* ſaepius iam diiaudata:

 quibus

r) *Stromat. V.* et *Admonit. ad Gent. pag* 48. *ſqq.* item *Iuſtin. Mart.* et *Athenagor.*

s) *Libb. de Mundo.*

t) *Lib. de Natura.*

quibus add. BVDDEI *de Atheiſ. Cap.* I. *pag.* 23. *ſeqq.* et *Cap.* VI. *pag.* 477.

§. XX. Et ſic ſubtilia illa dicam? an vilia hoc paſſu ingenia, DEI et omniſcientiam et omnipraeſentiam optime poſſe concipi exiſtimabant. Verum, quam abſonum ſit atque inſulſum, de DEO, Ente, vt ſic loquar, ſummo ac perfectiſſimo, tam rudes tamque materiales ſibi conceptus fingere, facili quilibet perſpiciet negotio, qui modo cognouerit, quod, quum DEVS ſit perfectiſſimus, ſummarum ipſius virtutum nec modus ambitusque, nec vis ab imperfectiſſimo homine percipi ac concipi queat. Infinitum enim non cadit in intellectum finiti, vt bene dicitur. Hoc inter alia, palam fit in MOYSIS [u]) hiſtoria, cui DEI *ſplendorem* perſpicere cupienti, reſpondebatur, fieri haud poſſe, vt homo, quatenus mortalis, et corpore indutus, eximiam diuini Numinis excellentiam oculis luſtrare poſſit, quin extemplo intereat. De quo vid. egregie tractantem PHILONEM IVD. *Lib. de Monarchia, p.* 630. *ſqq.* et de *Vita Moſ.* Nam nec totus mundus, immo ſi plures etiam cum priſcis finxeris, imo et recentioribus, vt HVGENIO, FONTENELLIO, LEIBNITIO, WOLFIO, DERHAMIO, et aliis magnis huius aeui philoſophis, ad tantum tantum Dominum ſufficit capiendum. Quid enim humilis caſa vileque tugurium in magni Regis Principisque oculis, idem illud totus ille et circumfuſus orbis coram DEO Regum Rege, Dominorum Domino; quum terra, teſte ipſa Scriptura S. ſit tantum pedum ipſius ſcabellum. Egregie proinde, vt plerumque ſolet, IVDAEVS PHILO: [x]) ΘΕΟΥ͂ ὐδὲ ὁ σύμπας κόσμος ἄξιον ἂν εἴη χωρίον καὶ ἐνδιαίτημα. ἐπὶ αὐτὸς ἑαυτῷ τόπος, καὶ αὐτὸς ἑαυτῦ πλήρης καὶ ἱκανὸς ὁ ΘΕΟ'C. κ. λ. Idem alibi: [y]) ὑπὸ τῦ ΘΕΟΥ͂ πεπλήρωται τὰ πάντα, περιέχοντος, ὐ περιεχομένυ, ᾧ πανταχῦ τε καὶ ὐδαμῦ συμβέβηκεν εἶναι μόνῳ. ὐδαμῦ μὲν, ὅτι καὶ χώραν καὶ τόπον αὐτὸς τοῖς σώμασι συγγεγέννηκε. τὸ δὲ πεποιηκὸς ἐν ὐδενὶ τῶν γεγονότων θέμις εἰπεῖν περιέχεσθαι. Πανταχῦ δὲ, ὅτι τάς δυνάμεις ἑαυτῦ διὰ γῆς, καὶ ὕδατος, ἀέρος τὲ καὶ ὐρανῦ τείνας, μέρος ὐδὲν ἔρημον ἀπολέλοιπε

u) *Exod. XXXIII.* x) *de Leg. allegor.* y) *de Confuſ. Linguar.*

λέλοιπε τῦ κόσμυ, [z]) et quae ibi ſequuntur plura, conferri quoque hic ſummus meretur GROTIVS. Sufficit igitur, nos ex reuelatione ſcire, DEVM vbique eſſe praeſentem, ſcireque omnia, vi immenſae ſuae τελειότητος, et conſummatae virtutis: nil refert, cognoſcere velle, quo modo id fiat; illud enim plane ſupra captum noſtrum: mirari iſtud conuenit, non rimari: id enim nimis eſt curioſi, naſutuli, demum et impii, quod vel ipſi caeci pagani agnouerunt. MENANDER:

Τίς ἐςιν ὁ ΘΕΟ'Σ, ἐ θέλῃς σὺ μανθάνειν,
Ἀσεβεῖς, τὸν μὴ θέλοντα, μανθάνειν, θέλων.

Et PHILEMON:

ΘΕΟ'Ν νόμιζε καὶ σέβυ, ζήτει δὲ μὴ,
Πλεῖον γὰρ ὐδὲν ἄλλο, ἢ ζητεῖν ἔχεις.
Ὡς ὄντα τῦτον καὶ παρόντ' ἀεὶ σέβυ.

Sed plura Similia Veterum eximia plane et diuina propemodum dicta collegit GROTIVS in *Prolegomen. ad Florileg. Stob.* et in *Comment. ad Prouerb. Salom. cap.* XXV. *pag.* 255. item GATAKERVS, HVETIVS, CVDWORTHS, CLERICVS, VOSSIVS, et alii Viri magni. Hinc ſatis patere arbitror, quam ſtolida (ignoſcite Lectores, volui Stoica) eorum ſit ſententia, qui et hoc die, Deum per *ſpatium* definire non erubeſcunt, loco illo *Act.* XVII, 28. quamuis inuito et reclamante, in probationem pertracto. DEI enim eſſentia ab homine, quatenus tali, deſcribi nequit, niſi admiſta quapiam materia. DEVM autem ſibi fingere materialem, impium eſt, vt dixi, et blaſphemum: hinc hic tacere praeſtat, quam loqui; ſin autem de DEO loqui velimus, dicamus: ſcimus quod DEVS ſit, neſcimus, quid ſit, niſi perfectiſſimum quid. Pie igitur prorſus, reuerenter, egregie ac ſapienter, ſic AVGVSTINVS, in Pſalm. 85. *Terram cogitas? non eſt hoc Deus. Mare cogitas? non eſt hoc Deus. Omnia, quae ſunt in mari, quae volant per aërem? non eſt hoc Deus. Quidquid lucet in Coelo, Stellae, Sol et Luna? non eſt hoc Deus. Angelos cogitas? Virtutes, Poteſtates, Archangelos, Thronos, Sedes, dominationes? non eſt hoc Deus. Et quid demum eſt? Hoc ſolum dicere potui, quid non ſit. Quaeris, quid ſit? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in Cor hominis*

z) *Comment. ad Matth. V. p. m.* 61.

minis adſcendit. In quem inſignem AVGVSTINI locum ampliſſime, doctiſſime et religioſiſſime commentatus quaſi eſt Cel. GASSENDVS, in *Phil. Epicur. T.* II. *p.* 44. *ſqq.* Sed hic dictis meis in HIPPOCRATIS locum περὶ Θερμȣ͂, finem facio: et licet multa, immo forſan nimia, dixiſſe videar, cenſuram tamen adeo duram meruiſſe vix crediderim. Erat enim hic locus prae reliquis ſedulo excutiendus, quoniam aliquod ex illo de HIPPOCRATIS Atheiſmo, ſeu Deo HIPPOCRATIS materiali, peti fortaſſe poterat argumentum.

§. XXI. Sed ad reliqua iam progredior, et *locum* inprimis, qui nunc a Cl. GVNDLINGIO allegatur, *quintum* breuiter et perſpicue explanare ſatago, quod et in reliquis ſequuturis me facturum ſemel et ſimul promitto. Is autem ex libri *Epidemiωn VIti Sectione ſecundum Lindanum, Vta* deſumtus ita habet: Ἀνευρίσκει ἡ φύσις αὐτὴ ἑωὐτῇ τὰς ἐφόδȣς, ȣ̓κ ἐκ διανοίης etc. Putat hic Cl. GVNDL. haec verba (ſatis corrupte, vt id obiter moneam, ab ipſo exſcripta) loco de Θερμῷ ſuperiori non aduerſari: vnde et ſtatim illi illa adnectit: ſed ego, pace eius, plane aliud: toto inquam caelo aduerſantur, idem enim hic fere eſt, quod ſupra in *ſecundo loco*, vbi HIPPOCRATES, dixerat φύσεις πάντων eſſe ἀδιδάκτȣς, ſatis a me, vt puto, dilucidato. Nam probare vult hoc loco diuinus Senex, Naturam, h. e. vt ſaepius iam dixi, motus illos naturales et ordinatos, ſeu mechaniſmum concreatum, nec ratione impulſam, nec conſilio vſum, ea, pro ſapientiſſima ſummi conditoris ſententia et voluntate, facere ac abſoluere, quae machinae corporeae animatae conducant, qualia v. g. ſunt τὸ σκαρδαμύσσειν, καὶ ἁ ἡ γλῶσσα ὑπȣργέει, (quae immediate apud HIPPOCRATEM ſequuntur dicto loco, ſed omiſſa ſunt a Cl. GVNDLINGIO, quia ſcilicet in ſuam rem non videbantur) ad quae verba GALENVS [a]) ſcitiſſime: τὸ σκαρδαμύσσειν (ὀνομάζεται δ' ȣ̔́τως τὸν κλείσαντα τὰ βλέφαρα, διὰ ταχέων αὖθις ἀνοῖξαι) παραχρῆμα τοῖς γενηθεῖσιν εὐθέως ὑπάρχει ζώοις ἀδιδάκτως; et poſt paullo ad verba: γλῶσσα ὑπȣργέει: προελομένων ἡμῶν ἡντινȣ͂ν φθέγξασθαι φωνὴν, ἡ γλῶττα πρὸς τὴν διάρθρωσιν αὐτῆς ἑτοίμως ὑπηρετεῖ etc. et quae ibi ſequuntur lectu ſane digniſſima. Quem

a) *Comment. ad VI. Epid. Hipp.*

Quem et in hunc ſenſum vid. *Lib.* I. *de Vſu part. cap.* 3. *pag.* 286. *Tom.* IV. et paſſim in ſqq. item *Lib.* V. *de Loc. Pat.* de quo eximio loco nos ſupra §. VII. Conf. huc inprimis SEELMATTERI *Comment. de Natura Hipp.* quae tota hic conferenda, *pag.* 7. *ſqq.* item GASSEND. *Comment. in Lib.* X. DIOG. LAERT. *de phyſiol. Epicur. Tom.* I. *pag.* 355. *ſqq.* et HOFFMANN. *Tom.* VI. *Opp. pag.* 256. *ſqq.* et quos ibi laudat Auctores plures. item KVHN. ad *Aelian. Var. Hiſt. L.* X. *c.* 3. Nunc, qui haec, ex Cl. aduerſarii hypotheſi, cum ſuperiore loco de θερμῷ, ſeu calido, concordent, diſpicere lubet. Dixerat ſupra, vt modo vidimus, HIPPOCRATES, τὸ Θερμὸν ſapientiſſimum eſſe, ſcire omnia, omnia intelligere, ſingula videre atque audire: hic autem e contrario de φύσει (quae, vt decies monui, Cl. GVNDL. idem ac θερμὸν ſeu Θεῖον HIPPOCRATIS, ſed peſſime,) dicit, eam ne διάνοιαν quidem habere. Nonne autem hae apertae contradictiones? nonne toto quaſi coelo, haec bina loca differunt? Sed videamus iam, qua ratione nihilominus haec verba Cl. GVNDL. explicuerit, aut, vt dicam quod res eſt, inuita licet et repugnantia, in ſuas partes traxerit. Dicit ſcilicet, HIPPOCRATEM hiſce id innuiſſe, *quod Natura nulla indigeat deliberatione, quia nempe omnia iam ſciat perſpectaque habeat.* Verum doleo, Virum Clmum ſe hic iterum a falſa verſione falli paſſum fuiſſe: peſſime enim τὸ ἐκ διανοίης, verſum eſt *ex praemeditato*, quum διάνοια, prout ex Lexicis antiquis, et ipſo quoque HIPPOCRATE, qui aliquoties hac voce in hunc ſenſum vſus eſt, ſatis eſt notum, idem potius valet ac *ratio, intellectus*, item *et cogitatio.* Quilibet igitur ex hactenus dictis facillime, opinor, videt, HIPPOCRATEM ceu aliquid mere mechanicum, et ab alio principio ſapientiſſimo et potentiſſimo inſtructum et impulſum, licet hic contra ſentiat Cl. SCHELHAMMERVS, naturam conſideraſſe, ipſique omniſcientiam neutiquam attribuiſſe. Vbi enim ne διάνοια quidem; certe ibi multo minus omniſcientia. Recte ergo atque ſapienter in hunc ſenſum GALEN. *Lib.* I. *de vſ. part. cap.* 3. *pag.* 286. *T.* IV. φύσιες ζώων ἀδίδακτοί φησιν ὁ Ἱπποκράτης, ταύτῃ μοι δοκεῖ. Τὰ μὲν ἄλλα τῶν ζώων, φύσει μᾶλλον, ἢ λόγῳ, τέχνην τινὰ διαπράττεσθαι; et ſic ſaepe alibi. Vid. mox alium

T ſimilem

ſimilem locum ex ipſo deſumtum. Atque ſic ſponte fluit, naturam omnia, quaecumque demum in noſtro corpore agat, facere αὐτομάτως καὶ ἀδιδάκτως, prout nempe iuſſa eſt, ſeu potius impulſa a ſapientiſſimo creatore, vt ſupra iam monitum fuit, et ita δι᾽ ἀνάγκην θείην, vt alibi ipſe loquutus eſt HIPPOCRATES. b) Atque ſic dudum hunc ipſum locum, vna cum ſequenti, rectiſſime et acutiſſime explicuit maximus ille Heros, IVL. CAES. SCALIGER, *Exercitat. Anticardan.* CLXXXVIII. *pag.* 586. *ſqq.* item WEDELIVS, in diatribe de *demonſtratione Hippocrat. pag.* 4. *ſqq.* vt et GASSEND. de *Phil. Epicur. l. c. pag.* 355. inprimis vero FABRIC. in *Not. ad Stephani Theol. Hipp. pag.* 193. *Tom.* XIII. *Bibl. Graec.* vbi praecipue illa vrget verba: δι᾽ ἀνάγκην θείην, rectiſſimeque inde concludit, ſola illa ſufficere, ad abſoluendum ab Atheiſmo Hippocratem: Conf. cl. MATTH. *Comment.* VII. *in Hipp. de Dec. Orn. pag.* 168. et quem ibi opportune laudat ZVINGERVM, vid. et ibidem *pag.* 194. *ſq.* item cl. BERNARD. ad *Pallad. de Febr. Cap.* 26. *pag.* 86. *ſq.* Hoc etiam ſequentia HIPPOCRATIS verba ex eodem *lib. Epidem. VIto* deſumta et a Cl. GVNDLINGIO (ſatis vitioſe) allegata probant: Ἀπαίδευτος ἡ φύσις ἐοῦσα καὶ οὐ μαθοῦσα τὰ δέοντα ποιέει, h. e. natura licet edocta non ſit, nec diſcendi facultate inſtructa, facit nihilominus ea, quae et vtilia ſunt (noſtro corpori) et neceſſaria, quaſi ea didiciſſet. Significat enim τὸ δέον, vnde τὰ δέοντα, et ξυμφέρον ſeu vtile, et ἀναγκαῖον, ſeu neceſſarium: prius teſtantur VLPIANVS celebris ſuauidici DEMOSTHENIS Scholiaſtes, et GALENVS *ad* I. *Hippocratis Aphoriſmum*, item et alibi: vtrumque autem Suidas et alia Lexica antiqua. Sunt autem illa δέοντα, ſeu χρήσιμα, vt GALENVS dicto iam loco ait, quae natura ἀπαιδεύτως efficit, quae apud HIPPOCRATEM ſequuntur, iterum a Cl. GVNDL. male omiſſa: δάκρυα, ῥινῶν ὑγρότης, πνεύματος εἴσοδος κ. λ. de quibus iam nihil dico: euoluat, cui volupe, amplum illum, ſed doctum et elegantem GALENI *in h. l. Commentarium*, addatque, ſi fuerit viſum, quae nos ſupra ad priora HIPPOCRATIS loca. Volui hic tantum demonſtrare, quod praeſens locus cum ſuperiori de Θερμῷ, ſeu calido, nil quidquam habeat

b) *Lib. de Diaet.*

beat commercii, et quod HIPPOCRATES suae naturae neutiquam rationem adscripserit et iudicium: sed non volui solum; verum re ipsa demonstraui, et amplius possem, si duo illa illustrissima loca allegarem, quorum alter est *Lib.* I. *de Diaeta*, alter *lib. de Flatibus*, quae vt euolvantur, serio moneo: iam satis sit ea modo allegasse: interim Conf. FABRIC. ad *Steph. Theol. Hipp.* loc. cit. *pag.* 193. item *pag.* 209. ipsum vero STEPHAN. *Cap.* II. *pag.* 202. *sqq.* vt et MATTH. *Comment.* VII. *pag.* 194. *sqq.* Vnum adhuc praetermittere nolo. Legit scilicet GALENVS modo citata HIPPOCRATIS verba in hunc modum: c) Ἐυπαίδευτος ἡ φύσις ἐοῦσα κ. λ. Hanc lectionem reiicit Cl. GVNDLINGIVS; nec ego eam sine quadam distinctione admiserim. Potest tamen omnino admitti, si nempe haec verba ita explicentur; quod natura vtilia et necessaria agere non amplius discat, sed iam antiquitus sit εὐπαίδευτος, bene instructa, bene impulsa ac disposita ad illa agendum, a summo scilicet sui creatore, qui solus potest εὐπαιδεύειν, et quae in rem sunt nostram, ordinare. Nec refragantur sibi inuicem, vt Cl. SCHELHAMMERVS putabat, τὸ εὐπαίδευτον εἶναι, et qui locus supra adfuit, οὐκ ἐκ διανοίας πράττειν. Potest enim v. g. artifex rem suam saepe ita bene agere, vt ob exquisitum in arte sua habitum, longumque vsum, eam, aliud quasi agendo, absoluat, et scopo suo minime excidat. Id quod variis appositis exemplis, instantiis et similitudinibus, egregie plane illustrat magnus CVDWORTHVS, in *Diss. de Natura Genitrice pag.* 168. vbi de hoc ipso HIPPOCR. loco acute differit, add. ibidem MOSHEM. vt et *pag.* 181. et *pag.* 104. Ex quibus lucem opinor, clarissimam accipiet locus ille singularis, HIPPOCR. *Lib. de Arte, pag.* 11. ἡ φύσις αἰσθανομένη ἀξιοῖ θεραπεύειν, σκοποῦσα, ὅπως μὴ τόλμη μᾶλλον, ἢ γνώμη, καὶ ῥαςώνη μᾶλλον, ἢ βίη, θεραπεύη. Apparenter enim hic κατὰ γνώμην καὶ σκοπὸν, agere et operari in morbis, recte dicitur, Natura ipsa, quoniam nempe ab ipso sapientissimo sui creatore ita ab initio instructa et determinata fuit, vt secundum certas rationes, leges et scopos praefixos salutares, semper agere debent, vt saepius dictum. Inde acute et vere in hunc quidem sensum,

c) *Lib. IX. de Pl. Hipp. et Plat.*

DEMETRIVS PEPAGOMEN. *de Podagra, cap.* I. ἡ φύσις ἄλογος ὖσα, τὰ κατὰ λόγον ποιεῖ, quod ſenſu idem eſt, ac quod modo dixerat ipſe HIPPOCRATES. Elegantem vero ex GALENO hanc in rem, ſententiam ibidem producit idem DEMETRIVS quibus add. PALLAD. *de Febr. cap.* 26. *pag.* 86. ibique *Not.* cl. BERNARDI. Nec mihi magni GASSENDI d) hic probatur opinio, dum non ſolum hanc GALENI lectionem adprobat et commendat; ſed et putat, τὸ ἀδίδακτος καὶ ἀπαίδευτος, idem eſſe ac αὐτοδίδακτος, αὐτομαθὴς, ſenſum ita ſupplendo, φύσιν eſſe ἀδίδακτον, eius ſcilicet reſpectu, quod *nemo ipſam inſtruxerit.* Ortum enim falſa haec explicatio ex eo trahit, quod GASSENDVS, vt ſupra iam innui, putet, φύσιν HIPPOCRATI idem eſſe ac DEVM et creatorem, quod tamen falſum eſt, vt ad rauim fere vſque hactenus dixi. LIPSIVS, e) vt et eius hic mentio fiat, legit: ἡ φύσις ἐκ τῦ σάυ μαθῦσα, vnde, aut quare, definire non audeo, mihi certe haec lectio non placet, nec alii forte me doctiori placebit: Praeſertim quum illud τῦ σάυ, nullum plane hic habeat ſenſum; adeo, vt hinc forte ille ſcribere voluerit τῦ ἑαυτῦ, vti ex Verſione colligere licet, ita, vt talis fere illis ineſſe ſenſus videatur, qualis in iſtis DIODORI SICVL. *Lib.* III. *pag.* 181. *Tom.* I. αὐτοδιδάκτυ πρὸς τὰ τοιαῦτα τῆς φύσεως ὖσης ἅπασι τοῖς ζώοις, vbi conf. Cel. WESSELINGII Not. ἐκ τῦ σάυ tamen etiam dudum legerat SCALIGER, *Exercitat. Anti Card.* 188. *pag.* 587. vbi ipſe hunc locum egregie illuſtrat, cum aliis; Forte pro *impetu*, vocem iſtam ſumſerit vterque. Ceterum vid. huc eximium plane locum apud PHILON. IVD. *Lib. de Decalogo, pag.* 587. laudatum quoque et ſcite latine verſum a ſummo HVG. GROTIO, in *Proleg. ad Ius Bell. et Pac.* 7. *fol.* III. Conf. GASSEND. de PHYSIOL. EPIC. *pag.* 355. *ſqq. Comment. in L.* X. DIOG. LAERT. *Tom.* I. item HOFFMANN. *L.* VI. *Opp. Med. pag.* 256. *ſqq.* et FABRIC. ad *Stephani Theol. Hipp. Cap.* 7. *pag.* 235. *ſqq.* vt et IOACH. KVHN. ad *Aeliani Hiſt. Var. Lib.* X. *cap.* 3. *pag.* 646. *ſq.*

§. XXII. Ad locum iam accedo ex HIPPOCRATIS παραγγελίαις ſeu *Praeceptionibus*, excerptum, perdifficilem, vt multis fuit viſum,

d) *Comment. in Vit. Epic. Diog. Laërt.* e) *Phyſiol. Stoic. I. diſſ.* 5.

ſum, at facilem, vt mox patebit; legitur autem ita: ὑποληπτέον ὖν, τὴν φύσιν ὑπὸ τῶν πολλῶν καὶ παντοίων πρηγμάτων κινηθῆναί τε καὶ διδαχθῆναι βίης ὑπεύσης. An hicce Praeceptionum liber germanus ſit, vt credidit Clar. SCHELHAMMERVS, HIPPOCRATIS foetus, ego iam non diſquiro; rationes, cur dubitem, adſcribam alibi, inpraeſenti id tantum dico, eum tam foede eſſe deprauatum ac corruptum, vt nec HIPPOLYTVS nec HECTOR dilacerari magis atque deformari potuerint. Eſto interea, illum HIPPOCRATIS eſſe; nos potius de abdito horum verborum ſenſu iam ſumus ſolliciti. Si illius loci antecedentia conſulamus, (quod in ſcriptorum interpretatione ſemel eſt obſeruandum et ſemper) palam fiet, HIPPOCRATEM loqui de λογισμῷ ſeu διανοίᾳ, ratione et ratiocinio, et αἰσθήσει, ſenſu atque perceptione, ſeu facultate illa mentis obiecta externe oblata percipiente et quaſi ſine ordine conſarcinante, poſtea vero ea ad rationem et iudicium deferente, quo ſcilicet huius ope, ſeparanda ſeparentur, quaeque ſibi reſpondent, ideae inter ſe inuicem componantur, et quae alia rationis ſunt officia et attributa, f) quae docte recenſet MAXIMVS TYRIVS: qua de re vid. ſubtiliſſime ſolidiſſimeque tractantem IVL. CAES. SCALIGER. *Exercit. Anti Cardan.* CCCVII. *pag.* 880. *ſq.* vbi hunc ipſum HIPP. locum ſcitiſſime ſimul explicat. add. SCHELHAMMERI *Diſſ. de Medico Philoſopho* ἰσοθέῳ, §. 27. vid. et inprimis ibidem §. 16. vt et MAX. TYR. *Diſſ.* XXVIII. *pag.* 288. Iam igitur de αἰσθήσει illa loqui pergit HIPPOCRATES, eiusdemque mobilitatem, agilitatem, et multarum variarumque rerum ideas captandi, ſibique easdem imprimendi promtam alacritatem docens, inquit: ὑποληπτέον ὖν τὴν φύσιν κινηθῆναι καὶ διδαχθῆναι etc. At, dicat forſan quis, φύσις aliud eſt quam αἴσθησις, et hinc haec duo non apte συνωνύμως ſumi poſſunt: Reſpondeo: eſt interdum aliud, immo vt plurimum; interdum et non: vox enim φύσεως, vt ſub huius Exercitationis initium monui, eſt πολύσημος, et varium admittit ſignificatum. g) Si igitur ea τῇ νοήσει et διανοίᾳ opponitur, idem eſt ac indoles, et vt ſummus vertit GROTIVS, ingenium, ſolertia, alacritas illa natiua percipiendi aliquid

f) *Diſſ.* XL. *pag.* 401.

g) *vid. Schelh. de Nat. L. I. c. I. §. IV. ſqq.*

aliquid ac retinendi, quod ſcite Galli exprimunt per *le naturel*, *le genie*, *la capacité*, *habileté*, etc. atque in hoc ſignificatu aliquoties apud noſtrum legitur HIPPOCRATEM. Conf. idem SCHELHAMMER. *Diſſ. de Medico Philoſopho* ἰσοθέῳ §. §. §. XIII. XIV. *et* XV. *et* §. LXXIV. Sic in *Lege*, ille, qui perfectam ſibi Medicinae comparare velit ſcientiam, iubetur ἐπίβολος γενέσθαι φύσιος, vbi et in hanc rem plura; de quo loco vid. Reu. MOSHEM. ad CVDWORTH. *Syſtem. Intellect. Cap.* III. *pag.* 104. vbi et alia notatu digna: item in *Libro* περὶ εὐσχημοσύνης, nunc vaſtis eheu! et obſcuris commentariis onerato, eodem ſenſu dicitur ἡγεμονικώτατον ἡ φύσις, negante licet ibidem cl. Editore *pag.* 54. et operoſius *Comment.* IV. *pag.* 98. *ſqq.* quo in loco verba mox ſequentia notata ſunt perquam digna: ἡ δὲ φύσις κατεῤῥύη καὶ κέχυται τῇ δὲ σοφίῃ, ἐς τὸ εἰδῆσαι τὰ ἀπ' αὐτέης τῆς φύσιος ποιεύμενα: quae ſuperioribus ſane ſunt ſimillima, et, ni fallor, aperte docent, quod φύσιος vox, hunc, quem dixi, ſenſum hic adſumat. [h]) In priore enim membro φύσις idem eſt, ac *ingenium*, *indoles*, *ſolertia*, in altero vero, ipſa *corporum Natura*, ſiue *Mechaniſmus vitalis* et *animatus*, vel et latius ſumendo, ipſa vniuerſa *Rerum Natura*. Ibi vero, vt id obiter addam, antecedentia, illa obſcuriſſima et deprauatiſſima: ἀδίδακτον τὸ χρέος ἐν τῇ σοφίῃ καὶ, ἐν τῇ τέχνῃ προσθεμένῃ, διδαχθῇ εἰς τὸ ἀρχὴν λαβεῖν, ita potius legenda videntur: πρόσθε μὲν δεῖ διδαχθῆναι, aut διδαχῆς, εἰς τὸ ἀρ. λαβ. vid. DEMOSTH. *Erot. pag.* 193. et THEMIST. *Orat.* 21. *pag.* 246. vel leg. προσδεομένη διδαχῆς, aut διδαχθῆναι, vt XENOPH. M. V. cl. MATTH. hic nonnulla quidem habet, ſed pauca. Sic et Artaxerxes HIPPOCRATEM laudat θείᾳ φύσει κεχρημένον, qua phraſi etiam ANNIBAL contra ALEXANDRVM M. vtitur apud LVCIANVM: [i]) οὔτε ὑπ' Ἀριστοτέλει τῷ σοφιστῇ παιδευθεὶς, μόνῃ δὲ τῇ φύσει ἀγαθῇ χρησάμενος: et de HOMERO MAXIMVS TYRIVS: [k]) φύσει κεχρημένος ἐνθεωτάτῃ. Quo et illud inprimis pertinet DIODORI SIC. de Viriatho, naturaliter et ſine omni externa doctrina, bono ac ſtrenuo: ἐξ αὐτοδιδάκτου καὶ ἀδιαστρόφου φύσεως, ἀμωμήτους φέρων τοὺς λόγους: In *Excerpt. de Virt. et Vit. pag.* 594. *Tom.* II. Accerſam et alios Auctores

h) *Epiſt. ad Paetum.* i) *Dial. Mort.* k) *Diſſ. XVI.*

res graecos, qui hanc φύσεως vocem hoc ſenſu vſurparunt: Notandum inprimis illud ARCHYTAE: φρόνιμος ἀνὴρ οὗτος (forte οὕτως) ἂν μάλιστα γένοιτο. φύσιος πρᾶτον εὐςόχω τε καὶ μναμονικᾶς, καὶ φιλοπόνω τυχὼν, et quae ſequuntur: et iſtud PLVTARCHI, [l]) vbi ad doctrinam (aeque ac ſupra HIPPOCRATES in *Lege*) requirit φύσιν, λόγον, ἔθος, ſicut dudum, ante ipſum, pariter ARISTOTELES requirebat φύσιν, μάθησιν καὶ ἄσκησιν, ceu vulgo notum: de quo vid. et PHILONIS IVD. *Lib. de Abrahamo, p.* 280. et PLVTARCH. in *Moral.* vid. GRVT. *ad Sentent. Mor. pag.* 283. et in tali ſignificatione memini etiam apud GALENVM me φύσιος vocabulum legere: ARISTIDI, eodem PLVTARCHO Auctore, φύσις fuit ἱδρυμένη ἐν ἤθει βεβαίῳ καὶ πρὸς τὸ δίκαιον ἀτενής: [m]) nec ſecus illa B. IACOBI interpretanda: πᾶσα γὰρ φύσις θηρίων - - -. δαμάζεται τῇ φύσει τῇ ἀνθρωπίνῃ. Vbi vid. Interpretes in *Crit. Angl.* et POLI *Synopſ.* item PRICAEVM, GROTIVM et WOLFIVM, quosque ibi laudat Auctores. Eſt vero ibi φύσις idem, quod Rabb. eſt טבע et Arabibus, טנאע, h. e. *Indoles, ingenium, ſolertia,* bene obſeruante laudato GROTIO, *Comment. in Nou. Teſt. Tom.* II. *pag.* 920. add. et WESSELING. ad DIODOR. SIC. *Lib.* III. *pag.* 181. *Tom.* I. inprimis vero vid. FRANCISCI IVNII eximium opus *de Pictura Veterum, Lib.* I. *cap.* 4. *pag.* 23. vbi de hac poëtarum et pictorum praeſertim, Natura primaria et neceſſaria, ſeu naturali facultate, indole atque alacritate, egregie tractat, adductis quoque variis Veterum locis elegantiſſimis et maxime appoſitis, quae huc inprimis ſpectant. Sic et e contrario ille appellatur ἀφύσικος, cui parum aut nihil eſt indolis ac ingenii, vt de CLEANTHE ait DIOGENES LAERTIVS: ἦν δὴ πονικὸς μὲν, ἀφύσικος δὲ, καὶ βραδὺς ὑπερβαλλόντως, ad quem locum ingenioſiſſimus conſulendus eſt MENAGIVS, qui et ex THVCYDIDE et PLATONE duo adfert loca, [n]) quae huc maxime ſpectant, conferendus quoque ill. CVPERVS, vt alios ſileam. Non autem apud Graecos ſolum ita vſurpatam legimus φύσεως vocem; ſed et apud Latinos Graecorum in plurimis imitatores. Sic aliquoties apud Scriptorem vitarum Imperatorum, vulgo CORNELIVM NEPOTEM, prae-

l) *Paedagog.* m) *Epiſt. c. III, 7.* n) *Apotheoſi Hom. pag.* 83.

praecipue *Vita Attici*, item apud HORATIVM, quin et CICERONEM, prout loca quaedam allegauit Cl. SCHELHAMMERVS, o) aliosque plures: tritiſſimus quoque eſt ille IVVENALIS verſiculus:

Si natura negat, facit indignatio verſum
Qualemcumque poteſt etc.

In hoc igitur, quem hactenus adſerui, ſignificatu, et hic φύσιν ſumſiſſe HIPPOCRATEM, ad quem nunc redeo, haud, vt puto, obſcure, verba ſequentia edocent; ἡ δὲ διάνοια παρ' αὐτῆς (ſcilicet φύσιος) λαβοῦσα ὡς προεῖπον, ὕστερον εἰς ἀληθείην ἤγαγεν. Ratio vero, inquit, ideas et rerum ſpecies ab ipſa natura, ab ipſa indole, et facultate retentrice, vt ſic loquar, et repraeſentatrice, accipiens, veluti ſuperius dixi, eas poſtmodum ad veritatem reduxit, i. e. eas reddit perſpicuas, et verum a falſo ſecernit. Verba autem, ad quae hic prouocat HIPPOCRATES (ὡς προεῖπον) ſunt haec: ὁ λογισμὸς μνήμη τίς ἐστι ξυνθετικὴ τῶν μετ' αἰσθήσεως ληφθέντων, et poſt: ἥτε αἴσθησις προπαθὴς καὶ ἀναπομπὸς ἐοῦσα εἰς διάνοιαν τῶν ὑποκειμένων etc. Ex quo memorabili HIPPOCR. loco, vt id obiter hic monere liceat, valide, opinor, defendi poteſt vulgata DIOGENIS LAERTII lectio, *Lib.* IX. *ſegm.* 78. ἔστιν ὁ πυρρώνειος λόγος μνήμη τὶς τῶν φαινομένων, κ. τ. λ. vbi male legebat μήνυσις, GALESIVS, peius approbantibus IS. CASAVBONO et MENAGIO, neque melius μηνυτὴς, ſubſtituebat KVHNIVS, *pag.* 542. Ex his igitur, vt reuertamur ad ſuperiora HIPPOCR. verba, quilibet, opinor, iam perſpicit, αἴσθησιν atque φύσιν hoc loco συνωνύμως ab HIPPOCRATE ſumi. Frequentiſſime vero vox iſta αἴσθησις, in Vett. philoſophor. vt PLAT. ARISTOTEL. PLVT. SEXT. EMP. et aliorum occurrit, vbi nempe vocatur ψιλὴ, πρώτη, ἔμφυτος, ἔμψυχος, ἁπλοπαθὴς, προπαθὴς, προληπτικὴ, καταληπτικὴ, συλληπτικὴ, εὐκίνητος, εὐερέθιστος, ὁρμηθεῖσα, et ὁρμημένη, apud PHILON. IVD. *pag.* 138. et *pag.* 234. et alibi, item βιασθεῖσα, et ἀνεθεῖσα, apud HIPP. *de Arte*, et alibi παρωξυνθεῖσα, vt alia iam taceam, de quibus plura vid. apud. SALMAS. ad *Epict. et Simplic. pag.* 133. *ſqq.* et paſſim alibi. Huc vero inprimis facit inſignis ille GALENI Locus, *Lib.* I. *de Vſ. part.* *cap.*

o) *De Nat. L. I. c. I. §. VI. Sat. I.*

cap. 3. *pag.* 286. *Tom.* IV. αἴσθησιν πᾶν ζῶον ἀδίδακτον ἔχει, τῶν τε τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς δυνάμεων, καὶ τῶν ἐν τοῖς μορίοις ὑπεροχῶν. vbi vid. seqq. Quod vero dixit, φύσιν illam κινηθῆναι βίης ὑπεούσης, moueri vi quadam impellente atque potenter; eius rei hanc esse arbitror rationem, quod scilicet obiecta seu obiectorum effigies irruant quasi in nostra sensoria, non lente ineant. Nam licet mille v. g. adsint homines, Tibi tamen vno veluti impetu repraesentabuntur, modo sint loco visui commodo et adaptato collocati: par fere est ratio cum auditu, et sic etiam in reliquis, hinc recte dicitur obiecta sensus *mouere*: Imo adeo *impellere, stimulare, irritare, percutere et compungere.* Inde emphatice et perquam significanter in hunc quidem sensum, scripsit SEXTVS EMPIRICVS, *Lib.* III. *Pyrrhon. Hypotyp. cap.* 5. *pag.* 141. αἱ μὲν αἰσθήσεις κατὰ ἐπέρεισιν καὶ νύξιν, ἀντιλαμβάνεσθαι δοκοῦσι τῶν αἰσθητῶν, h. e. *Sensus per impressionem et punctionem videntur sensibilia percipere*, vbi vid. FABRIC. Per illam igitur ἐπέρεισιν καὶ νύξιν, egregie explicatur ista HIPP. βίη, et αἴσθησις προπαθής, id est stilo SEXTI, ἐπερεισθεῖσα καὶ νυχεῖσα, *seu impulsa, stimulata et compuncta.* De illa vero βίῃ θείῃ, maiore, superiore et vniuersali, seu τῷ Θείῳ, in omni rerum Natura, vid. HVG. GROTII *Flor. Sparſ. ad Ius-iustin. pag.* 146. THOM. GATAKER. ad *M. Antonin. Lib.* VIII. *p.* 242. RICH. BENTLEI. ad *Horat. Epod.* VII. *pag.* 311. et alios plures, praesertim vero ipsum nostrum HIPPOCRATEM, *praenot. pag.* 448. *Lib.* IV. *de Morb. pag.* 120. *Lib. de Nat. Mul. pag.* 358. et alibi saepe: Cui enim quaeso ignotum illud τὸ Θεῖον Hippocraticum? de quo quaedam infra. Atque haec, quam hactenus enucleauimus, vera et natiua huius obscuri alias HIPPOCRATICI loci est explicatio. Nunc breuiter videamus, quid Cl. GVNDLINGIO circa ipsum fuerit visum. Quia autem ille doctissimi SCHELHAMMERI interpretationem inprimis reiicit, hanc vt prius examinemus, fas esse existimamus.

§. XXIII. Dixerat nimirum Cl. STVRMIVS, communi errore seductus, HIPPOCRATIS Θερμὸν illud esse idolum, seu naturam, sic enim eam, vt iam supra, si recte memini, notaui, cum aliis vocitat. Hocce igitur commentum vt Cl. SCHELHAMMERVS reiiceret, prae-

 sentem

sentem hunc ex *Praeceptionibus*, locum, in medium attulit, quem sequenti scholio illustrat: p) *Hic per Naturam vniuersalem rationem, mundique complexum intelligit, per ea, quibus moueatur ac doceatur, caussas secundas et corpora se inuicem impellentia, secundum leges Naturae inditas: per vim cogentem impetum DEI, illo potissimo verbo MOVEATVR impressum.* Sed haec bene quidem sese habent, nec HIPPOCRATE sunt indigna, vt probabo in sequentibus (nam rectissime adseruit Vir Cl. HIPPOCRATIS Θερμὸν et φύσιν non esse synonyma, vt cum aliis, falso credidit, SEELMATTER, *de Natura Hippocratis, pag.* 10. nec HIPPOCRATEM naturam pro DEO habuisse) Verum huc non pertinent. Antecedentia enim, vt superius demonstraui, talem non admittunt sensum: quid enim ratiocinio cum natura et caussis secundis, vbi de iis nihil plane praecessit? Iustum ergo hoc passu Cl. GVNDLINGI est iudicium, scribentis, *se in obscuro hoc loco DEVM ceu naturae motorem inuenire nondum potuisse.* Verum, vellem hic adquieuisset vir doctissimus, et suam interpretationem non addidisset, ea enim, si verum fateri liceat, plane est nihili: referam eam quam potero fidelissime: *Haec verba,* inquit ὑποληπτέον etc. etc. *nihil, si coniecturae est locus, aliud significant, quam quod natura in tam multis diuersisque rebus, exinde praecipue cognosci possit, quod agat vi quadam cogente: hoc est, modo simplici: Voculam ceterum ὑπὸ mallem vertere in vel sub, quam a etc.* Nae! magnus mihi iste erit Apollo, qui mihi hocce illustret oraculum: sane ego hucusque nullum plane sensum elicere potui. Mauult quidem Vir Cl. τὸ ὑπὸ per *in* vel *sub* vertere: sed an haec vocula in culpa sit sola, quo sensus maneat absconditus, subdubito, quin admodum dubito quoque: deinde etiam Syntaxis graeca reclamat, ὑπὸ enim sequenti passiuo, semper fere reddendum per *a* vel *ab*, non per *sub*, multo minus *in*, quod pueri norunt, et taedet me profecto harum minutiarum fecisse mentionem. Ipse Cl. GVNDLINGIVS q) alibi hanc suam explicationem reiicere videtur, veriusque adserit, *Hippocratem hic de natura corporis humani, non autem vniuersi, verba facere.* Vellem igitur, et

p) *Nat. Vindicat. Vindic. pag.* 29. *et pag.* 195.

q) *In Declarat. sentent. de Atheis. Hippocrat. conta Goelick.*

et forte ipse, opinor, Vir Cl. volet, id non scriptum esse, quod in Otiis ita, vt supra vidimus, fuit scriptum, vt a nemine intelligi possit. Vnum adhuc sicco transire pede haud licet, quod maxime facit ad praesentis loci explicationem. Inueniet, qui cupit, simillimum quendam, immo eundem fere HIPPOCRATIS locum, eademque verba in *Epicuri ad Herodotum epistola*, apud DIOGENEM LAERT. *Lib.* X. *Segment.* 75. *pag.* 633. quae ex M. MEIBOMII recensione, transcribere non pigebit: ἀλλὰ μὴν ὑπολη

πτέον καὶ τὴν τῶν ἀνθρώπων φύσιν πολλὰ καὶ παντοῖα ὑπὸ τῶν αὐτὴν περιεστώτων πραγμάτων διδαχθῆναί τε καὶ ἀναγκασθῆναι. Τὸν δὲ λογισμὸν τὰ ὑπὸ ταύτης παρεγγυηθέντα, καὶ ὕστερον ἐπακριβοῦν. κ. λ. Potest, obsecro, quid similius a diuersis tamen Auctoribus? Sed miror profecto, nec a GASSENDO, *Tom.* I. *de Philosoph. Epicuri, pag.* 350. seu vasto ipsius in *lib.* X. *Diog. Laërtii Commentario*, quem, vt obiter id notem, non immerito hic carpit MEIBOMIVS, nec MEIBOMIO, nec ALDOBRANDINO, nec CASAVBONIS, nec MENAGIO denique, doctissimis DIOGENIS LAERTII interpretibus, huncce HIPPOCRATIS locum simillimum fuisse adnotatum; Miror etiam magis ex altera parte, quod nullus ex tanta HIPPOCRATIS interpretum phalange, egregium hunc DIOGENIS locum adnotauerit: interim nescio, an primus ego id obseruarim, et si etiam obseruarim, non glorior, sed miror tantum. Suffulcit autem hic locus DIOGENIANVS meam loci HIPPOCRATICI interpretationem superius propositam egregie prorsus, et ἀναντιλέκτως. Sed huc quoque inprimis pertinet adhuc eximius ille SEXTI EMPIRICI locus, qui *Lib.* III. *Pyrrhon. Hypotypos. cap.* 5. *pag.* 140. ita legitur: τὰς μὲν αἰσθήσεις, ἀπλοπαθείας εἶναι. Τὴν δὲ διάνοιαν, ἀπὸ τῆς τῶν αἰσθητῶν καταλήψεως, ἐπὶ τὴν κατάληψιν τῶν νοητῶν ἰέναι, vbi et vid. sqq. item *ill.* FABRICII *Notas.* Qui sane memorabilis Locus hunc ipsum nostrum Hippocraticum Paullo obscuriorem, liquidissima quasi luce perfundit.

§. XXIV. *Locum* iam adgredior in ordine apud Cl. GVNDLINGIVM *Sextum* ex libro περὶ εὐσχημοσύνης seu *de decenti ornatu*, vbi de Medico dicitur: μάλιστα ἡ περὶ Θεῶν εἴδησις ἐν νόῳ αὐτῇ (corrupte,

 lege,

lege, vt FOESIVS vult, αὐτȣ̃ ſeu αὐτῷ ſcil. ἰητρȣ̃ ſeu ἰητρῷ, aut, ſi retinere velis vocem, quam omnes, teſte eodem FOESIO, habent codices, αὐτῇ, loco ἐν νόῳ; leuiſſima mutatione ſcribas: ἐννοίᾳ αὐτῇ) ἐμπλέκεται. Sed nunc alia nobis mens de iſto quidem loco obſcuro, difficili, imo et mendoſo, quem totum ita proinde legendum et conſtituendum cenſemus: ἡ περὶ Θεῶν εἴδησις ἐν νόσῳ αὐτῇ ἐμπλέκεται. Ἐν γὰρ τοῖσιν ἀλαοῖσι πάθεσι καὶ ἐν συμπτώμασιν εὑρίσκεται, κ. τ. λ. Nempe ad notiſſimum illud Θεῖον, quod in morbis nouis, ſubitis, abſtruſis et immedicabilibus dominari ſolet, reſpexiſſe hic videtur HIPP. vt alibi ſaepius, de quo infra plura. Inde ergo νόσῳ legimus pro νόῳ, facili et ſaepius obuio lapſu; quia nempe mox ceu ratio et cauſſa, ſequitur: ἐν γὰρ τοῖσι ἀλαοῖσι πάθεσι, *in affectibus enim caecis atque abſtruſis*, etc. Rectius ſcil. legendum videtur ἀλαοῖσι, pro vulgato ἄλλοισι, pro quo cl. MATTH. *pag.* 62. ὅλοισι, aut αὐτοῖσι, haud melius ſcribebat; Sed poſſet et legi ὀλοοῖσι, *pernicioſis*, praeſtat vero prius ἀλαοῖσι, ceu elegantius et magis Hippocrateum. Sed de his alibi plura. Nolo vero multa ad hunc locum conſcribere, patet enim per ſe tum ex his, tum ſequentibus potiſſimum verbis, quam reuerenter HIPPOCRATES de diis ſeu Deo ſenſerit, quamque potentes eos pronunciarit. Inde ergo IO. STEPHANVS in *Theol. Hipp. cap.* V. *pag.* 224. dum eximium hunc de ipſa HIPPOCRATIS Religione ſumma impenſe laudat, quaſi extra ſe raptus, merito exclamat: *Tam pie hic de Deo loquitur, vt nullus Theologorum in hac re Hippocrati ſit praeferendus:* vbi vid. FABRIC. item Auct. *de Theologia Hipp.* ZVINGER. IORDAN. SCAL. GESNER. *de diuino Hippocr.* MATTH. in vaſto *Comment. in hunc Lib.* et in *Diſſ. de laude Dei ex Hippocr.* aliosque plures. vid. inprimis ipſius *Comment.* VII. *p.* 94. *ſqq.* vſque ad finem, vbi omnes HIPP. locos, ipſius religionem et pietatem inprimis perſpicue et luculenter probantes diligentiſſime collegit. Sed quid ad haec Cl. GVNDLINGIVS? *quid eſt ille Deus?* interrogat; et reſpondet: *aut eſt, inquam,* τὸ θερμὸν *ſeu calidum, aut natura, quae ipſi* συνωνύμως (quam egregie!) *ſumuntur; aut ſunt dii ex calido illo oriundi aeque ac apud Heſiodum ex mari.* Verum vbi vnquam, obſecro, HIPPOCRATES dixerit deos

ex

ex calido fuiſſe natos? vbi locorum calida haecce Theogonia extet? *calidum* eſt hoc, ſit venia PLAVTO, *mendacium*, quod tamen et infra §. XII. *Hipp.* ἀϑέε, repetit Vir Cl. vbi illud inprimis ridiculum, quod et Aetherem ex calido illo adſerat fuiſſe natum, quum tamen, vt ſupra dictum, ipſum Θεϱμὸν idem ſit ac aether, qui igitur aether ſe ipſum generare potuerit? ſane ſi Heſiodum, quem prae ſe ferre vult legiſſe, euoluiſſet, didiciſſet Noctem eſſe Aetheris parentem, vt quidem poëtae fabulantur. Sed et hoc, vt in tranſitu moneam, eſt falſum, quando putat, deos apud HESIODVM ex mari dici prognatos: Nam apud HOMERVM, [r]) potius dicere debebat, qui Oceanum Θεῶν γένεσιν vocauit. Ergo et hic HIPPOCRATIS locus male a Cl. Viro habitus, pro me militat, ac contra ipſum pugnat. Hinc iam ad *ſeptimum locum ex I. de Diaeta, libro*, tendo, locum certe notatu digniſſimum, quique ſolus praeſumtam Cl. Cl. GVNDL. de HIPPOCRATIS Atheiſmo opinionem eneruare poterit ac penitus proſternere, vt et optime obſeruauit magnus FABRICIVS, in Not. doctiſſimis ad STEPHANI *Theol. Hipp. pag.* 196. *Tom.* XIII. *Bibl. Graec.* item MATTH. *de laude Dei ex Hipp.* verba haec ſunt: φύσιν πάντες Θεοὶ διεκόσμησαν, Naturam omnes dii *exornarunt*, vertuntur in *Edit. Lindani*, peſſime admodum et inſulſe. Sed Cl. GVNDL. harum ſcil. minutiarum negligens, verſionem ſecure, vt aſſolet, ſequutus, ita haec verba explicat, HIPPOCRATEM ſcilicet *nihil voluiſſe dicere aliud, quam deos v. g. Iouem et Martem, tantum ceu ornamentum huius vniuerſi eſſe conſiderandos:* poſt haec doctiſſimi ZVINGERI interpretationem improbat, qui τὸ διεκόσμησαν, ſatis, vt nunc apparebit, egregie, per *produxerunt*, reddiderat. Sciat ergo Cl. Vir, τὸ διακοσμεῖν proprie non eſſe *exornare*, vt habet verſio, ſed *adornare*, h. e. *concinne et eleganter componere, diſponere, ordinare*, item et *gubernare*, quod illum vel Lexica, ſi ea conſuluiſſet, edocere potuiſſent; et plerumque de ſcitiſſima et exquiſitiſſima huius vniuerſi diſpoſitione et ſtructura vſurpari. Quod et iam dudum acutiſſime obſeruauit SALMASIVS in *Epict. et Simplic. pag.* 168. ita veriſſime commentatus: Διάκοσμος et διακόσμησις *eſt* διάϑεσις, *diſpoſitio*,

 et

r) *Il.* Ξ.

et ordinatio partium, secundum situs et loca. *Nam* κόσμος *non ornamentum tantum significat, vt in plurimis locis perperam accipitur interpretibus; sed positionem, ordinem,* θέσιν καὶ τάξιν. Sed idem ille, ibidem, *pag.* 177. adhuc luculentius: διακόσμησις *proprie est dispositio, et ordinatio partium, in toto, non solum ad vtilitatem vsumque, sed etiam ad decorem totius, ex partium inter se proportione et conuenientia.* Haec ergo scire omnino debuisset GVNDLINGIVS ἄκοσμος hic et ἄμουσος, vt sic pace ipsius, loquar. Hinc SVIDAS: διακόσμησις, τοῦ παντὸς διάθεσις: ANAXAGORAS, [s]) DIOGENE LAERTIO et PLVTARCHO testibus, dixit πάντα χρήματα γεγονέναι ὁμοῦ, νοῦν δὲ (scil. Θεοῦ, vt expresse habet PLVTARCHVS) ἐλθόντα, αὐτὰ διακοσμῆσαι, ipsa *ordinasse* et *eleganter composuisse*, aut, vt optime vertit CICERO: [t]) *in ordinem adduxisse:* et ipse PLVTARCHVS d. l. verba: νοῦς διεκόσμησε explicat per τὸν νοῦν τὰ πάντα διαταξάμενον. Conf. huc maxime THEODORETI *Orat.* II. *de prouident. pag.* 47. vbi fere simile, vt et passim alibi, in sequentibus. Plato, referente eodem PLVTARCHO, [u]) statuit, quod DEVS τὰ πρῶτα σώματα ἀτάκτως κινούμενα διεκόσμησε, vbi τὸ διεκόσμησε pariter, *in ordinem deduxit,* vertit APPVLEIVS; [x]) similiter TIMAEVS LOCRVS: [y]) ἀγαθὸς ὢν ὁ ΘΕΟΣ, ὁρῶν τε τὰν ὕλαν δεχομέναν τὰν ἰδέαν καὶ ἀλλοιουμέναν, παντοίως μὲν, ἀτάκτως δὲ, ἔπειτ' ἐς τάξιν αὐτὰ ἄγεν: sic et Zaleucus [z]) coeli et mundi διακόσμησιν καὶ τάξιν laudibus celebrat: et saepius PHILO. IVD. *Lib. de opificio Mundi,* item *de Plant. Noe, quod Deus sit immutab.* et aliis locis quam plurimis, praesertim vero huc facit illud e dicto *Lib. de opif. Mund. pag.* 3. τὸν θεῖον λόγον τὸν ταῦτα διακοσμήσαντα. Sed notandum praecipue illud ALCINOI, quando de νῷ seu *mente* dicit: διακοσμεῖ σύμπασαν φύσιν ἐν τῷ δὲ τῷ κόσμῳ, eadem fere ac HIPPOCRATIS verba: ipse quoque HIPPOCRATES *libro eodem de Diaeta primo,* dixit πῦρ διακοσμέεται τὰ σώματα κατὰ φύσιν, vbi rectissime interpretes: *ignis corpus secundum naturam ordinat ac disponit,* quae phrasis in illis *de Diaeta libris* occurrit frequentissime. Item *Lib. de Anatome:* τὰ ἐντὸς φύσις ἐκοσμήθη,

s) *In Prooem. it. Anax. de Pl. Ph. I.*
t) *Lib. II. Quaest. Acad.*
u) *Pl. Ph. I,7.*
x) *De Dogm. Plat.*
y) *De Anima Mundi.*
z) *Prooem. Leg.*

ἐκοσμήθη, *haec intus Natura desposuit*, vbi vid. *Comment. nostr. pag.* 25. et STEPH. *Theol. Hipp. cap.* I. *pag.* 196. *sqq.* ibique FABRIC. in *Not.* Et ab hac propria significatione, etiam ad alias res, vbi concinnus est ordo, trahitur vox ista διακοσμεῖν, διάκοσμος, διακόσμησις. [a]) Sic HIPPARCHVS THVCYDIDI dicitur: τὴν παναθηναικὴν πομπὴν διακοσμῶν: ita et THEAGES dixit ὁ τᾶς ψυχᾶς διάκοσμος, vt alia plura taceam, quae modo supra laudatus SALMASIVS ad *Epictetum atque Simplicium notat, pag.* 168. *sqq.* et *pag.* 177. copiosissime, quaeque ex illo ad DEMOCRITVM DIOGENIS, notauit MENAGIVS, item ὁ πάνυ FABRICIVS, *ad Sext. Empir. Lib.* IX. *pag.* 569. vbi pariter τῆς τοῦ περιέχοντος διακοσμήσεως mentio facta, et rursus, *pag.* 578. τῆς τοῦ ὅλου κόσμου διακοσμήσεως, et passim alibi quoque. Vid. et HEISTERI Filii, *Apolog. pro Medicis, Sect.* XIV. *pag.* 59. et *Poem. nostr. Tom.* I. *pag.* 199. *in Not.* et *pag.* 204. item *Not. nostr. ad Grot. Lib.* I. *de Ver. Rel. chr. pag.* 745. *Opp. poët. Opitii.* Hinc et, ob concinnum puta ordinem et dispositionem exquisitissimam, hocce vniuersum κόσμος fuit vocatum. Eleganter PHVRNVTVS: Καλεῖται σὺν πᾶσιν οἷς περιέχει κόσμος, ἀπὸ τοῦ κάλλιστα διακοσμεῖσθαι; et APPVLEIVS: [b]) *Mundus est ornata ordinatio DEI munere*, et quibusdam interiectis: *Quod, oro te, ornatum atque ordinatum videri potest, quod non ab mundi exemplo imitatura sit ratio? vnde κόσμος graece nomen accepit* etc. Tale et apud ARISTOTELEM *libro de Mundo* saepe iam laudato, inueniendum. Est enim κόσμος, extra *Mundi* significatum, idem ac τάξις ac διάθεσις, sicut illud SVIDAS, HESYCHIVS, EROTIANVS et alii testantur: Sic apud ARRIANVM legitur; et THVCYDIDIS scholiastes aliquoties κόσμον exponit per εὐταξίαν, vt aliis plurimis, de re nempe notissima, in praesenti supersedeam testimoniis. Ex hisce igitur dictis satis patere arbitror, quod verba HIPPOCRATIS superius allegata necessario ita sint vertenda: *Naturam omnes dii constituere, concinne composuerunt et gubernarunt.* Nam id vel ex antecedentibus elucet, vbi dixerat diuinus senex: νόμον ἄνθρωποι ἔθεσαν, cui θέσει iam opponit τὸ διεκόσμησαν, quod de diis excellentius magisque ad ipsos accommodate dicitur,

a) *Hist. L. I.*

b) *De Mundo.*

tur, hinc et ſtatim ſubnectit: ὁκόσα Θεοὶ ἔθεσαν, αἰεὶ ὀρθῶς ἔχει. Nunc parcat precor Cl. GVNDLINGIVS piis optimi ZVINGERI manibus, et eius paraphraſin ceu accuratam dictis ex cauſſis, et iuſtam, admittat, credatque, *ipſum per eam multum Hippocratem adiuuiſſe:* Non enim quadrat, quod de aliis paganis Cl. Vir in medium adfert, quaſi illi de mundi productione haud recte ſenſerint: quid ſi enim centum id fecerint; nondum tamen ſequitur, HIPPOCRATEM nouam inchoaſſe centuriam, praeſertim, quum verba eius hactenus explicata longe aliud edoceant clariſſime. Probat autem praeſens HIPPOCRATIS locus manifeſtiſſime, Deum ac Naturam HIPPOCRATI non eſſe ſynoyma, quod et eximie recteque inde colligit magnus IVL. SCALIGER, *Exercit. cont. Card.* CLXXXVIII. *pag.* 586. *ſqq.* item haud minor FABRICIVS, *ad Steph. Theol. Hipp. pag.* 197. *Tom.* XIII. *Bibl. Gr.* et ipſe ibidem STEPHAN. *Cap.* I. *pag.* 196. et SCHELHAM. *Nat. Vind. Vind. pag.* 41. *ſqq.* et hinc meliore iure Cl. STVRMIO opponi a Cl. SCHELHAMMERO potuiſſet, quam ille, qui *ex Praeceptionibus,* ſuperius fuit allatus et explicatus. Addam hic eiusdem commatis alium *ex Epiſtola Hippocratis ad Abderitas:* ἐγὼ νῦν, inquit ibi, φύσει καὶ Θεοῖς ὑπακούων σπεύδω etc. Conf. et praeſertim *Lib. de Nat. Mul.* init. *Lib. de Inſomn.* ibique IVL. SCALIGER. modo laudatus: Conf. huc maxime Viri ingenioſiſſimi CAROL. DRELINCVRTII *Orat. de diuinis Hippocr. Dogmatis,* in ipſius *Opuſc. Med. pag.* 666. *ſqq.* item Cl. MATTHIAE *Program. de Laude Dei ex Hippocrate,* Goetting. 1755. cuius et vid. *Comment. in Hipp. Lib. de Decent. Ornat.* VI. *pag.* 148. *ſeqq.* et *Comm.* VII. *pag.* 160. *ſqq.* et *pag.* 194. *ſqq.* atque alibi paſſim et *p.* 193. *ſqq.* item HEISTERI Iun. *Apologia pro Medicis, p.* 59. *ſq.* et STEPHAN. *l. c.* et ibi FABR. *p.* 236. Miror ergo vehementer. Cl. GVNDLING. in *defenſione contra* Cl. GOELIKIVM, (qui et ex locis his a me adductis, optime vidit, DEVM et Naturam ab HIPPOCRATE accurate fuiſſe diſtinctos) tam audacter ita ſcribere potuiſſe: *Quod ſi quis vel vnum oſtenderit locum ex Hippocrate, in quo DEVS clare appelletur ſeparata huius naturae cauſſa, aut vt edocta ab illo deſcribatur aut informata, directa, tum vero me retracturum, quod ſcripſi, facturumque eidem, quam*

hodier-

hodiernis philoſophis Medicisque gratiam, ſpondeo: Retrahat ergo quod ſcripſit, et vela contrahat, loca adſunt, hem tempus eſt! Conf. huc inprimis *Diſſ. de Hipp. Barb. operam neg. pag.* 18. *ſq.* vbi illius Auctor non ſolum varia in hunc ſenſum loca inſignia ex Hipp. collecta exhibet; ſed et tandem ita veriſſime concludit: *Stat ergo ſententia, Hippocratem neque Deum negare, neque cum Mundo confundere.* Optime profecto! vtinam ſic ibi omnia! Conf. FABRIC. ad *Steph. Theol. Hipp. p.* 196. *ſqq.* Iam et de Θείῳ ſeu *diuino* illo et ſupernaturali in morbis, vt putat HIPPOCRATES, de quo vid. STEPHAN. *Theol. Hipp. cap.* VI. *pag.* 230. *ſqq.* et *pag.* 233. vbi vid. FABRIC. item MATTH. *Comment.* VII. *in Hipp. de Dec. orn. pag.* 171. *ſqq.* et *pag.* 177. aliqua eſſent dicenda, quoniam et hoc Cl. GVNDLINGIVS in ſuum, vt video, auxilium traxit: ſed mihi iam properandum, agam id diſtinctius alibi; interim tamen, ne plane videar ſiluiſſe, allegaſſe ſufficiat Diſſertationem inauguralem de *Diuino in Medicina* a MOLLERO quodam Altdorffi 1696. ventilatam docte ſatis et ingenioſe conſcriptam. Quod ipſum tamen Argumentum, poſt 43. annorum decurſum, denuo tractavit Cl. CAR. PHIL. GESNERVS, celeb. illo patre dignus Fil. edita 1739. Goetting. docta *Diſſ. de Diuino Hipp.* vbi et vett. et recentior. de eodem ſententias diligenter collegit, iisque ſuam demum addidit. Quibus autem plures adhuc adiiciendi, ibi omiſſi, praeſertim DIEMERBROEK, *L.* I. *de peſte Cap.* 8. *pag.* 17. *ſqq.* et *pag.* 34. *ſqq.* BALLON. *de Virg. et Mul. Morb. pag.* 30. *ſqq. Tom.* III. CONRING. *Opp. Tom.* IV. *p.* 872. et *Tom.* VI. *pag.* 595. LICET. *Reſponſ. per Epiſt.* III. *cap.* 12. PETR. PETITI *Diſſ. de Furore poët. pag.* 77. aliique nonnulli. Ipſe quoque de hoc argumento tractaui in Diatribe mea de Variolarum Inſitione, tollenda potius, quam toleranda illa. Notiſſimus quoque HIER. IORDANI *Lib. de Diuino in Morbis*, qui huc maxime facit.

§. XXV. Iam ad *octauum locum:* Ἀσώματος ἐν μυχοῖς φύσις. Circa hunc nihil in praeſenti monere volo; HIPPOCRATIS enim non eſt, vt mox dicam; ſed quemdam tantum Cl. GVNDLINGI errorem indicare. Scripſit HIPPOCRATES librum περὶ φύσιος ἀνθρώπου,

πȣ, hoc verum: ſed ſcripſit et, vt ſuperius iam dixi, DEMOCRITVS, vt creditur, talem, eumque HIPPOCRATI inſcripſit, vt libelli titulus manifeſte docet, inque illo circa finem, verba illa modo recitata leguntur. De quibus ceterum vid. FABRIC. ad *Stephani Theol. Hipp. cap.* VII. *pag.* 235. *ſqq.* et *Comment. noſtr. in* HIPPOCR. *Lib. de Anat. pag.* 25. item AVCT. *Comment.* VII. *in Hipp. Lib. de Dec. Orn. p.* 167. qui tamen hic in diuerſa diſcedit, et Naturae HIPP. rationem et intellectum tribuit, fruſtra omnino, vt mihi certe videtur; qua de re plura ſupra, §. IV. et paſſim in ſequentibus. Sed parcendum vtique Viro optimo, ob rationes in praefat. opuſculi allatas. Verum haec obiter. Haec qua, neſcio, ſiniſtra fortuna, Auctor ſchediaſmatis de *Hippocratis Theologia*, bis allegat, quaſi ſint ex HIPPOCRATIS *de Natura*, libro, et vtroque loco, culpa credo, typothetae (nam ibidem *pag.* 62. recte ſcriptum eſt ἐν μυχοῖς) impreſſum eſt ἐν μοχοῖς ſeu ἐν μοχίοις loco ἐν μυχοῖς. Hunc igitur errorem, licet leuem, ſecuriſſime etiam errauit Cl. GVNDLINGIVS, et non ſolum libellum illum HIPPOCRATI falſo adſcripſit; ſed et verba eadem, prout ibi vitioſe extant, iterum ita exſcripſit: Ἀσώματος ἐν μοχιοῖς φύσις, ſenſu nihil ſane ſignificante, μοχιοῖς enim Graeciae plane ignotum eſt. Vnde aliquis (ego illud certe non dixerim) concludere poterat, Virum Cl. quum HIPPOCRATEM ἄθεον ſcriberet, HIPPOCRATIS loca non in ipſis eiusdem operibus euoluiſſe; ſed tantum ex hoc ſchediaſmate exſcripſiſſe. De cuius Auctore obiter hic moneo, eum non eſſe ſumme reuer. Abbatem, SCHMIDIVM Helmſtadienſem, vt crediderunt hactenus et ſcripſerunt Viri ſummi, BVDDEVS, FABRICIVS item et DORNIVS c) aliique plures; ſed alium quempiam vilioris ſortis; qua de re me certiorem per litteras fecit Vir celeberrimus et venerandus Praepoſitus HERMANNVS VON DER HARDT: Sed neſcio, an vere: alias enim neminem fere video dubitare de SCHMIDIO iſto, tanquam vero iſtius ſchediaſmatis Auctore: ſed haec in tranſitu. Quod autem, vt in cancellos reuertar, putet ibi Cl. GVND L. paganorum pauciſſimos, Deum eſſe ἀσώματον, crediſſe, illud quidem nego et pernego: Facile enim

c) *Ad Ionſ. Hiſt. Phil. L. III, c. XXXVI.* 30.

enim vel triginta, immo plura loca adferre possem, quae contrarium clarissime probant. Euoluat modo, vt vnum eumque insignem allegem, Vir Cl. ALCINOI *de Doct. Plat. Cap.* X. vbi Autor ille argumentis non protritis demonstrat, Deum omnino esse ἀσώματον, atque demum ita concludit: ἀσώματον ΘΕΟ'Ν ὑποληπτέον, καὶ γὰρ εἰ σῶμά ἐστι, καὶ φθαρτὸς ἔσται, καὶ γέννητος καὶ μετάβλητος. ἕκαστον δὲ τούτων ἄτοπον ἀπ' αὐτοῦ; cui alium addo ex PLVTARCHO: d) νοῦς ὁ ΘΕΟ'Σ χωριστὸν εἶδος, τουτέστι τὸ ἀμιγὲς πάσης ὕλης, μηδενὶ παθητῷ συμπεπλεγμένον: e) sed plura collegit iustus ille LIPSIVS, add. GASSEND. de *Philosoph. Epicuri, Tom.* II. *pag.* 46. *sqq. Locus*, qui nunc sequitur *nonus*, sumtus est ex incomparabili illo libello περὶ ἱερῆς νούσου, vere Hippocratico, et non suppositio, vt sine ratione, et contra EROTIANI, CAELII AVRELIANI, aliorumque fidem, vt pluribus demonstraui, in *Epist. Med. Crit.* ad Cl. FREIND, et alibi, adseruit Cl. GVNDLINGIVS, atque ita legitur: οὐ μὲν ἐγὼ ἀξιῶ ὑπὸ ΘΕΟΥ͂ ἀνθρώπου σῶμα μιαίνεσθαι, τὸ ὑποκηρότατον ὑπὸ ἁγνοτάτου. Nescio iterum, quis hic Cl. Viro imposuerit, vt scriberet ὑποκοιρότατον loco τοῦ ὑποκηρότατον, nam apud Auctorem Theologiae recte fuit expressum; sed ὑποκοιρότατον iterum est mostellum. Verum hoc leuius: audiamus potius Viri Cl. in hunc locum meditationem. *Hic locus*, inquit, *ita est comparatus, vt ex veris Christianorum ideis, DEVM, ceu purissimum et sanctissimum Ens delinearet: sed quia Hippocratis id ait, loquitur* (nescio an haec quaedam distincta) *scribitue ideo est suspectum.* Quid? inquam hic, an ita concludat Philosophus? nonne hoc est in bonos Auctores esse iniurium? recte quoque hic monente Auctore *Diss. de Hipp. op. barb. negante;* et Cl. MATTH. in *Addend. ad Comment. in Hipp.* περὶ εὐσχημ. *pag.* 275. Inde et se frustra hic torquet et effugia incassum quaerit ipse GVNDLING. in *Gundlingianis part.* XXIII. §. 23. *sqq.* inficeto et frigido opusculo, dum impudenter imprudenterque istum diuinum quidem Libellum abiudicare audet HIPPOCRATI, cuius tamen veram auctoritatem sat valide opinor, vindicauimus in *Epist. Med. Crit. ad Freind.* Sed haec obiter: Si ergo ego, indulgeat mihi Cl. Au-

d) *Pl. Ph. I, 7.* e) *Physiol. Stoic. I, 8.*

ctor, dicerem, v. g. in Gundlingianis interdum boni quidpiam contineri; sed quia ea scribat Cl. GVNDLINGIVS, ideo esse suspecta et non bona, nonne me, et summo quidem iure, risu Cl. Auctor dignum censeret? annon et paganus homo, sana vsus ratione, pium aliquid, sanctum, ac ore christiano non indignum eloqui potuit? id sane nemo negabit, nec ipsi negant Theologi. Illud certum est atque extra controuersiam; quod in sacro illo de *Morbo sacro*, libello tam egregia et pia dicta contineantur, qualia nec ab christiano meliora prope modum expectari poterant; tale et illud: τὰ μέγιστα τῶν ἁμαρτημάτων καὶ ἀνοσιώτατα τὸ Θεῖόν ἐστι τὸ καθαῖρον καὶ ἁγνίζον, καὶ ἔρυμα γενόμενον ἡμῖν, et alia plura. Vbi tamen, vt id obiter hic moneam, vehementer mirari subit, qui B. GESNERO in mentem venire potuerit, τὸ Θεῖον, hic idem esse, ac *Sulphur*; quum tamen et in anteced. et subsequent. huius Libri, ne de aliis Libris iam loquar, semper et vbique significet *Diuinum* seu *Deum*. Praesertim vero omnis huius eximii piique loci dignitas, praestantia et diuinitas, vt ita dicam, protinus parit, si τὸ Θεῖον, per fatuum quidem sulphur explicatur: quomodo enim quaeso illud ἔρυμα vocari potest? quod scil. Nomen soli Deo competit. Vid. PHVRNVT. *de Nat. Deor. cap.* 16. Ideo etiam subitam hanc atque tenuem Celeb. Patris GESNERI coniecturam, a cl. ipsius filio CAROLO PHILIPPO, in docta *Diss. de Diuino Hippocratis, pag.* 26. adoptatam reiicit MATTHIAE, *Comment.* VI. *in Hipp. de Decent. Ornat. pag.* 146. Nam ibi et contra Atheos acriter disputat, eosque grauiter et gnauiter perstringit, quod et ipse fatetur Cl. GVNDLINGIVS; et tamen ex eiusdem mente, tantus est, quod mirere, atheus HIPPOCRATES. Sed audiamus quaeso, hic longe rectius iustiusque sentientem IOANN. STEPHANVM in *Theologia Hipp. cap.* VII. *pag.* 238. *Quod libro de Sacro Morbo scribitur:* Non ego puto hominis corpus a Deo inquinari, etc. *non ab Ethnico; verum a Christiano Theologo, diuino Spiritu afflato, expressum videtur.* Conf. et *Cap.* IV. *pag.* 216. ibique FABRICIVS, et passim alibi, item *cap.* I. *pag.* 197. et *cap.* V. *pag.* 223. ibique rursus FABRIC. in *Not.* et MATTH. *pag.* 146.

§. XXVI.

§. XXVI. Sed ad ea quae reſtant. Refutat Cl. GVNDLINGIVS in ſequentibus, Excellentiſſimum SCHELHAMMERVM, qui *praeſertim ex ſic dicto Hippocratis iureiurando*, ſic ait Cl. Vir, probare voluit, HIPPOCRATEM nullum fuiſſe atheum. Sed ea mens, quantum ego quidem ex eius dictis colligere queo, Cl. SCHELHAMMERO f) nunquam fuit. Prouocat enim vna cum illo iuramento, *ad multas piiſſimas*, en verba ipſius! *ſententias in ſcriptis Hippocratis ſeſe offerentes*, quod et ſummus fecit CONRINGIVS mox allegandus: item STEPHANVS, DRELINCVRTIVS, SCALIGER, et MATTHIAE, iam ſupra laudati, vna cum HEISTERO iun. Cl. STEPHANO inprimis in *Theol. Hipp. cap.* V. *pag.* 223. *ſqq.* ibique FABRIC. item GESNERO, in *Diſſ. de Diuino Hipp. pag.* 4. *ſqq.* Nam ſi ea, quae hactenus expendimus, quae maximam partem pia erant et proba, nil probant, nil quoque probabit iuramentum: ſin autem ea aliquid, vt faciunt; tum et iſtud ſuum. Quod vero Cl. GVNDLINGIVS dubitet, an HIPPOCRATIS ſit ſcriptum illud iurisiurandi nomine inſignitum; in eo quidem vehementer errat. Scio, fuiſſe quosdam, ex recentioribus potius, quam veteribus, qui illud negarent, ſed eos ſolide confutarunt IO. HENR. MEIBOMIVS in doctiſſimo illo ad *iuramentum Commentario*, OPSOPOEVS in *praefat. opuſc. Hipp.* g) et qui primo loco poni debebat, CONRINGIVS in *Antiquit. Academ.* Cui inprimis add. SPONII *praefat. ad Aphoriſ. Hipp. nouos*, vbi ad praeſtantiſſimos Auctores Veteres plures prouocat. Sed et ego alibi demonſtrabo, quod ſine vlla ratione aſſeratur, illud HIPPOCRATIS non eſſe foetum. Vnum in praeſenti adferam ex ARISTOPHANE teſtimonium, neſcio an vlli obſeruatum. Eſt illud in *Theſmophoriazuſis* inuenire, vbi perſonae MNESILOCHVS, AGATHON, EVRIPIDES. MNESILOCHVS muliebri indutus veſte, ad agendam eo melius EVRIPIDIS apud feminas, cauſſam; iuramentum ab EVRIPIDE exigit, vt ſuccurrere velit, ſi quid aduerſi ſibi contigerit: conſentit EVRIPIDES in anguſtiis anhelans, trepidansque, et per *Aetherem Iouis domicilium* iurat:

f) *De Natura I*, 2. 21. g) *Diſſ. II. et IV.*

rat: ſed MNESILOCHVS hoc nondum contentus iuramento, vt maiore ſuam obſtringat fidem, acrius inſtat, hincque interrogat:

Τί μᾶλλον; ἢ τὴν Ἱπποκράτους ξυνοικίαν;

Quid amplius? num per Hippocratis contubernium

(Deorum ſcilicet iuras?)

Iurat igitur in hunc modum EVRIPIDES:

Ὄμνυμι τοίνυν πάντας ἀρδὴν τοὺς θεούς,

Iuro ergo omnes omnino Deos.

Ex quibus quilibet, credo, perſpicit, Ariſtophanem hic, vt ſolet, notare voluiſſe HIPPOCRATIS iuramentum, cuius hocce eſt initium: Ὄμνυμι Ἀπόλλωνα, et poſt: καὶ Θεοὺς πάντας καὶ πάσας ἵστορας ποιεύμενος, quos deos comicus contemtim hic appellauit ἱπποκράτους ξυνοικίαν. MARSILIVS quidem CAGNATVS, *Lib.* IV. *Obſeruat. Var. cap.* I. ſingularem hunc ARISTOPHAN. locum de alio quodam viliore et ignoto HIPPOCRATE explicat, et ξυνοικίαν per magnam quandam *cauponam* interpretatur, ſed ſine vlla auctoritate aut veriſimilitudine, quin potius inani coniectura: neque hic verum penitus perſpexit STEPH. BERGLERVS, in *Not.* ad hunc locum, *pag.* 1019. quem et vid. ad Comici *Nubes*, 997. *pag.* 183. ibique KVSTER. Ceterum ſimillimum EVRIPIDIS iusiurandum, in *Medea*, 746. hic ſimul ſalſe et facete perſtrinxit ARISTOPHANES, obſeruante ibidem eodem BERGLERO, qui ipſe etiam conferatur ad illius Comici *Plutum*, 292. Sic et HIERONYMI locus ex *Epiſtola ad Heliodorum* III. plus certo probat, ac Cl. GVNDLINGIVS credidit: Non enim meminit ſolum Vir ſanctus, HIPPOCRATEM ſuos adegiſſe diſcipulos, vt iurarent iusiurandum, ſed et meminit, quod Cl. Vir aut non perſpexit, aut quod verius exiſtimo, perſpicere noluit, quid illi iurauerint, *ſilentium* puta, *inceſſum, habitum, moresque,* et quae ibi ſequuntur. Quum igitur pleraque illorum, quae a ſuis diſcipulis exegiſſe dicitur apud HIERONYMVM HIPPOCRATES, in ſic dicto iureiurando HIPPOCRATIS hodie extent: ſequi videtur haud obſcure, hoc ipſum iusiurandum Virum ſanctum intellexiſſe et indicaſſe. Sed de his omnibus alibi, vt dixi, fuſius et ſolidius. Interim vid. hic praeter MEIBOMIVM, SPO-

NIVM

NIVM et alios iam ſupra laudatos, B. HEISTERI Filii *Apolog. pro Medicis Atheiſmi accuſatis, Sect.* XIV. *pag.* 55. *ſqq.* et STEPHANI *Theol. Hipp. cap.* V. *pag.* 224. *ſqq.* ibique FABRIC. et MATTH. *Comment.* VII. *in Hipp. περὶ ἐνσχήμοσ. pag.* 195. De cetero hic in HIPPOCRATEM ſumme iniurius pro more, eſt Cl. GVNDLINGIVS, quando ſcribit, religioſiſſimum ſenem *hoc iuramentum ex conſuetudine tantum et maiorum more, iuraſſe.* Profecto, ſi quidquam Veteres vmquam fuerunt reueriti, id iusiurandum fuit, vt apud HOMERVM, HESIODVM, PLANEM, XENOPHONTEM, EPICTETVM, ISOCRATEM, SOPHOCLEM, EVRIPIDEM, aliosque plures, iam a nobis laudatos, *Tom.* I. *poëm. pag.* 293. *Not.* inſignia plane loca extant, adeo vt et ipſos chriſtianos, ſi viuerent, in pudorem daturi eſſent. Porro nec illud Cl. GVNDLINGIO condonandum, quum ait, HIPPOCRATEM *per Aeſculapium ita forte iuraſſe, ac Socratem per Capparim, et Zenonem per Platanum notum eſt*, ſed male explicatum, teſte Apollonio, apud Philoſtrat. loc. mox laudando. Quid enim? quaſi vero iuramentum per alias quasuis res quam DEVM, factum, etiam non obliget, eiusdemque ſit efficaciae, ac ſi expreſſe Deus, a quo res iſtae mediae, per quas iuratur, proueniunt, nominatus eſſet: Euoluat Cl. Vir ſummum GROTIVM h) *Iure Belli et Pacis*, qui eum aliud longe docebit. Nempe de iureiurando illo vetuſtiſſimo Rhadamantheo dicto, Cretenſibus olim ab ipſo RHADAMANTHO dato, quo ex ſumma erga Deum, reuerentia per animalia potius et alias res creatas, iurandum erat, quam per ipſum Creatorem, ſiue Deum. De quo vid. PORPHYR. de *Abſtinent. Lib.* III. *p.* 119. *ſq. Schol.* ARISTOPHAN. ZENOB. et MICH. APOSTOL. in *Prouerb.* SVID. HESYCH. EVSTATH. aliosque plures, laudatos hanc in rem, a MEVRSIO, in *Creta, Lib.* IV. *cap.* I. *pag.* 195. vbi de hoc ſingulari iurandi more diligenter tractat: quibus add. Cl. RIBOVII *Diſſ. de Anima Brutor. cap.* XII. *p.* 544. *ſq.* et B. OLEAR. ad *Philoſtrat. Vit. Apollon. Lib.* VI. *cap.* 20. *pag.* 258.

§. XXVII. Tandem et *locum* attingo *decimum* atque vltimum, ex Libro de *Aëribus, Aquis et Locis*, hauſtum; ex quo HIPPOCRATIS [illegible] ἀθεό-

h) *Lib. II. cap. XIII,* 11.

ἀθεότητα impiumque ipſius de diis conceptum maxime patere Cl. GVNDLINGIVS opinatur. Locus eſt iuſto verboſior, ideo eum non exſcribam, dicam tantum breuibus, quid ibi HIPPOCRATES. De Scythis loquitur vt plurimum eunuchis et in venerem frigidis, at huius mali cauſſam diis adſcribentibus. Hoc igitur ſuperſtitioſum vulgi commentum vt confutet HIPPOCRATES; hanc Scytharum ſterilitatis cauſſam non diis, ſed cauſſis mere naturalibus, crebrae puta equitationi, et exin emortuo quaſi particulae ſalacis vigori rigorique, atque adornatae plerumque intempeſtiue, iuxta aures phlebotomiae etc. adſcribendam eſſe, luculenter demonſtrat, atque inde concludit, quod ſi haec ſterilitas immediate a Deo proueniret, ſequi et pauperes et diuites Scytharum (hi enim poſtremi maxime illo laborabant malo) eadem infeſtari, immo pauperes magis, qui non aeque ac diuites diis opimas mactarent victimas, eosque (modo illi honores a leui popello ſibi exhibitos, quod expreſſis addit HIPPOCRATES, curent et reſpiciant, quod tamen nulla prorſus fronte, hic negat Auctor *Diſſ. de Hippocr. Barb. operam negante*, vt plura alia,) impenſe colerent, ſed potius carperent et exſecrarentur, quod ſibi quoque nullas eſſent opes elargiti: Ob haec igitur, concludere pergit, crimina et reuerentiam debitam diis denegatam, pauperes potius ac ſuperum contemtores fas eſſet, ita punirentur, quam diuites et nobiliores, qui nec contra deos inſurgerent, nec cultus ipſis debitos recuſarent. Conf. huc XENOPHONTIS *Memorabil. Socrat. Lib.* I. *pag.* 571. Et haec vera eſt verborum illorum ſententia, nihil demſi, nihil addidi, nihil torſi. Quam et dudum ante me, acutiſſime ita perſpexit ac doctius latiusque explicuit toties iam merito laudatus STEPHANVS, in *Theol. Hipp. cap.* IV. *pag.* 216. *ſqq.* vbi vid. FABRIC. Quid igitur in his impium ſit, vt putant MERCVRIALIS, SEPTALIVS et Cl. GVNDLINGIVS: ego profecto neſcio. Deum iuſtum eſſe, et cum mortalibus ἀπροσωπολήπτως agere, ibi perſpicue docetur, quod et recte *auctor* alter *Theologiae Hippocratis* obſeruauit, male et ſine iure hic a Cl. GVNDL. reprehenſus: Deum vltorem contemtorum ſui nominis eſſe grauiſſimum, itidem ibi monetur, conſentiente quoque ipſa Scriptura Sacra. Nam

ἁμαρ-

ἁμαρτίας, peccata ceu caussam sterilitatis, et poenae, adfert HIPPOCRATES. Falsissimum hinc, et ab HIPPOCRATIS mente est alienissimum, si dicat Cl. GVNDL. quod HIPPOCRATES eo loco existimauerit, solos locupletes, non aeque pauperes, rite deos colere posse; vbi enim quaeso est tale? dicit potius, vt iam supra demonstraui, diuinus senex, pauperes ob sua crimina (si a diis malum illud petendum) et in deos conuitia, non autem ob paupertatem, ita puniri; hoc enim cum DEI iustitia, quam supra laudauerat HIPPOCR. neutiquam concordat: conferatur hic CAMILLVS FLAVIVS in *paraphrasi huius loci pag.* 90. *sqq.* item Auctor Diss. de *Hipp. Barb. op. neg. pag.* 18. vbi hunc ipsum eximium HIPPOCR. locum a friuolis GVNDLING. obiectionibus falsisque interpretationibus strenue vindicauit: add. et inprimis Cl. MATTHIAE *Comment. de Laude Dei ex Hipp.* vbi et maxime ad hunc ipsum locum prouocat. item FRANCISC. PERLA in *Prooem. Comment. in Hipp. Lib. de Loc. in Hom.* vbi inter alia, ita vere et eleganter scribit: *Hippocrates tanta polluit pietate in Deos, caritate in proximum, cupiditatum omnium moderatione in se ipso, vt non nisi Christiana Religio ad eius perfectionem desiderata sit.* Eadem paene leguntur apud PROSP. MART. *Comment. in Hipp. de Nat. Mul. pag.* 233. et passim alibi, item DVRET. HOLLER. HEVRN. MEIBOM. SCALIG. et alios. Sed audiamus quaeso inprimis STEPHANVM, in *Theol. Hipp. Cap.* VII. *pag.* 238. *sqq.* ita, velut entheum, exclamantem: *Proh hominum, deumque fidem! potuitne mortalis, et caduca natura altius mentis aciem erigere? sanctiora potuitne excogitare? Sic o Hippocratem maximum! o sacerrimum senem! qui non modo Artis medicae parangelmata nobis tradidit; verum et diuinae pietatis semina iecit, quibus imbuti, admiramur, simul et veneramur Manes diuinos.* Item ibid. *Cap.* V. *pag.* 225. *Quid mirum igitur, si Zamarellus, Comment. in Hipp. Lib. de Insomn. testante Io. Colle, Hippocratem Naturae et Christianae Theologiae Genium appellabat?* Sed omitto iam studio longe plura, per integrum eximium Tractatum istum vbique in hunc sensum occurrentia.

Adsumus, et portus delati intramus amicos.

Finit hic Cl. GVNDLINGIVS; ideo et ego hic pedem figo, atque demum huic meae Exercitationi colophonem impono. Aperte fatis, opinor, demonftraui HIPPOCRATEM a Cl. illo Viro *Atheifmi falfo fuiffe accufatum.* Omnia HIPPOCRATIS loca, quotquot ille allegauerat, diligenter examinaui, excuffi, et concuffi etiam, vbi infeliciter et ab HIPPOCRATIS mente aliena cefferat (cefferat autem ἐκτὸς πικρίης ἁπάσης λέγω, vbiuis) ipfius interpretatio. Senfum illorum naturalem et germanum femper, quantum potui, indagaui, demonftraui, dilucidaui, nullum finxi, nullum extorfi, nullum inuitum in meam defenfionem traxi, quod Viro Cl. familiariffimum, a me alieniffimum. Longus nonnumquam fui et verbofus, atque multa, non diffiteor, dixi, fed multa, non fterilia et fuperuacua, fed fcitu digna: in quibusdam tamen etiam parcior fui, vbi nulla obfcuritas et caligo, nullus fenfus abditus. Stili acerbitatem femper, quantum in me fuit, cohibui, impediui, temperaui: fcio enim, quem debeo Cl. GVNDLINGIO honorem, Viro docto et ingeniofo. Si tamen praeter fpem et mentem, verbulum quoddam ambiguum, mordax aut duriufculum exciderit, fciat ille, id me inuito et nolente, inque res magis et vera, quam verba, intento, fuiffe fcriptum, et hinc mihi ignofcat. Ceterum, fi qua in hoc fcripto reperiantur, quae fubacti iudicii Lectoribus minus probari poffint, vt culpa in teneram illam, XVII. nempe Annor. qua fcripfi, aetatem reiiciatur, mihique hinc venia detur, rogo atque obteftor. Fuit vero HIPPOCRATES, vt et eum non obliuifcar, Vir fapiens et illuftris, *omnisque in Medicina boni dux*, vt GALENVS faepe ait, *et Auctor*, fed fimul Vir pius, probus, aequi et iufti obferuantiffimus, a fuco, inuidia, auaritia, libidine, partium ftudio mendacio, iactantia, pertinacia, dolo, adulatione, obtrectatione, odio fuperftitione, etc. remotiffimus, quae tamen Virtutes fere omnes barbare paene ipfi denegantur in *Differt. de Hippocrate Barbaris operam negante.* Neque enim φιλανθρωπία ipfi licet φιλανθρωποτάτῳ, vt notum, conceditur, prorfus fane ἀφιλανθρώπως. Sed contraria omnia vid. apud SCHVLZ. *Hift. Med. pag.* 218. *fqq.* STEPHANVM, ibique FABRICIVM, SCHMIDIVM, MOSHEMIVM ipfum CVDWORTHVM,

MATTH.

MATTH. et alios plures. Et quod maximum et praecipuum, religiosius et honorificentissime de DEO sentiens, atque hinc nequaquam Atheus: Fuit tamen Atheus, fuit, et non fuit, non quidem fuit, vt tradidit Cl. GVNDLINGIVS; sed fuit; dum CHRISTVM nobis vere ἕρμα (vt ipsius HIPPOCRATIS vocabulo vtar) factum nesciret: sic enim Ephesii Apostolo ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ dicuntur. Conf. huc SCHVLZ. *Hist. Med. pag.* 228.

Sed satis. TV quisquis es, LECTOR, qui me hucusque patienter es sequutus, et, vt spero, assequutus, Vale mihique faue!

Multaque praeterea Tibi possum commemorando
Argumenta, fidem dictis, conradere nostris;
Verum animo satis haec vestigia parua sagaci
Sunt, per quae possis cognoscere cetera Tute:
Namque canes vt montiuagae persaepe ferai
Naribus inueniunt intectas fronde quietes,
Quum semel institerunt vestigia certa viai:
Sic aliud ex alio per Te Tute ipse videre
Talibus in rebus poteris, caecasque latebras
Insinuare omnis, et verum protrahere inde.

Contra hanc nostram Apologiam ipse GVNDLINGIVS dolens nimium et impatiens splendidorum iudiciorum et elogiorum, huic quidem iuuenili opellae a magno CLERICO, FABRICIO, ac BVDDEO, et in Diariis Gallicis aliisque praestantissimis benigne tributorum, binas grandes et verbosas Exercitationes, ingenti cum impetu fastuque vasto, effudit in sic dictis Gundlingianis. Sed demtis frigidis scommatis nonnullis ipsi familiaribus, et contortis locorum HIPPOCRAT. male intellectorum explicationibus, nihil fere remanet, quod aliqua tantum attentione dignum sit. Ideo meliore Sapientiorum iudicio placidoque assensu freti, noluimus studio, quidquam amplius respondere, licet non deessent argumenta quidem grauissima, quod citra vanam iactantiam dictum sit, maximam iam partem, in iustum ordinem redacta, et prelo fere parata. Neque enim *bella geri placuit, nullos habitura triumphos.* Praesertim, quum a pietate et candore nostro quam

maxime alienum ſit, placidam manium GVNDLING. quietem importune turbare. Iam enim *cecidere odia, et triſtes Mors obruit iras.* Sit ergo ipſi Terra leuis, et quieſcat in pace.

TANTVM.

DAN. WILHELM. TRILLERI, M. D. Reſponſio ad Obſeruata *Io. Clerici* in libello de Atheiſmo Hippocratis, Biblioth. Antiqu. et Hodiernae, T. XV. Part. 2.

Placuit inexhauſtae eruditionis viro IOANNI CLERICO *Hippocratem* meum *Atheiſmi falſo accuſatum* ſub examen vocare, atque ſuper quibusdam, inprimis aduerſus Celeberrimum ipſius fratrem DANIELEM CLERICVM, a me dictis ſententiam ſuam placide ferre. Ego, ſicuti iuſtas eruditorum cenſuras merito exoſculor; ita conuitiatoribus nihil vnquam reponere mecum conſtitui, ne ipſis vlterius bilem et virus ſuum euomendi vlla detur occaſio. Quia igitur laudatus modo Vir diſſenſum in quibusdam capitibus ſuum non ſolum humaniſſime profeſſus eſt, ſed et me quoque, (indignum fateor tanto honore,) tenueque illud ſcriptum, ingenti encomio ornauit; quaedam ea, qua decet tanto viro reſpondere, reuerentia, ad illa regerere conſilium cepi; quod cum ipſius venia fieri a me poſſe non dubito. In duas autem partes ea, quae dicturus ſum, commode diſpeſci poſſunt; ita vt in priore tractem aliqua de voce *Natura* περιμαχήτῳ, et an eam HIPPOCRATES ad multorum veterum philoſophorum exemplum, pro principio quodam primo, aeterno, ſapienti, per ſe libere agente, nec ab alio ſuperiore impulſo ac moto, (ſicuti Naturam plerumque veteres definiebant, vt inter alia apud Auctorem *Definit. Med.* GALENVM vulgo creditum, videre licet) an vero potius pro principio alii longe ſapientiori ac perfectiori ſubiecto, atque ex neceſſitate quadam mechanica magis, quam libere et virtute ſua propria agente habuerit: in altera vero ad ea in hypotheſi, quod aiunt, reſpondeam, quae Cl. CLERICI dicta, a meis obiectionibus vindicata, in ſpecie attinent. Vtrumque breuibus fiet et veluti in tranſitu.

Dixeram

Dixeram ego, HIPPOCRATEM Naturam in corpore animato pro mechaniſmo ſ. fluidorum et ſolidorum perpetuo ac adaequato motu, ex mechanica partium ſtructura neceſſario reſultante, aut, vt breuius dicam, pro vi iſta motrice, partibus corporis animati mechanice compoſitis inſita et concreata, accepiſſe: idque me tum dixiſſe nondum ſane poenitet. Nam etſi ARISTOTELEM aliosque veteres philoſophos Naturam aliter deſcripſiſſe atque pro ſapienti et ἀνευθύνῳ motuum principio ſumſiſſe conſtat, vt vel ex GALENO patet, *Comment.* I. *in Lib. Hipp. de Nat. Hum.* exin tamen tuto non colligitur, HIPPOCRATEM Philoſopho-Medicum, atque Stagirita longe antiquiorem, ſimili quoque ratione Naturae notionem vſurpaſſe. Illum enim corpus animatum iuxta leges mechanices artificioſiſſime compactum credidiſſe, atque ſic pro Daedalea quadam machina ac automato habuiſſe, ex variis ipſius libris liquido poteſt demonſtrari; inprimis vero *ex Lib.* I. *de Diaet. de Hominis Natura, de Locis in Homine, de Venis, Articulis,* aliisque pluribus: in illis enim noſtram Naturam ceu mere mechanicam conſiderat, atque nunc de accurata partium ſtructura, earundemque harmonica inter ſe connexione, nunc de ſanguinis fluxu et refluxu, atque hinc inteſtino continuo eiusdem motu et niſu; nunc de preſſorio ventriculi et inteſtinorum negotio, ſimilibuſque oeconomiae animalis operationibus erudire agit. Cumprimis vero in *Lib. de Vet. Med.* diſerte ſimul et acute de corporis noſtri mechaniſmo loquutus eſt, dum varia iſtius σχήματα ſ. figuras recenſet, v. g. cauas, expaſſas, ſolidas, rotundas, latas, penſiles, extentas, longas, denſas, raras, hiantes, ſpongiformes, molles etc. ex quibus dein et ſanitatis & morborum rationem apte et docte deduxit. Quin immo ex ipſa Medicinae Definitione quam *Lib. de Flat.* tradidit, nihil aliud, credo, liquet, quam HIPPOCRATEM corporis mechaniſmum credidiſſe, dum eam ſcilicet per ἀφαίρεσιν τῶν ὑπερβαλλόντων καὶ πρόσθεσιν τῶν ἐλλειπόντων, per ſuperabundantium ſubtractionem, et deficientium additionem ſtatice, atque hinc optime, definiit. Vnde et THESSALO, filio ſuo haud degeneri, ſuaſit, vt Geometriae ac Arithmeticae ſedulo operam nauaret, quia harum cognitio in clinica aeque ac chirurgica maxime

praxi ingentem vtique praestaret vsum. Hunc igitur mechanismum, hos inquam motus εὐτάκτους, in artificiosa corporis machina vim suam exerentes, noster diuinus senex vocauit φύσιν s. *Naturam*, vt quondam pluribus dixi; quod et hic repetere non reformido. Quantumuis enim GALENVS diuersis quidem in locis, cum a me, tum ill. quoque CLERICO in medium adductis, plurima HIPP. de Natura loca ex sua ὑποθέσει explicet atque ipsam Naturam pro Archeo quodam et Hylarcha, aut singulari motore, qui animalia formet, conseruet ac sanitati reddat, ab HIPPOCRATE sumtam fuisse adserat; dubito tamen, an huic inconstantis admodum animi viro (vt alibi demonstraui) semper tuto fides sit habenda, inprimis quum ipse *Comment.* III. *in Hipp. de Hum.* et *Comment.* II. *in eund. de Vict. Acut.* et alibi de significatione Naturae apud HIPPOCR. testetur, eam per οὐσίαν καὶ κρᾶσιν ἐκ τῶν πρώτων στοιχείων, per *essentiam et temperaturam ex primis elementis*, esse explicandam; quam sententiam et ipse fouet *L.* III. *de Temp.* etc. Immo *Lib.* XI. *de Med. Meth.* Naturam συμπληροῦσθαι. h. e. *compleri, perfici* et *componi* putat tribus his partibus, spiritu nimirum, partibus solidis, et tandem substantia carnosa, vt alia in hunc sensum loca plurima sane nunc taceam. Vnde clare satis patere iam arbitror, HIPPOCRATEM Naturam pro iis, quos dixi, corporis animalis motibus mechanicis, seu quod idem, pro vi ista motrice corporibus insita, neutiquam vero pro principio quodam, vt sic loquar, intellectiuo et libere ac cum prouidentia et sapientia quadam exquisita agente accepisse; secus enim in *Lib. de Loc. in Hom.* et alibi non scripsisset, Naturam mutari, corrumpi, auerti et impelli posse; quod de Ente libere ac cum prouidentia agente, certe persuasus sum, non erat dicturus. Immo si, et HIPPOCRATEM Naturam quandam *creatricem*, vt LVCRETIVS loqui amat, et plasticam, aut peculiarem corporis nostri motorem et formatorem credidisse, constaret vtique, sicuti non constat; nequaquam tamen exinde sequeretur, HIPPOCRATEM fuisse Atheum, vt optime magnus obseruauit CLERICVS: sicuti nec CVDWORTHVS, nec HELMONTIVS, nec DOLAEVS, aliique nostra tempestate Medici pariter ac Philosophi, qui Archeum quendam, Hylarcham, spiritum plasticum,

Micro-

Microcoſmetora et ſimilia, vt ſic dicam, idola, ceu principium quoddam actiuum, atque in corpore animato iuxta ſuas ideas agens, illiusque molem mouens, ſuppoſuerunt, a nemine, qui naſum habet, Atheiſmi iure poſtulari poteſt: etſi non nego, eiusmodi factitios atque ex machina deos, et motores gratis formatos, exiguum admodum et in phyſiologia et philoſophia praeſtare vſum. Sed illud mihi viciſſim concedi velim, quod HIPPOCRATES Deum et Naturam non pro vna eademque re habuerit, vt Stoici, probante id multis LIPSIO, fecerunt; ſed illum ab hac ſollicite potius ſeparauerit. Nec precario illud poſtulo; perſpicue enim id ex loco, a me ex *Lib.* I. *de Diaet.* producto, doceri poteſt, vbi verba notatu perquam digna: *φύσιν δὲ πάντες θεοὶ διεκόσμησαν,* Naturam omnes dii concinne compoſuerunt; cui alium ex *Lib. de Nat. Mul.* addo, in quo *τὸ θεῖον* et *φύσιν* ſ. Diuinum et Naturam aperte diſtinxit. Immo de Natura loquens, eam inuerti, mutari et corrumpi poſſe aſſerit, vt ſupra dixi: de Deo vero, eius ſancita ſemper firma, recta et immutabilia eſſe, egregie perhibet. Maxime autem id ex illo loco *ἀμφιβόητῳ Libri de Carn.* apparet, vbi Deum ſub ignis effigie depictum, omniſcium, omnipraeſentem aeternumque vocat; quibus elogiis, ſolo Deo dignis, quod nec paganos latuit, Naturam, huius tantum veluti ſeruam, eum exornaſſe, nullibi in omnibus eius ſcriptis deprehenditur. Atque haec de prima parte ſufficiant.

Venio ad alteram; ſeu ad loca illa a Cl. DAN. CLERICO allegata, et a meis obiectionibus, vt videtur, vindicata. Ante omnia lubens id fateor, Celeberrimum illum Medicum HIPPOCRATEM pro Atheo neutiquam habuiſſe, neque eum in finem loca iſta produxiſſe, vt vel eius religionem, vel Atheiſmum exinde adſtrueret; quod et nullibi dixi: doctior enim longe atque prudentior erat ille Vir, quam vt tam putridam atque pudendam opinionem de ſummo diuinae noſtrae artis antiſtite foueret: ſed eundem loca quaedam HIPPOCRATIS non ſatis accurate explicuiſſe, vnde ea in ſuas partes raperet aduerſarius, id vero dixi, certe dicere volui, et credo recte. Erroris iſtius fontem, qui ſeſe in reliqua loca diffudit, ſuſcitauit anteſignanus ille

ille de Calido locus ex *Lib. de Carnibus*, vbi HIPPOCRATEM de Deo, vt de Ente quodam a Natura plane diuerſo loquutum fuiſſe modo demonſtraui, et pluribus ante in ipſo meo libello: Cl. contra DAN. CLERICVS diuerſa haec principia pro ἰσοδυνάμοις habet, Calidumque idem eſſe ac Naturam contendit; quod ego negaui, et etiamnum nego. Nam licet illuſtris ipſius frater IO. CLERICVS obſeruarit, Naturam apud antiquos principium illud generale, quod omnia formauit, quodque Deus adeo ipſe eſt, ſaepius denotare; quod et LIPSIVS et SCHELHAMMERVS recte iam animaduerterunt; tamen eam explicationem hic aegre admiſerim, ex rationibus nimirum ſupra allatis. Interim Cl. DAN. CLERICVS, vt ad eum reuertar, ex hoc capite reliquorum locorum explanationem deduxit: quum enim Naturam, velut Calidum illud, omniſciam et ſapientiſſimam eſſe crederet, factum eſt, vt τὸ δίκαιον ſ. *iuſtum* in *Lib. de Fract.* pro iuſtitia quadam morali aut ἀκριβείᾳ quadam in operando, non ſine inſigni cognitione atque iudicio adquiſita, ſumeret, quod et iam GALENVS fecerat; quum tamen vox iſta in ſenſu tantum phyſico ſ. mathematico, illo certe in loco, accipienda, atque ſic pro mera corporis partium concinna et apte cohaerente diſpoſitione eſſet intelligenda; vt multis in ipſo opuſculo me liquido demonſtraſſe credo. Similiter δύναμιν ſ. Facultatem in *Lib. de Aliment.* quaſi ſeruam Naturae illius atque ſic cooperatricem explicat; quum tamen HIPPOCRATEM ibi de facultate alimentari et ſubſtantifica loquutum fuiſſe, argumentis admodum perſpicuis, opinor, oſtenderim: etſi non nego, in aliis locis, a me ipſo quoque, et Cl. illo viro allegatis, vocem δύναμιν hoc fere ſenſu, ab HIPPOCRATE ſumi. Interea iterum concedo, ſolertiſſimum Virum, quum iſta ſcriberet, ad HIPPOCRATIS religionem neutiquam reſpexiſſe: anſam tamen hac ipſa interpretatione dedit, vt aduerſarius et illo loco, ad effingendum HIPPOCRATIS Atheiſmum, abuteretur. Reſtat demum, vt et rationem reddam, cur Librum *de principiis*, aut περὶ ἀρχῶν, inſcribi malim περὶ Σαρκῶν ſ. *de Carnibus*. Prius Cl. Viri frater adſeruerat, quem et ſequutus erat Aduerſarius; poſterius autem ego. Neque nunc aliquid muto, ex diuerſis et grauibus quidem cauſſis. Vt

enim

enim taceam, in omnibus, teste FOESIO, Codicibus MSStis legi Σαρκῶν, non Ἀρχῶν, videtur eam maxime ob rationem inscriptio ista non mutanda, *quia est* (verba sunt MARTINI *Med.* Cl.) *ex conformatione partium corporis humani, quarum substantiam, qualiscunque sit, communiter Graeci Σάρκα vocarunt, vt Galenus docet.* Similiter in *Oeconomia* laudatus modo FOESIVS notauit: Σάρξ *Hippocrati carnem significat, et eam primarum ac simplicium partium substantiam, quae non eas tantum complectitur, sed fulcrum etiam est earum, et veluti integumentum.* Quod et ZWINGERVS antea docuerat in *Comment.* ad hunc *Lib.* περὶ σαρκῶν. Videntur ergo Σάρκες veteribus Philosopho-Medic. vocata fuisse prima corporis animati stamina et principia; et omne id sub se comprehendisse, quod vniuersam corporis machinam constituit, et ad omnem eiusdem massam pertinet. In hoc sensu vox σάρξ aliquoties occurrit in HIPPOCR. *Lib. de Nat. Pueri;* vbi inter alia verba: ἡ δὲ σάρξ αὐξομένη ὑπὸ τοῦ πνεύματος ἀρθροῦται. *Caro,* s. Massa *illa prima, ex qua homo fit, dum crescit, a spiritu articulatur.* Inprimis autem huc pertinet, quod DEMOCRITVS, HIPPOCRATI nostro σύγχρονος et familiaris, binos libros περὶ Σαρκὸς ἢ περὶ φύσεως ἀνθρώπου, *de Carne, aut de Humana Natura* scripsisse obseruetur a DIOGEN. LAERTIO. Vnde perspicue iam, opinor, apparet, Veteres Σάρκα, ita vt dixi, in Physiologia sua interpretatos fuisse, atque sic pro ipsa natura, seu primis corporis animati indumentis (de quibus et in hoc de *Carn. Libro* maxime loquutus est HIPPOCR.) habuisse; et ex hac quoque ratione inductus Cl. SCHELHAMMERVS credidit, huius περί σαρκῶν libri nullum alium auctorem esse, quam ipsum DEMOCRITVM. Atque haec certissima quidem videntur. Quum igitur illis, qui singularem hunc τῆς Σαρκὸς significatum haud callebant, conuenientior videretur vox ἀρχὴ seu *principium;* factum est, vt librum istum περὶ Ἀρχῶν falso inscriberent, notius pro ignotiori substituentes, vt in Vet. Cod. saepius contigisse deprehendimus. Sed haec hactenus, quae omnia vberius longe persequi, si tempus et spatium concessissent, potuissem: *Verum animo satis haec vestigia parua sagaci.* Interea in sinu gaudeo, quod veritas a me propugnata denuo triumphauit, et

quod praeter viros vndiquaque celeberrimos, FABRICIOS puta, BVDDEOS, et Auctores doctissimi Diarii Gallici, *Journal des Savans* dicti, aliosque, etiam summus vir, quique hodie solus inter doctos principatum tenet, IO. CLERICVS vna cum praestantissimo Fratre DANIELE, a meis partibus stare non dubitauit, et *Hippocratem Atheismi falso fuisse accusatum*, mecum candide pronunciauit. *)

DANIELIS WILHELMI TRILLERI

PHILOS. ET MED. D.

EPISTOLA MEDICO-CRITICA

AD

VIRVM EXCELLENTISSIMVM

D. IOANNEM FREIND,

COLL. MED. LOND. ET SOC. REG. SOCIVM,

SVPER PRIMO ET TERTIO HIPPOCRATIS EPIDEMICOR. NVPER AB IPSO EDITIS.

In qua simul agitur de *variis Hippocratis Editionibus*, *MSStis*, *de eius stilo et dialecto*, *variaque in ipso emendantur loca*: praeterea ei restituitur *doctrina de pulsibus*, *sudoriferis*, *vsu cantharidum externo*, aliaque admiscentur notatu digna.

VIR EXCELLENTISSIME.

Perlectus mihi est liber TVVS ex Anglia nuper ad nos allatus, elegans non minus, si chartae et characteris nitorem, quam doctus, contenta si respiciam. Saeculo huic nostro impense tum gratulatus fui de tanto HIPPOCRATEAE auctoritatis vindice, quae vbi lapsa penitus non fuerit, sensim tamen proh dolor! labitur. Multi enim, non dicam, plurimi, qui nil nisi noua vbique crepant, indignum putant

*) Haec nostra Responsio, ex *Nouis* Eruditorum in gratiam diuulgatis, *No. X. Litterariis Lips. Mens. Octobr.* 1721. *pag.* 150. *sqq.* huc translata est.

tant, HIPPOCRATEM, quem tamen omnes cordati pro duce parenteque in arte ſalutari iure habuerunt, euoluiſſe, atque quidpiam ex ipſo addidiciſſe: Quaſi vero ſatius non foret, limpidos adire fontes, quam ex paludoſis interdum riuulis aquam inſipidam haurire. Equidem is ego non ſum, qui Recentiores ſua laude defraudare velim: Sint per me licet, clari in arte medica; locupletarint et Anatomiam et chirurgiam, et chemiam etc. etc. an vero ea propter Veteres, qui ſi non omnia (hoc iis in aurem dixerim, qui ita de me ſentiunt, quaſi putem HIPPOCRATI nil quidquam in Medicina latuiſſe) plurima tamen calluerunt, quamuis ea non, prout nobis eſt plerumque moris, magno verborum ſyrmate conſignarint et commendarint, parui facere liceat? ego ſane illud non putarim: quum longe facilius ſit, expolire aliquid ac amplificare, quam inuenire et ex rudi et indigeſta mole formare. Sed quis eſt, qui haec perpendat? paucis illud eſt datum, et inter hos, TIBI, prae reliquis VIR EXCELLENTISSIME! TV enim antiquum aurum nouis ſcoriis praefers, fidamque Pharum potius ſequeris, quam ignes fatuos, et nullus vereris, ringentibus licet, ſat ſcio, multis, adſerere, Veteres Medicos, et maxime HIPPOCRATEM, in tradendis morborum hiſtoriis, vt alia non attingam, recentioribus palmam dudum praeripuiſſe, quod et iam ſua tempeſtate faſſus eſt THOMAS SYDENHAM, Angliae veſtrae decus et ſidus fulgentiſſimum, quod, quo acrius obſcurare illud contendunt inuidi; eo illuſtrius, vt fieri ſolet, reſplendet.

Quumque ego a puero fere fui φιλιπποκράτης, et eum ſimul in finem Medicinae operam dedi, vt diuinum illum ſenem recte intelligerem: haud aegre, ſpero, feres, pro ea, qua es, humanitate, ſi illa, quae cum in lectione ipſius HIPPOCRATIS, tum TVI libri egregii euolutione, mihi fuere obſeruata, leuia licet ſint, ad TE perſcribam, officioſe rogitans, vt omnia aequi bonique conſulere, et ſuper iis, vbi forte humani quid (id enim a me alienum non puto) fuerim paſſus, iudicium TVVM limatum interponere velis. Hac enim ratione non tantum me, ſed, quod maximum, ipſum eruditum orbem TIBI reddes deuinctiſſimum. Vt vero mittam, quae in Epiſtola dedicatoria

 ad

ad Cl. RICARDVM FREWIN, docte et eleganter differuifti de veterum Medicorum et Graecorum et Latinorum monumentis, vtpote generaliora, et ad fcopum meum, quem mihi hac quidem vice, praefixi, non adeo fpectantia; fine vlla ambage, me iam ad ipfam Praefationem conuerto, vbi tum de *variis* HIPPOCRATIS *Editionibus*, tum de eius *dialecto*, tum aliis *momentis Hippocratem legentibus fcitu admodum neceffariis*, ex inftituto agitur. [a]) Et primum quidem, quod ad varias HIPPOCRATIS Editiones attinet: haud fatis laudare queo exactum Tuum de iis iudicium. *Aldina* enim, quae omnium eft prima, vtut ex MSStis immediate fit impreffa, fed, vt videtur, non fatis vetuftis, nec fidis fatis, aut caftigatis, praeter antiquitatis tamen honorem, chartaeque nitorem vix aliquid habet, quod ipfam commendet, quale iudicium efto de omnibus propemodum ALDI libris Graecis; funt enim admodum vitiofi, fruftra licet negante KINGIO; fed rectius affirmante FABRICIO. Exempli loco fit PLATO, de quo ipfe conqueritur ALDVS in *allocutione ad Leonem* X. GALENVS, PHILOSTRATVS, AETIVS, AEGINETA, LVCIANVS, APOLLONIVS, RHODIVS, Variar. Epiftolar. Graecar. Sylloge, vt alios iam taceam Autores. *Frobeniana* caftigatior eft, fed *paullo*, vti bene monuifti, nam quaedam interdum ibi funt omiffa, vt inter legendum, olim faepius obferuaui: hoc tamen poffum adferere, quod typi et acutiores fint, et accuratiores, quam in ipfo quidem Codice Aldino. Conf. huc iuftum IVSTI IOSEPHI SCALIGERI iudicium, de Aldinis et Frobenianis Editionibus Graecis, in *Scaligeran. pag.* 162. vbi pariter pofteriores prioribus, fumma cum ratione, praefert. vid. et paffim FABRIC. in *Bibl. Graec.* et alios inprimis, *Lib.* II. *cap.* 24. *pag.* 858. *fqq.* et alios. In MERCVRIALI, qui etiam edidit HIPPOCRATEM, vnum illud defidero, quod fidem MSStorum, Vaticanorum praefertim, quae tamen creberrime, vt infra pluribus probabo, eft fublefta, fuo faepius, quod tamen, vt docti norunt, eximium erat, praetulerit ingenio; hincque recte adnotas, V. E. eum vel ipfa vitia exfcripfiffe: nam hoc pacto reuera *male fe ingeffit in numerum interpretum*, CASTRENSIS iudicio, apud BARTHO-

a) *De Variis Hipp. Editionibus.*

BARTHOLINVM. b) Sed quid de FOESIO dicam? ſane is maior eſt meo qualicunque encomio: Coniuncta in ipſo erant doctrina cum ingenio, et diligentia cum iudicio, adeoque omnia habebat requiſita, quae acutum decent criticum et bonum interpretem. Vid. huc inprimis ill. FABRICII *Bib. Gr. Lib.* II. *cap.* 24. *pag.* 859. Profecto, ſi quis eius verſionem euoluat, ſe nihil accuratius, luculentius nihil legiſſe, fateri cogitur: Conf. huc HVET. de *Claris Interpret. pag.* 215. et *Specim. noſtr. Hipp. pag.* 6. et mihimet ipſi ſaepe, teſtor, accidit, vt ex accuratiſſima illa et ſummo cum iudicio, conflata verſione corruptum HIPPOCRATIS textum emendare potuerim. Illud autem Tecum in eo laudem, neſcio, an notem? quod ſe nimis clementem geſſerit in exſtirpandis vitiis textui Hippocratico illatis: Vbi enim vrendum erat et ſecandum vt ita dicam; ibi nihilo minus timide nimis, linamenta adhibet quaſi et cataplaſmata, et dubitanter ſubſcribit, quae tuto in textum erant recipienda: notent praeterea alii, Commentarios eius nimium verboſos interdum et copioſos. Ad LINDANVM iam venio feliciorem forte Medicum; quam Criticum. Praeterquam enim, quod ille ingenio ſuo abuſus ſit, in textu emendando, vt BARTHOLINVS iudicat ſupra allegatus, et GVIDO PATINVS, *Tom.* III. *Epiſtol. pag.* 177. *ſeqq.* apud FABRIC. *Bibl. Gr. loc. cit. pag.* 860. et nihil tamen de illis emendationibus indicauerit (qua de re alibi a me dictum fuit) nitidiſſimam ſuam Editionem turpiter foedauit cum verſione Cornarii, peſſimi, teſte Caſaubano, critici. Vid. huc et iuſtum acutumque WELSCHII de illo iudicium, *Decad.* IV. *Curat.* V. *p.* 184. *ſeqq.* et FABRIC. *Bibl. Graec. Lib.* II. *cap.* 24. *pag.* 858. Nihil enim, ita me DEVS amet! illa vnquam fere a vero ipſius Auctoris ſenſu plerumque alienius, nihil frigidius, quod vel ipſe FOESIVS ὁ πάνυ paſſim teſtatur, et iam ante eum ZVINGERVS, praeterea varia quoque hinc inde inuenire licet paratypomata ex correctoris negligentia, praeteruiſa. Sunt autem in ea Editione, quae laudem merentur, forma inprimis, et nitor: eſt enim ad vſum quotidianum accommodatiſſima, et chartae typique elegantia, quae Batauorum in imprimendis libris,

b) *De lib. leg. Diſſ. IV.*

est propria, oculos mirifice oblectat; quibus merito, tertio quasi loco, adiunxeris textus in segmenta diuisionem, allegationibus optime inseruientem. Poterat quidem et quarto, addi, quod ista Editio ad omnes alias editiones, vt Titulus superbit, respiciat, paginis earum ad marginem vbique adiectis; Verum, quum operosus tantum mihi videatur labor, ex quo tamen, si verum fateri velimus, parum verae vtilitatis redundat, igitur istud in medio relinquam sine laude, sed et sine vituperio. Vastum illud CHARTERII *opus* adhuc superest, de quo nihil habeo, quod dicam, quam illud, quod TVTE V. E. prudenter adnotasti: est enim somnolenter compositum, et clausis paene oculis correctum, adeo, vt praeter splendorem, quem Bibliothecis adferre potest, parum habeat laudis, sed multum pretii; nisi illud aliquis velit in eo potissimum laudare, quod GALENVM exhibeat cum versione, et quaedam eius scripta in aliis editionibus haud obuia: de quo vid. FABRICII, τȣ πάνυ, *Bibl. Graec. Lib.* IV. *cap.* 17. *p.* 559. Denique noua quoque Hipp. Opp. Editio, nuper 1743. prodiit Viennae, externam quidem sui formam, satis splendida ac magnifica, verum ipsa interna dignitas ac praestantia eheu! non respondet externo isti nitori. Dicendum nunc aliquid hic esset de THEODORO ZVINGERO; is enim, si a FOESIO discesseris, omnium optime de HIPPOCRATE meruit, summo scilicet iudicio praeditus, et ingenio politissimo ornatus. Verum, quum ille non vniuersa HIPPOCRATIS edidit opera, et hinc etiam abs Te non fuit allegatus, eum cum reliquis multis, qui quaedam tantum HIPPOCRATIS scripta edidere (quorum amplum Catalogum FOESII exhibet Editio) praetereo, alia commodiore occasione iudicium de iis laturus. c) Id tantum in praesenti, de ZVINGERO dico, analysin eius per tabellas factam mihi non adeo placere: quantum enim laboris ea exegerit ab Auctore, vt ipse fatetur; tantum hercule! taedii parit et difficultatis lectoribus, qui mox huc, mox illuc oculos vertere, immo torquere coguntur; praeterea

nec

c) Quod postea, abunde, nisi fallor, a nobis praestitum, in Commentatione nostra, *de Noua Hippocratis Editione adornanda*, vna cum Libello *Hipp. de Anatome*, illustrato, *Speciminis* loco, edita, Lugd. Batau. 1728. forma quarta maiore.

nec vſum adeo magnum hariolari queo: Conf. *Specimen noſtr. Hippocrat. pag.* 9. Sed haec de Editionibus. Vides V. E. quam accurate Tecum conſentiam. Si nempe id impune hic fateri liceat, per ſeuera nimis KINGII Contrarii, imperia. Sed iuſtius eſt de hoc noſtro iudicio, iudicium ill. FABRICII *Bibl. Graec. Vol.* XIII. *pag.* 246. Libere iudicaui, ſed, vt credo, vere. Ego viciſſim liberum expecto et exopto iudicium ſuper mea, quam paro, HIPPOCRATIS d) Editione, quae, ſi Deus vitam conceſſerit et ſanitatem, breui forſan ita erit comparata, vt prelo ſubiici queat: De qua exactius et luculentius egi in *Commentatione ſingulari, Lugd. Bat.* 1728. edita: de qua ſupra.

Occaſione *Manuſcripti Barocciani*, e) de quo TIBI iam eſt ſermo, anſa mihi datur, quaedam de *Codd. MSStis Hippocraticis* primo ſane loco ponendis, in genere differendi. Equidem, vt ingenue fatear, vidi hucuſque nullos, nulli enim apud nos habentur: f) Quantum vero tum ex libris impreſſis, tum doctorum Commentatorum teſtimoniis, immo querelis, colligere licet, ſat mutili ii ſint et corrupti neceſſe eſt. Duo nimirum ſunt, iudice DAN. HEINSIO, g) quae autoribus antiquis labem attulerunt et perniciem: *tempus* videlicet, et *imperitia.* Hoc vel maxime in HIPPOCRATE palam fit: plus tamen poſterius ipſi nocuit, quam prius. Quum enim ſcribae illi litteris ſatis leuiter tincti, ſtilum HIPPOCRATIS medicum vocesque peregrinas, adde et, quod OPSOPOEVS obſeruat, per compendium ſcriptas, non intelligerent, factum eſt, vti ego quidem opinor, vt tam horrenda monſtra ſaepius textui HIPPOCRATICO inferrentur, quae vbi legimus, lacrumas, neſcio, an riſum, exigant. Nihilominus tamen et membranae et chartae omnes ὁμοθυμαδὸν in vitia frequentius conſpirant, de quo ſaepius quoque conqueritur FOESIVS, quibus, niſi ſuccurrat ingenium, nec audax nimis, nec nimis timidum; omnis

d) *Noua promittitur Editio.*

e) *De MSStis Hipp.*

f) Vidi tamen poſtea, in peregrinatione mea nonnullos et ſedulo contuli cum impreſſis, praeſertim autem binos in *Bibliotheca Regia Pariſienſi*: de quibus vid. *Epiſt. noſtr. I.* de *Anthracibus et Variolis Veterum*, ad Cl. *Hahnium, pag.* 7. item et *Specimen* noſtrum *Hippocrat.*

g) *Praef. in Not. ad Max. Tyr.*

omnis certe medela erit desperanda. [h]) Lubet iam quasdam saltim spicas, prout in manus venient, ex vberrima vitiorum messe, proferre, quo dictis meis eo melius fides sua constet. [i]) In *Lege* ter legitur τρόπος εὐφυῆς in omnibus, si fides FOESIO, Codd. MSStis, quum tamen cum eodem FOESIO, ZVINGERO et CORNARIO, qui et aliquid aliquando vidit, scribendum sit τόπος, nisi malimus per τρόπον intelligere methodum, quod tamen duriusculum videtur. In *Libro Praeceptionum* §. VII. *Edit. Lind.* (eam enim semper allegabo, quoniam tmemata habet, et aptior hinc allegationibus prae reliquis, vt supra iam monui) dicitur de Medico: ἐπισκοτεόμενος τῇ ἀπειρίῃ, vt MSSta habent, quum tamen melius forsan legendum sit ἀπορίῃ, vti mox aliquoties sequitur, de imperito enim Medico sermo ibi non est, verum de dubitante; *ibidem* §. X. αἰτήσαιμι βȣσθην omnia exhibent exemplaria, teste FOESIO, et tamen est monstrum. FOESIVS legendum putat βοηθεῖν, seu quod melius βοηθείην, quod haud improbo: malim tamen cum MERCVRIALI βȣλὴν, quia haec propius accedit ad corruptum βȣσθην. In *libro de Carnibus* (σαρκῶν enim legendum, non, vt vulgo fit, ἀρχῶν vt alibi docui,) omnes fere Codd. habent, vbi de nigredine pupillae mentio fit: ἡ κόρη τȣ̃ ὀφθαλμȣ̃ μέλαν φαίνεται: quod etsi quodam modo ferri ac defendi possit; aptior tamen videtur lectio, μέλαινα, scil. Κόρη; atque sic postea manifesto deprehendimus scriptum in vno Cod. MS. Regio Paris. item et in margine Cod. Mead. nobis cum benignissime communicato. Verum hoc leue et quasi obuium. Sed longe difficilior est locus, *ibidem*, §. XVIII. *in fine*, vbi de oculi formatione et affectionibus quaedam disseruntur; verba haec sunt, prout ea omnes repraesentant Codd. Καὶ ἤν τις ἐγκρίσει (ἐν κρίσει scribunt ZVINGERVS, FOESIVS, vt et in Edit. Froben. quod tamen falsum,) διὰ τόδε, ὅτι ὁμόχροιά ἐστιν ὥσπερ τὸ στόμα, καὶ ἡ γλῶσσα, καὶ ἡ ἄλλη κοιλίη ἔνυγρά ἐστιν. Sed qui sensum mihi et nexum commodum ex hisce verbis deprauatis extorquebit, nae! is magnus mihi erit Apollo: ZVINGERVS quidem illud tentauit, sed successu paene nullo, quamuis adplaudat FOESIVS. Cohaeret quidem, non nego,

h) *Vitiosa sunt.* i) *Loca in Hipp. emendata.*

nego, interpretatio eius cum antecedentibus, quae tamen interiecta tantum ſunt, non vero cum ſequentibus, cum quibus tamen neceſſario connecti debebat. Quid ſi autem ego ingenii mei vires, quod quam ſterile mihi ſit, nullus quidem ignoro, pericliter, huncque locum litterarum ductibus accurate inhaerens hoc modo legam: Καὶ ἦν τις ὑγρασίη διὰ τόδε, ὅτι ὁμȣ χρεία ἐϛὶν, ὥσπερ τὸ ϛόμα - - - ἔνυγρά ἐϛιν: dixerat enim diuinus ſenex περὶ ὑγρȣ τȣ ὀφθαλμȣ ſeu oculi humore; quam peſſime autem ſe habeat oculus iuſtis ſuis humoribus deſtitutus, in pathologicis demonſtratur et ipſe euolvi poteſt HIPPOCRATES Libro *de Locis in Homine, et alibi.* item *Aetius Lib. VII.* Sed nunc nobis alia facilior, et, niſi fallor, veriſimilior, emendandi ratio ſuccurrit, ſcil. ἦν τις ὑγρασίη, ſiue et ἔγχρισις, quod adhuc aptius, διὰ τόδε, ὅτι ὁμόχροιά ἐϛιν, h. e. *et erat quaedam humiditas, ſeu vnguen, in oculo, propterea, quod eius ſuperficies laeuis et lubrica eſſe debet, vt os, lingua et Venter ideo etiam humida ſunt.* Senſu nunc, opinor, perſpicuo, de ipſa vero voce ὁμόχροια, HIPPOCRATI per quam familiari, ſed admodum controuerſa, vid. SCALIG. in *Lib. de Capit. Vuln.* IS. VOSS. ad *Melam.* II, I. *pag.* 420. GRONOV. ad *Lib.* I. HERODOT. melius vero ibidem WESSELING. *pag.* 37. et MERIC. CASAVB. ad *Marc. Antonin. Lib.* IX. *pag.* 413. in *Opp.* GATAKER. FOES. in *Oecon.* et CLERIC. ad *Aeſchin. Dial.* III. *pag.* 106. ſed non ſatis feliciter. In eodem de *Carnibus*, Libro §. XIX. vbi de ſermone ſermo eſt, verba: αὐτὸ δὲ πνεῦμα θύραζε ὠθεόμενον διὰ τὸ κενὸν, ψόφον ποιέει, poſteriora ita ſunt legenda: διὰ τὸ ϛενὸν, ψόφον ποιέει: Notum enim eſt ex Phyſicis, ſpiritum incluſum, dum per anguſtum erumpit ſpatium, ſtrepitum facere, non autem, ſi per inane et vacuum ſpatium permeat. Hanc meam emendationem egregie ipſe confirmat HIPPOCRATES in *Aph.* 51. *Sect.* VII. hiſce quidem verbis: Ψοφεῖ δὲ ὁ ἀὴρ, ὅτι διὰ ϛενȣ ἡ διέξοδος αὐτῷ ἐϛίν. E contrario vero in Libro de *A. A. et L.* §. XLIV. vbi de domibus Scytharum Hamaxobiorum portatilibus, vt ſic loquar, ſermo eſt, verba: ταῦτα δὲ καὶ ϛενὰ πρὸς ὕδωρ, ita legenda eſſe exiſtimo: Ταῦτα καὶ ϛερεὰ πρὸς ὕδωρ, haec enim domus, ſeu hi currus tecti firmati ſunt aduerſus aquarum et imbrium

 impe-

impetus: *inanis contra aquas*, prout antea lectum fuit, inane certe eſt et nullius momenti. Sed mox, inter relegendum, ſuccurrebat mihi, facilius certiusque forte, ſcribendum hic eſſe ϛεγνὰ, hoc eſt, *tecta, cooperta*; quod et poſtea in mentem veniſſe vidi. Cel. HEMSTERHVSIO, ad *Ariſtoph. Plut. pag.* 369. item Cl. HERINGAE, *Obſ. Crit. Cap.* 6. *pag.* 52. de quorum conſenſu gaudeo, occurrit vero haec ipſa vox hoc ſenſu, plus ſemel apud DIOD. SIC. vt *Lib.* XVIII. *pag.* 276. *Tom.* II. vbi vid. Cel. WESSELING. item apud PHILON. IVD. *Lib. quod Mund. ſit incorrupt. pag.* 745. et alibi. Sic HESYCH. Κρησφύγετα, τὰ πρὸς χειμῶνας ϛεγνὰ, vt ibi legendum: pro quo in ſchol. LVCIANI, *pag.* 26. pari, ac hic, confuſione, male legitur ϛενὰ. Vid. rurſus HESYCH. in ϛενὸν, et alibi. Sed haec obiter: imo apud ipſum HIPPOCR. *Lib. de Arte, pag.* 12. ϛεγνότητα, legendum eſt pro ϛενότητα, vt in ipſo Cod. MS. Pariſ. I. deprehendimus, quod et ante nos, dudum quoque in ſuis Codd. inuenerat FOESIVS. Sic et in Libro de *Decenti ornatu* §. II. loco τῦ ὀ διδακτὴ κατασκευὴ, legendum potius arbitror: ὀ διάτακτος κατασκευὴ, i. e. *ornatus, aut apparatus, non adfectatus, et ſupra modum concinnus.* Quanquam et vulgatum ferri poteſt. vid. huc MATTH. *pag.* 49. Ab his autem locis mea ope, credo, nonnihil emendatis, ingentem facio ſaltum (nam mihi properandum ad *Librum Epidemiων ſeptimum extremum*, vbi haec leguntur de PHILOTIMI filio caluariam perdide vulnerato, et hinc HIPPOCRATIS auxilium implorante: Ἑυρὼν κρανίον ὀϛέον ἔρημον ἰητρικῆς· ἐς ἰηχῖνα τὰ κρύφημα ὀχ ὁρῶν ἐϛῶτα. Sed quis, quaeſo, tam felici ſub ſidere natus eſt, vt haec intelligat, prout quidem iacent? et nihilo tamen minus omnes Codd. MSSti, quotquot FOESIO euoluere licuit, hiſce inquinati ſunt monſtris, adeo, vt idem locum hunc habeat pro conclamato et plane ἀνηκέϛῳ. Vtrum igitur antiquitati hoc in paſſu honos erit habendus, et aperta vitia in textum recipienda; an ingenio potius indulgendum, et gangraenae ferro et igno, h. e. audaci aliquantum criſi occurrendum, quis ſodes eſt, qui, ſi ſapit, poſterius ratum non habeat? FOESIVS, vir mihi plane θαυμάσιος tentat quidem ſuum, quod maximum eſt, ingenium; verum timor, de quo ſuperius vterque ſumus

imus conquesti, obstat, quo minus herculea mente Augiae hocce intrauerit stabulum, hincque sordes illae per ipsum tactae quidem, sed non remotae sunt. Tentabo igitur et ego (vide qua sim audacia V. E.) an hic locus veluti cranium PHILOTIMI filii, plane sit ἔρημος ἰητρικῆς ita scilicet legendo: εὗρον κρανίȣ ὀςέον ἔρημον ἰητρικῆς. ἐξήνεγκα seu ἐξενήνοχα (quod Atticum est, et magis respondet τῷ corrupto ἐς ἴηχινα) τὰ τρύφη μὰ ȣ̓χ ὁρῶν σωθέντα: *Abstuli quidem seu extraxi fragmenta laesi cranii XLI. sed eum* (scilic. φιλοτίμȣ παῖδα) *non vidi seruatum fuisse:* Qui enim quaeso ille poterat seruari, cui cranium tam vehementer erat contritum? conferri hic potest omnino liber HIPPOCRATIS *de Capitis Vulneribus*. Quid autem de hac correctione, quae si nihil aliud laudabile, sanum tamen, vt spero, habet sensum, sit sentiendum, TIBI, V. E. et aliis doctis relinquo: quae si ad palatum non fuerit, magnis tamen excidi ausis, vt de Phaetonte NASO quondam cecinit. Sed vt dies diem docet; ita et mihi sensim aliae subnatae hic sunt coniecturae, ista quidem ipsa non deteriores; quin et, nisi fallor, aliquanto meliores ac probabiliores. Legebam scil. εὑρὼν κραν. ὀς. ἔρημον ἰητρικῆς, ἔσω, τὰ τρηχεινὰ κρύφημα, aut κρύφιμα ȣ̓χ ὁρῶν ἑςῶτα, h. e. *asperitates Cranii interius fracti occultas nona videns, quo loco illae essent deprehendendae*, qua de re vid. HIPPOCR. de *Cap. Vuln. pag.* 695. *sqq.* AEGINET. *Lib.* VI. *cap.* 90. et alios, vel legend. hic τὰ τρύχινα, *lacerationes*, eodem sensu: vel denique scribendum τὰ τρίχινα vel τριχία, h. e. *fissurae cranii pilorum ad instar, subtilissimae*, quas inde ῥωγμὰς ςενὰς καὶ τριχοειδεῖς, vocat AEGINETA, item τριχισμὸν, *L.* supra cit. ex quibus coniecturis aut hac ipsa, aut prior, haud prorsus, spero, displicebit. Antea vero in *Obs. crit. L.* IV. *cap.* 3. *pag.* 315. legendum, mihi videbatur, ἀπηχήματα κρύφιμα, etiam haud prorsus male, aut inconuenienter, vt equidem putem. Sed de his nunc satis, imo plus satis.

Sed dum HIPPOCRATEM corrigo, vereor, ne ipse sim corrigendus, quod patientiam Tuam rebus a scopo forsan alienis nimis defatigauerim. Quorsum enim, inquies, haec ista omnia? HIPPOCRATIS exempla admodum esse manca et deprauata, nemo est doctorum,

qui neget, et ipſe ſuper hac re grauiter ſum conqueſtus in *praefationis principio.* Dicam, ſi audire lubet, quapropter iſtud factum: vt ſcilicet probem, MSStis HIPPOCRATIS ſaepe parum habendum eſſe fidei, et ex ingenio cum iudicio combinato plus eſſe petendum auxilii, quam ex iis ipſis, ſint licet Vaticana, Pariſienſia etc. Veneror quidem, vt decet, illorum antiquitatem, ſed prauitatem abſit vt probem et ſequar! Vnde autem illam contraxerint, ſuperius a me fuit expoſitum, quare id hic repetere nolo. Haec, quae hactenus dixi, mihi Palladii loco erunt, vbi ventum fuerit ad ipſos *Epidemiorum libros paſſim a me emendandos.*

Iam de ſtilo HIPPOCRATIS k) et dialecto Ionica in genere, quaedam, TE quidem duce, a me dicentur: *Hippocratem* inquis, V. E. *lingua Ionica ſcripſiſſe, inter omnes conſtat.* Idque quam verum ſit, nemo eſt paullo humanior, qui neſciat. Licet enim Dorienſis fuerit, vt PAETVS l) teſtatur, et AELIANVS (ſunt ſcil. Coi Dorienſes STRABONIS fide *lib.* XIV.) Add. hic MENAG. ad DIOG. LAERT. *Lib.* IX. *Segm.* 42. *pag.* 408. qui tamen ibi, huius Strabonis loci non meminit. mutaſſe tamen ruſticam dialectum dicitur in mollem ſeu Ionicam, idque eodem AELIANO auctore, in DEMOCRITI gratiam, quamuis contra diſſerat aliasque rationes adferat MERCVRIALIS. m) Quum vero dialecti diuerſitas hodie obſeruetur in Codd. HIPPOCRATIS, ita vt nunc Dorice loquatur, nunc Attice diuinus ille ſenex: Eruditorum plurimi arbitrantur, ſcribarum vitio iſtud fuiſſe factum. Etſi igitur illorum incuriae et ſomnolentiae, quae quanta ſit, non ignotum, nullus patrocinor; putarim tamen eos plus peccaſſe in ſenſu turbando, vt ſupra iui probatum; quam dialecto varianda, culpamque huius variationis, ſi qua eſt, in HIPPOCRATEM potius, quam ipſos, eſſe reiiciendam. Scio id multis mirum videri, immo forte morum, aut indecorum: Sed iſti ſibi obſecro temperent, donec mentem meam penitius explicuero. Vt enim hic taceam, dialectos veteribus fuiſſe mixtas, vt BAXTERVS veſtras *ad Anacreontem* notat, quod inferius paullo

k) *De Stilo et dialecto Hipp.*
l) *Epiſt. ad Artaxerx. V. H. IV. XX.*
m) *V. L. II, XVIII.*

paullo attingam, HIPPOCRATES certe nec per naturam fecus potuit fcribere, nec per confuetudinem. Dorica Dialectus ipfi erat ἔμφυτος, vt modo diximus, hinc fieri non poterat, quin, dum Ionice fcribere adfectaret, chorda nonnunquam oberraret Dorica; fero enim animus plane illud dedifcit, quod in iuuentute vegeta didicit, fecundum illud EVRIPIDIS: n) Ἃ δ' ἂν μάθοι τις, ταῦτα σώζεσθαι φιλεῖ πρὸς γῆρας: inprimis, fi nobifcum perpendamus, quam facile viro rerum arduarum copia obruto earumque indagationi intento, verba excidere poffint duriufcula et paullo afperiora. Voces autem Atticas, quas paffim interferit, fructus effe arbitror peregrinationum, quas pro feculi illius more, Medicinae faciendae ergo, in varias Graeciae oras inftituit, quod vel maxime teftatur diuinus ipfius Liber *de Aere, Locis* et *Aquis*, vt ex Antiquis teftatur SORANVS, ex recentioribus AEGIDIVS, MENAGIVS, DANIEL CLERICVS, et ANDR. DACERIVS, Viri elegantiffimi,] item SCHVLZIVS, MEIBOMIVS, SPONIVS, SEPTALIVS, MARTINVS, BARTHOLINVS, aliique, vbi enim viuimus, ibi et linguam, certe voces quasdam et loquendi formulas incolis iftius loci vfitatas, nobis fere infciis, addifcimus et adfcifcimus, inprimis, quum HIPPOCRATI multum interceflerit commercii cum Athenienfibus, a quibus ob fingularia in ipfos merita, divinis plane honoribus affectus et ciuitatis iure fuit donatus, vt videre licet ex *ipfo Athenienfium decreto*, et ex eleganti THESSALI *filii* HIPPOCRATIS *ad ipfos oratione*, item SORANO, quibus addas MEVRSIVM de *Fort. Att. it. Panathenaeis*. Hic autem miror, WINTERTONVM, quem TV, V. E. Graecarum litterarum callentiffimum iure pronuncias, (qui tamen nefcio an multum iuuerit orbem litteratum, quum HIPPOCRATIS Aphorifmos carmine graeco exprimeret vti et SPONIVS, qui pariter HIPPOCR. prognoftica Carmine heroico expreffit, vt alios taceam plures, qui ipfos HIPPOCR. Aphorifmos nunc Graeco nunc Romano Metro incluferunt.) fcribere potuiffe, quod fiue tranfcriptorum Atticorum incuria, fiue Typographorum ofcitantia, multis in locis Dialectus Attica in locum Ionicae irrepferit: quum

n) *Supplic.*

GALENVS *primo* (non *tertio*, vt allegat Cl. CLERICVS) in HIPPOCRATIS *Lib. de Fracturis Commentario*, itemque *loco alio*, a LINDANO adnotato, perſpicue doceat, HIPPOCRATEM dialectum Atticam κατά τι vſurpaſſe, ὡς ἀποφήνασθαι τινὰς αὐτὴν (διάλεκτον) ἀρχαίαν ἀττίδα, quod et idem vlterius probat in *ſua exegeſi Hippocratica*, quicum conferri poteſt EROTIANVS vocibus Διοπῶ, Δειμώδεος, πῦρ et locis aliis bene multis. Sed et hoc erat hic addendum, quod Ionicae Dialecto proprie ſic dictae neceſſe ſit quidam adhaereant Atticiſmi, quum Attici et Iones antiquitus vna eademque eſſent gens, vnaque vterentur dialecto, priuſquam antiqua ſede relicta, Aſiam peterent: qua de re luculentus exſtat locus apud STRABONEM *Lib. Geogr.* VIII. ſub initio, quicum conferas eiusdem *Lib.* IX. itidem haud procul ab initio. Et hoc ſecum perpendere debuiſſet WINTERTONVS; eo enim reſpexit GALENVS verbis mox allegatis, et forte etiam Graecantiſſimus GRONOVIVS in ſuo HERODOTO, quem, vt recte adnotaſti, non ſemper voluit Ionice loqui, prout ſcilicet hodie dialectus Ionica comparata eſt. Nam licet Attica Dialectus priſca cum Ionica maxime, vt modo diximus, conſpiret; ſcripſit tamen DIONYSIVS HALICARNASSEVS, o) illam μικρὰς ἔχειν διαφορὰς παρὰ τὴν Ἰάδα.

Haec, credo, ſufficere poterant ad defendendam mixtam HIPPOCRATIS Dialectum. Verum alia adhuc reſtat ratio iſtius ſtili varietatis, quae cum certior ſit his, quae modo allegaui, minime licet flocci pendendis; ita miror, eam eruditorum, qui de HIPPOCRATIS ſtilo aliqua diſſeruere, nulli in mentem veniſſe, quum tamen illa in aprico ſit. Conſtat nimirum, cum ex EROTIANO p) atque GALENO, tum BACCHIO inprimis, qui vtramque fere paginam facit in EROTIANI *Gloſſario*, HIPPOCRATEM veteres poëtas v. g. HOMERVM, AESCHYLVM, SOPHOCLEM, EVRIPIDEM, alioſque non modo ſedulo legiſſe; ſed et ſtilum ſuum ad illorum normam efformaſſe: Inprimis tamen HOMERVS, poëtarum parens et Rex, HIPPOCRATI in deliciis fuiſſe videtur, pro more ſcilicet illorum temporum, quo tam grande nefas erat HOMERVM non legiſſe, quam noſtra aetate

o) *Iudic. de Thucyd. Hiſt. p.* 147. p) *Stilus Hipp. eſt Homericus ſ. Poeticus.*

te Biblia (si magna et sacra liceat componere paruis et profanis,) neglexisse: nisi forsan et haec fuerit ratio, quod non pauca haberet HOMERVS ad Medicinam, et maxime ad traumatologiam spectantia, vt PLVTARCHVS, Autor Vitae HOMERI, PLATO, EVSTATHIVS, GALENVS, AELIANVS, PLINIVS, CELSVS, AVRELIANVS, et alii recentiores testantur. Qua de re ipse quoque multa obseruaui alibi, non enim solum versum ex isto allegat duobus in locis, licet is in nostris HOMERI [q]) editionibus, FOESIO Autore, et MARSILIO CAGNATO, *Lib.* II. *Var. Obs. cap.* 19. haud amplius legatur, et quasdam etiam sententias ex eo mutuatur, in *Lib. de Morb.* IV. *de Humoribus, Epidemiorum Vto etc.* inprimis autem *Lib.* III. *de Morb.* §. 30. conf. HOMER. *Odyss.* I, 209. item in *Lege*, 7. *collat.* cum HOMER. *Od. T.* 547. vbi vid. FOES. in *Oecon. pag.* 328. porro *Lib. de Foetus Exsect.* II, *collat.* cum CASAVBON. ad *Athen. Lib.* X. *cap.* 6. *pag.* 717. add. praesertim Celeb. SCHVLZII *Histor. Med. pag.* 281. et laudat. FOES. in *Oecon.* multis locis. Sed et voces ipsi vsitatas, constructiones singulares, casuum modorumque enallagen, peculiarem particularum vsum etc. crebro hinc inde adhibet, ita, vt rectissime scribat EROTIANVS: [r])

Ἱπποκράτης γέγονεν ἀνὴρ ὁμηρικὸς τὴν φράσιν κ. λ.

quod et postmodum in ipso Lexico perspicue, vt iam dixi, docet, quale et GALENVS fecit. Bene quoque obseruante SCHVLZIO, loco supra laudato. Sed infinita propemodum lectionis et imitationis Homericae exempla et vestigia deprehendit in HIPPOCRATE, vbivis fere, is, quem modo testem citaui, FOESIVS, ceu ex singulis paene paginis ipsius oeconomiae laudatissimae, vberrime patet. Conf. cl. MATTH. *Prolegom. ad Lib.* HIPPOCR. *de Honestat. pag.* 36. Iam vero doctis est notum, priscos poëtas, et HOMERVM maxime, omnium, qui extant, antiquissimum, non vna tantum; sed omnibus coniunctim dialectis fuisse vsum. Sic enim Autor vitae Homericae, qui siue PLVTARCHVS sit, siue DIONYSIVS HALICARNASSEVS, parum hic sciuisse refert, de HOMERI stylo; Λέξει δὲ ποικίλῃ κεχρημένος

q) *De Artic.* §. *VI. et Vectiar.* §. *IIX.*

r) *in Praef.*

μένος (ὅμηρος) τοὺς ἀπὸ πάσης διαλέκτου τῶν ἑλλήνων χαρακτῆρας ἐγκατέμιξεν, quod et in ſequentibus, multis exemplis ex HOMERO ipſo petitis, fuſius demonſtrat: huic addi meretur TYRIVS MAXIMVS in HOMERI lectione verſatiſſimus, qui hunc in modum de HOMERI dialecto diſſeruit: s) οὔτε δὲ ἰωνικὴν ταύτην (ποιητικὴν) ἐθελῆσαι εἶναι αὐτῷ, οὔτε ἀκριβῶς δώριον, οὔτε ἀττικήν, ἀλλὰ κοινὴν τῆς ἑλλάδος, et reliqua, quae ſequuntur lectu haud indigna. Quid ergo mirum, ſi HIPPOCRATES, quum eſſet φιλόμηρος, ſtilum poëticum, certe dialectum mixtam poëtarum plurimis familiarem, in ſcriptis ſuis adhibuit, ita tamen, vt *Ionica princeps* eſſet? de quo infra. Hinc deſinat GALENVS accuſare in HIPPOCRATE τὸ σολοικοφανὲς; haud amplius miretur ZVINGERVS frequentem HIPPOCRATI ſynchyſin, caſuum, generum et modorum enallagen, ſtilique praeterea inaequalitatem; non putet OPSOPOEVS, interpretes et ſcribas HIPPOCRATIS ſtilum deprauaſſe, mixtamque hinc dialectum loco Ionicae ſcriptis ipſius intuliſſe: et tandem WINTERTONVS pios tranſcriptorum Atticorum manes fruſtra ſollicitare nolit! Secus enim forſan non ſcripſit HIPPOCRATES, nec voluit ſcribere, quam ſcriptum eſt. Sed haec de HIPPOCRATIS dialecto, de qua GALENVS ſingularem libellum compoſuit, quem allegat *primo in Hippocratis fracturas Commentario*, ſed, quod dolendum, hodie deperditum. Forte is idem ibi dixit, quod ego hic: interim nil refert, ſi aliud quoque. t) Profecto enim parum, immo nihil, vt ſcapham ſcapham dicam, autores graecos adiuuamus, vbi de reſtituenda dialecto nimium laboramus: quem enim quaeſo in finem is ſuſcipiatur labor ſatis moleſtus? Legimus ſane eos, vt intelligamus, non vt graece ſcribere ex iis diſcamus; vtut igitur ſiue Ionice pure, ſiue Dorice, Attice et Ionice ſimul ſcriptum ſit, quis illud curet aut requirat? Diſpiciendum potius erat de vitiis, quae ſenſum turbant, eradicandis: modo is ſit ſanus; dialectus ipſa aegrotet quaſi, aut male habeat!

Verum

s) *Diſſ. XVI.*

t) *Vanus circa dialecti reſtitutionem labor.*

Verum [u]) ſuperſunt mihi adhuc aliqua de reliquis Auctoribus, Ionicis aeque ac aliis, in quibus ſimilis Dialectorum, vt ais, confuſio obſeruari ſolet, cuius ex alio certe capite deducenda eſt ratio. Hoc autem breuiſſimis καὶ ὡς ἐν παρόδῳ fiat, quia animus ad HIPPOCRATEM redire ardet. Suppono ſcilicet, ceu rem eruditis notiſſimam, Veteres vel εὐστομίας, quod elegantiſſimus BAXTERVS putat ſupra mihi laudatus, vel et oſtentationis gratia, dialectos miſcuiſſe, ita tamen, vt dialecti illius, qua potiſſimum voluerunt inclareſcere, frequentior vſus prae reliquis dialectis ſparſim hinc inde interiectis emineret, vnde et nomen ſcriptoris nunc Ionici, Attici etc. ſortiti ſunt. Sumamus igitur duos praeſertim poëtas (eos enim libentius cito, quod ii ſtili venuſtatem quam maxime ſint ſectati) vnum ANACREONTEM, mollem et delicatum h. e. Ionicum, alterum ex aduerſo THEOCRITVM ſubruſticum et Doricum. De priori SVIDAS aliique priſci autores perhibent, quod omnia ſcripſerit dialecto Ionica: idque verum eſt τὸ πλεῖστον, non vero τὸ πᾶν. Si enim ipſum euoluamus, ſtatim patet, eum non ſolum creberrime Doricis cecиниſſe fidibus; ſed et aliquoties (HIPPARCHI forte in gratiam, cum quo familiariter aliquamdiu Athenis vixerat, teſte PLATONE in *Hipparcho* et PAVSANIA *Atticis* de quo plura veſter BARNESIVS, in ipſa ANACREONTIS *Vita pag.* 68. et in adiectis ipſi poëtae Notis, paſſim, et frequentius,) Attica vſum fuiſſe dialecto. THEOCRITVS ex altera parte licet vbique fere Doricam vſurpet dialectum, non quidem antiquam illam aſperam; ſed recentiorem et paullo mitiorem, Ionicas tamen Veneres ſaepiſſime interſerit et praecipue in *Eidyllio* XII. quod, teſte ipſo ſcholiaſte, totum fere eſt Ionicum: immo vetus quidam Auctor *Aldinae* THEOCRITI *editioni* praefixus et a ſumme Reu. FABRICIO in *Bibliotheca Graeca Lib.* III. *cap.* 17. *pag.* 430. allegatus, aperte ſcribit: κέχρηται Ἰάδι διαλέκτῳ καὶ Δωρίδι τῇ νέᾳ κ. λ. Plura hic iam non addam: idem enim obſeruare licet in PINDARO maxime Dorico, idem

u) *Obiter quaedam de dialectorum commiſtione apud veteres.*

idem in ARISTOPHANE maxime Attico, et in reliquis, qui peculiari quadam dialecto vſi dicuntur, ſiue ſint proſaici, ſiue metrici.

Falluntur ergo, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, immane quantum omnes ii, qui, quum ſciant, hunc v. g. Ionice ſcripſiſſe, illud ita interpretantur, quaſi ille auctor nulla vocula vſus ſit alia, quam Ionica, vt credidit TAN. FABER, vir alias feſtiuiſſimi ingenii, in ANACREONTE, dum SVIDAE verba nimis ſtricte ſumeret, et hinc omnia illa odaria Dorico ſale condita pro ſpuriis haberet, ſed ab ipſa doctiſſima ſua filia hac de re confutatus: Sic et BARNESIVS veſter graece doctiſſimus non immerito traducitur a BAXTERO (vtrique ſunt celebres ANACREONTIS editores) eandem ob cauſſam, vbi enim in ANACREONTE vocula Dorica occurrit, aut caſus Atticus; ibi is ſua autoritate et auſu, vocem ſubſtituit Ionicam, quaſi rem belle geſſiſſet, et ex eruditorum Voto. Veriſſimum potius eſt et elegantiſſimum AEMILII PORTI iudicium ſuper HERODOTO a TE V. E. allegatum, quippe quod ad omnes omnino autores graecos reſtringi debet, cui ego bina ſaltim verba addam ex ſummi CASAVBONI *Lectionibus Theocriticis*, quae et meum, ſi neceſſe, defendere poſſent HIPPOCRATEM: ſic autem ille *Cap.* II. *p. m.* 27. vbi de canone linguae Doricae: „Meminerint tamen tirones, non ſemper huic canoni eſſe locum in ſcriptis τῶν δωριαζόντων: idemque ſentiendum de ceteris omnibus, quae huic dialecto propria eſſe dicuntur. Simile poteſt obſeruari in HERODOTI et HIPPOCRATIS τῶν ἰαζόντων ſcriptis.

Sed maius, quam volui, occupauit ſpatium mea de dialecto HIPPOCRATIS commentatio, cui tamen non video, commode quid detraham, immo cur non plura addam. Hinc iam ad ipſos *Epidemiorum libros* accedamus, ſi lubet, immo accurramus! In limine ſtatim quaedam erant monenda cum de numero, tum de ſubſcriptionibus illorum.

Septem, vt notum, [x]) *Epidemiorum* numerantur *libri:* Ex his *primum* et *tertium* pro genuinis habet GALENVS, ceteros fere tanquam ſpurios reiiciens: *Sextum* tamen immo et *ſecundum* item *quartum* ex parte,

x) *De libb. Epidem. numero.*

te, ab HIPPOCRATE quidem ſcriptos, ſed ad priuatum tantum vſum; a THESSALO vero aliisque poſt eum, interpolatos editos: *Quintum* et *ſeptimum* putat ἐναργῶς εἶναι νόθα, vt ipſius allegem verba ex *comment. in Epid.* VI. quem et praeſertim vid. *Lib.* III. *de Reſpiratione difficili,* init. *pag.* 187. *Tom.* III. *Opper. Graec.* Praecipue autem *Septimus* tam iratos ſibi habuit eruditos, vt FOESIVS haud dubitet ſcribere, *eum omni et cauſſa et ſententia apud idoneos rerum aeſtimatores cecidiſſe, ac ne eius quidem rationem habere licere iudicatum eſſe.* Huic GALENI de Epidemiorum libris iudicio ſeu commento, poſtea Eruditi aceruatim cateruatimque ſubſcripſere (nam ex tripode dictum erat ſcilicet) nulla licet EROTIANI habita ratione, qui quum longe ſit antiquior ipſo GALENO, vt ſolide demonſtrauit Cl. CLERICVS, licet hic contradicat MARSIL. CAGNATVS, *Erotianum* ignotum Nomen vocans, *Variar. Obſſ. L.* II. *cap.* 28. *pag.* 190. quem tamen recte ideo confutat ſummus FABRICIVS, *Bibl. Graec. Lib.* IV. *Part.* II. *cap.* 36. *pag.* 573. omnes ſeptem, non ſex, vt idem Cl. Vir ſcripſit, Epidemiων libros HIPPOCRATI tribuere nullus veretur. Si enim ſtilum examinemus, qui, licet contradicant ZVINGERVS et OPSOPOEVS, in HIPPOCRATE vtique obſeruari debet, quum peculiaris, et, vt ita loquar, fere *Lipſianus* aut SENECAE ad inſtar, conciſus et fractus quaſi ſit: in his Epidemiorum libris eius vbique adparebit aequalitas, niſi *Sextum* y) velis excipere: is enim adeo diſcrepat a reliquis, vt, niſi alius plane illius ſit autor, quod fortaſſe concederem, ſi quis id adſtrueret; aut data opera obſcure ſit ſcriptus, aut certe, quod potius crediderim, mirum deprauatus, ad nos peruenerit: quot enim verba, tot fere aenigmata et oracula vbique legas, hinc ZEVXIS atque HERACLIDES, et ante eos BACCHIVS et GLAVCIAS, teſte ipſo GALENO, in hunc librum perquam obſcurum fuere commentati; nec eſt, quod idem adeo conqueratur de multis aliis interpretibus, qui huncce librum multa mutando explicare auſi fuerunt, nam certe indigebat ille manu, vt ita dicam, crudeli et armata: quid quod idem GALENVS non diffitetur τὸ τῆς ἑρμηνείας εἶδος ἐν τῷδε τῷ βιβλίῳ παμπόλυ διαλλάττειν

 τοῦ

y) *Sextus Epid. obſcuriſſimus.*

τῦ κατὰ τὸ πρῶτον καὶ τρίτον τῶν ἐπιδημιῶν. Quis vero, z) vt ad pensum nostrum reuertamur, quis inquam GALENVM quaeso docuit, Primum et Tertium Epidemiorum libros, quos vtique, immo prae reliquis, magni censeo faciendos, solos ab HIPPOCRATE fuisse scriptos πρὸς ἔκδοσιν, vt ederentur, ceteros autem ad ὑπόμνησιν tantum, seu priuatae memoriae priuatique vsus gratia? quum fas sit potius adserere, omnes scriptos esse πρὸς ὑπόμνησιν, seu contineri in iis ἀξιομνημόνευτα conciso stilo, vt fieri solet, consignata. Vnde nouit *Quinti* autorem DRACONEM, *Septimi* vero, in quo, vt id obiter hic inseram, febrium historia eleganter pertractatur, longe iuniorem esse? Respondet ille: σχεδὸν ἅπαντες ἡγῦνται, πᾶσι δοκεῖ, φασὶ, omnes propemodum putant, dicunt, aiunt, ferunt etc. Sed qui illi sunt omnes, qui illud putant, qui dicunt? et cur id dicunt? altum hic silentium; dixisse sufficiat; mihi autem non sufficit. Nam non omnes ita existimasse, vox σχεδὸν videtur subindicare, quin et ipse memoriae prodidit de Secundi et Sexti autore, quem THESSALVM esse credit, non inter omnes olim conuenisse: de Quinto, et CELSO et AVRELIANO, item PLVTARCHO, ipso GALENO antiquioribus, allegato, et ad quem etiam respexisse videtur QVINCTILIANVS, ipse FOESIVS magnus alioqui GALENI admirator, fatetur, *Galenum in eum duriter fuisse animatum, licet illum accurate legerit et plurima ad doctrinae suae confirmationem exempla ex eo depromserit.* Inprimis, quum in eo manifestum illud et praclarum testimonium, de corp. human. Anatome Hipp. de quo vid. MARSIL. CAGNAT. *Var. Obss.* IV, 10. et *Diss. nost. de Anat. Hipp.* Idque forte etiam de aliis erit iudicandum. Nam ipse HIPPOCRATES disertis verbis hunc librum Quintum ceu *suum* citat *libello de insania*, quem nemo, credo, derogabit HIPPOCRATI, nisi quis incomparabilem de *Sacro Morbo* Tractatum ibi allegatum, HIPPOCRATIS non esse dixerit, sed potius PHILOTIMI cuiusdam, quod tamen nec EROTIANVS fecit, nec GALENVS, nec alius, quod sciam, Autor fide dignus: nisi exceperis MERCVRIALEM in Censura *Opp. Hipp.* sed saepius ipsa seuera censura digna. Imo ipse

CAELIVS

z) *Galeni de iis iudicium est suspectum.*

CAELIVS AVEL. *Lib.* I. *de Morb. Chron. Cap.* 4. *pag.* 319. manifesto ipsi HIPPOCRATI hunc Librum adiudicat; et IVL. CAES. SCALIGER, at quantus Vir! in *Comment. ad Libr. Hipp. de Insomniis.* ne quidem dubitat, illum germanum esse HIPPOCR. foetum, omitto iam lubens alia plura: Sed conf. huc maxime IAC. SPONIVS, in doctissima praefat. nouis suis Aphorismis Hippocraticis praemissa. item LIMOLIVS, in iusto *iudicio operum Hippocratis*; vt et nouissime Cl. MATTHIAE, in *Epilegom.* ad HIPPOCR. *Lib. de Decent. Ornat.* vastis Commentariis circumfusum, *pag.* 202. Sed placeat sibi GALENVS, placeat ille aliis! praesertim LABBEO, ego tanto scriptori nil laudis detraxerim: Licebit tamen dubitare, vbi rationes deficiunt, quae dubium eximant, vt pauca in praesenti de hac re dicam, apparet ipsum GALENVM sui, vt saepe solet, oblitum, omnes hos VII. *Epid. libros* pro genuinis HIPPOCR. libris habuisse. Allegat enim II. in *Glossario Hipp.* voce κατάστημα, et στομάργε, allegat quoque illum, teste eodem GALENO, DIOSCORIDES, voce ὕδρωψ, item ipse EROTIANVS voce ἀρχαίη φύσις: IV. *Epid.* meminit GALENVS voce σπόγγοι; Vti sub titulo ἐγγαστρίμυθος et ἀθήρ. De VIto nil opus est dicere, quum in ipsum commentatus sit, et pro HIPPOCRATIS ex parte, foetu habeat GALENVS, vt supra dictum: citat quoque eundem sub HIPP. nomine HESYCHIVS, v. Ἀμφιμήτριον, item PHAVORINVS, et bis PLVTARCHVS. *VIImum* autem septimum illum infelicem *Epidem. Librum* citat tacite vocibus ἀκροπὶς item ἐγγαστρίμυθος. Adeo, vt nec audiendus sit MERCVRIALIS, in sua *Hipp. Censura.* Verum de hac re alibi ex instituto plura: nempe in *Specimine* nostro *Hippocr.* 1728. *Lugd. Bat.* edito. vbi Spreto MERCVRIALI rectius tutiusque sequuti sumus LEMOSIVM ac SPONIVM. Sed SCHVLZIVS hic admodum dubius est. Ceterum *Lib. illum* VII, *Epidem.* HIPPOCRATI etiam recte tribuit HESYCHIVS, voce Αἰών. item EROTIANVS, sub eadem voce.

Venio ad Subscriptiones: [a]) Hae sunt vel *signatae* vel *significatae:* vtraeque in *Tertio* in primis Epidemiorum libro inueniuntur; sed vtrasque

a) *De Subscriptionibus.*

que ab aliena esse manu, nullum est dubium, nec ipse GALENVS b) dubitat. Priorum seu characterum auctor habetur MNEMON quidam SIDITES, homo vafer et δολομήτης, qui, vt PTOLEMAEVM illum EVERGETEN (seu potius PHILADELPHVM c) parentem huius, vt adserit HEVRNIVS et LANGIVS, *) de quo omnes Auctores alii id referunt, quod hic GALENVS de EVERGETE, v. g. coemtionem AESCHYLI, SOPHOCLIS et EVRIPIDIS Tragoediarum αὐτογράφων etc. etc. ab Atheniensibus, quod nec ipse Cl. CLERICVS d) negat) permagno pretio veteres vndique libros conquirentem, argento probe emungeret, Tertium hunc Epidemiorum HIPPOCRATIS, (non vniuersa huius opera, vt Cl. CLERICVS scribit,) ex magna Bibliotheca Alexandrina petiisse dicitur, cui simili atramento similibusque litteris illos alleuit characteres, vt vnam cum ipso codice aetatem habere, et sic satis antiqui viderentur, adserens, se solum illum esse felicem Oedipum, qui illa aenigmata, dato praemio tanto Rege digno, soluere posset et dilucidare. Sunt qui aliter sentiunt, vt videre est apud GALENVM, e) qui fusius de hac historia, quam ex ZEVXI, vetere Scriptorum HIPPOCRATIS interprete, non XERXE, vt LOMEIERVS scribit atque LANGIVS f) *loc. sup. cit. pag.* 501. (cur non Nebucadnezare potius? si nempe hic iocari liceat,) descripsit, conferri potest Cl. CLERICVS, **) qui eandem ex GALENO breuiter exhibet. Conf. FABRICII *Bibl. Graec. L.* II. *cap.* 24. *pag.* 857. Miror vero hoc Mnemonis facinus latuisse FOESIVM: Nam scribit *Characteres illos a quodam artis Medicae studioso videri appositos.* Quod ad posteriores seu significatas; autorem quidem GALENVS non nominat; videntur tamen eae, ex eiusdem opinione, a quopiam, memoriae ergo, ad marginem fuisse scriptae, postea vero in ipsum forte textum temere receptae, vt saepius accidit in antiquis Codd. quod probatione non indiget. Quia multis iam luculentis exemplis praeclare ostensum a celeb. IO. CLERICO, in doctissimo et vtilissimo de *Arte Critica,* opere.

Pru-

b) *dolus Mnemonis memorabilis.*
c) *Orat. de Med.*
*) *Epist. II,* 3. *p.* 500.
d) *Hist. Med. p. II. l.* 3. *c.* 30.
e) *In III. Epid. comment. II.*
f) *de Bibl. c. V.*
**) *Hist. Med. p. II. l.* 1. *c.* 7.

Prudenter ergo fecisti V. E. quod nitidissimum Tuum librum his sordibus non foedasti, nec pannos illos purpurae Hippocrateae adsuisti. Vnum Ὀξὺ *lib.* 2. *S.* 2, 6. TE minus aduertente, in textum irrepsisse, conquestus es, cui, vt ego obseruaui, accedat τὸ κυναγχικὴ *lib. eodem S.* 1. *aeg.* 7. quod quin superuacuum sit, nec ipse dubitabis, hinc et CAPITO iam olim illud expunxit, quem hac quidem in parte immerito reprehendit GALENVS.

Hem! tempus est, g) ipsos iam Epidemiorum libros euoluamus, quae monere vel emendare visa sunt, ingenue nec sine ratione relaturi. Quid me impulerit, vt tale quid susciperem, superius declaraui; crambem non recoquam: Sed age! aperiamus si lubet, legamus!

In *Libro Epidemiων Primo Sect.* 1. §. 2. *Edit. Tuae* (ὑποφθειρομένων.) Licet haud improbem hanc lectionem, malim tamen ὑποφθινομένων, quod melius respondet τῷ φθινώδεες κατεκλίθησαν, qui paullatim tabescere inceperant, tandem temporis processu, tabe penitus correpti decumbebant. LINDANVS iam ita legit, vt vidi, et ipse FOESIVS ita legisse videtur, dum per *consumti* reddit, qui simul testatur, plura Exemplaria MSSta habere ὑποφερομένων. Ex qua diuersitate vel meae, aut si mauis, LINDANI lectioni quoddam quasi fulcimentum substernitur. Imo, mutata nunc merito, sententia, illud ὑποφερομένων, quod et ego ipse in vno MSt. Paris. vetustissimo deprehendi, vnice verum et germanum esse pronuncio. Ita enim rursus Noster infra *Lib.* III. *Epid. pag.* 739. Ἀπολλώνιος ὑποφέρετο χρόνον πουλύν, et aliquoties sic etiam alibi, vt FOESIVS in *Oecon. Obseruauit.* Est vero τὸ ὑποφερόμενον, *quidquid labascit, aut titubat, nec firmiter nixum est; sed pessum ire videtur*, optime sic vocem interpretante BVDAEO, *Comment. Graec. Ling. pag.* 526. *sq.* quod plurimis ibi exemplis, praesertim ex ARISTOTELE petitis luculentius probat. ὑποφερόμενοι igitur hic sunt *homines iam dudum intus tacite languentes, quorumque ambigna valetudo a longo iam tempore vacillat et in proximam ruinam inclinat*: sensu optimo.

§. II. *pag.* 17. Ὁ ἰητρὸς ὁ ἰητρὸς ὑπηρέτης) ingrata repetitio τοῦ ἰητροῦ, quis non videt posterius hic παρέλκειν; Ipse GALENVS omisit, quod

g) *Emendationes in Libb. Epid. I. et III. variae.*

quod miror a ſolertiſſimo FOESIO non adnotatum. Placet praeterea eorum Codd. lectio, qui loco τȣ͂ τέχνης, φύσεως ὑπηρέτης exhibent, vt GALENVS teſtatur: Id enim HIPPOCRATIS menti quam maxime accommodatum eſt, vtpote qui tantum non vbique Naturae h. e. *motibus corporis animati mechanici ſpontaneis* tantas morbos profligandi ſuumque corpus conſeruandi adſcribit vires, vt medicus ipſi adaequatis inſtrumentis h. e. ſtilo HIPPOCRATIS, remediis ſuccurrere debeat tunc demum, vbi ipſa nimium defatigata morborum impetui impar eſt: Quo certe reſpectu Medicus iure vocatur Naturae auxiliator aut moderator, συνεργὸς καὶ ὑπηρέτης, vt ipſe HIPPOCR. ap. GALEN. ait. Differt autem vtique ſenſus, quod contra eundem noto GALENVM, ſi φύσεως legamus loco Τέχνης, qui artis in ſe ſpectatae imbecillitatem, inconſtantiam et varietatem, reſpiciat, et veram Naturae eſſentiam efficaciam, conſtantiam, et perpetuum modum motumque in conſeruationem ſui corporis animati vnice ſemper directum: quod probe notet hic KINGIVS. Immo, ſi verum velimus fateri, Medicus rectius dici poteſt artis dominus, quam ſeruus, ſed non aeque Naturae, niſi tyrannus audire cupiat: quod perquam egregie ſolideque oſtendit Vir ſupra omnes laudes poſitus, HERMANN. inquam BOERHAAVE, in *Oratione* grauiſſima et prorſus diuina, *de Honore Medici, Seruitute*, item in altera, *de Studio Hippocratico:* de qua vid. FABRICII *Bibl. Graec. Tom.* XIII. *pag.* 246. Ceterum, quum tam diuerſae de HIPPOCRATIS h) Natura a me obſeruarentur opiniones: viſum eſt mihi, de genuino illius Naturae ſenſu libellum componere, qui nuper quoque typis fuit exſcriptus: ſub Tit. ſcilicet HIPPOCRATES *Atheiſmi falſo accuſatus*, 1719. vbi vid. *pag.* 19. *ſqq.* et praeſertim, *pag.* 24. *ſqq.* vbi de ipſa humana Natura accurate tractatur.

§. 14. *p.* 20. αἱμοῤῥαγίαι) Hoc magis Hippocrateum cenſeo, quam illud αἱμοῤῥαγῆσαι ἐγένετο, quod FOES. LINDANVS, et cod. Hippocr. Froben. (qui tamen illud ἐγένετο, omiſit) exhibent. *Alia exemplaria*, ſcribit FOES. in Not. *cum Galeno* οἷσι μὴ αἱμοῤῥάγει *habent:*

h) *De Naturae Hippocr. Auctoris Commentarius.*

bent: Verum meus GALENVS, Basileensis, etiam τὸ αἱμοῤῥαγίαι repraesentat. Sed hoc leue.

§. 19. *p.* 30. Τὸ post verba ἅμα κρίσει, ἐπεῤῥίγευ, interpretamentum esse puto, nam abhorret fere a breuitate HIPPOCRATI solita, nec id GALENVS habet, nec FOESIVS, licet is GALENI lectionem, vt saepe solet, non adnotauerit, nec Cod. FROBEN. denique. Haec satis pro mea coniectura.

§. 22. *p.* 35. Περιεστηκὸς.) De hac voce aliquid iam dixisti V. E. in doctissima *praefatione f.* 24. dicam hic de ea etiam pace Tua, aliquid. Mirum hic variant libri, nunc περιεστικὸν vel περιεστηκὸν, nunc vero περιεκτικὸν exhibentes. Priores lectiones nihil moror, nam vix possunt defendi: de περιεκτικῷ vero mitius sentiunt; [i]) immo illud adeo adprobant IOSEPHVS SCALIGER et IOANNES OPSOPOEVS Viri graece doctissimi. Nituntur hi EROTIANI inprimis auctoritate, qui περιεκτικὸν exponit per σωτήριον, quod ab HIPPOCRATIS mente alienum non est: Sed mendosum hunc EROTIANI locum suspicatur FOESIVS, contendens, EROTIANVM vel περιεστηκὸς legisse, vel περιεστικῶν. Illi HESYCHIVM quoque allegant, qui περιεκτικὸν per ὑπερέχον reddidit, et περιεκτικῶς, per περιειλημμένως, nec inelegans est OPSOPOEI huius explicationis ad HIPPOCRATIS loca adplicatio: Id ipsum autem Hesychianum ὑπερέχον hic adhibet ad destruendum περιεκτικὸν EROTIANEVM, dum ad diuersas explicationes respicit. Ego inter hos heroas iudex sedere nec volo, nec valeo: id tantum dicam, quod HIPPOCRATES nonnunquam sensum vocabulorum receptum mutet, iisque talem in adplicatione attribuat, quem proprie non habent, nec commode habere possunt, idque iterum poëtas, nisi fallor, redolet, quos HIPPOCRATEM sedulo legisse, superius demonstraui. Hoc quod dixi, GALENVS passim testatur, praecipue vero in *glossario*, quod, vt ipse in *praefatione* eiusdem ait, non obsoletas modo voces continet, ἀλλὰ καὶ ὅσα ὀνόματα κατά τινα τρόπον ἴδιον αὐτὸς ἐποίησεν ὁ Ἱπποκράτης, ἢ μετενέγκων ἀπὸ τοῦ συνήθους, ἢ σχῆμα περιθεὶς

i) *Vid. Opsop. comment. in Hipp. prognost. pag.* 593. *seqq.*

περιθεὶς ἕτερον, ἢ τὸ σημαῖνον ὑπαλλάξας, quibus addas EROTIANVM itidem in *Prooemio*, et in ipſo *Lexico* plurimis fere paginis. Nunc, vt ad praeſentem redeamus locum, legamus ſiue περιεκτικὸν ſiue περιεστηκὸς, neutrum ſane proprie id ſignificat, quod apud HIPPOCRATEM valet, puta σωτήριον ἢ ἀκίνδυνον: immo, ſi verum velimus fateri, τὸ περιεκτικὸν, vel proprie ſumtum, et ſicut ab HESYCHIO ſupra fuit explicatum, magis huc pertinet, quam τὸ περιεστηκὸς, contradicente licet FOESIO: Illud enim τὸ ὑπερέχον ſignificat *ſuperans, vincens, validius*, quod iure τῷ θανατώδει *ſumme periculoſo*, opponi poteſt, hoc vero non aeque, vt ex Lexicis notum. Aut igitur FOESIVS vtrasque voces tam περιεκτικὸν, quam περιεστηκὸς reiicere debebat, aut nullam, nam vtraeque peregrinum fere, vt dixi, ſortiuntur ſenſum. Eligat per me licet, quodcunque horum aliquis malit: parum enim aberrabit. Quum tamen aliquot Codd. MSSti magnae, teſte FOESIO, fidei referant τὸ περιεστηκὸς; ipſeque praeterea GALENVS in omnibus fere, teſte OPSOPOEO, locis Hippocraticis, vbi vox illa occurrit, eodem modo legat: mallem illud cum AEMILIO PORTO adprobare, quam cum OPSOPOEO in omnibus illis locis τὸ περιεκτικὸν EROTIANEVM paullo audacius recipere, etſi fatendum eſt, περιεκτικῶς διακεῖσθαι eſſe *extra periculum conſtitui et ſaluum euadere* apud noſtrum HIPPOCR. in *Prognoſt.* §. XXIV. Secus enim legi non poteſt, vt probat OPSOP. qui ſane locus facit, vt dubitem, quam in partem magis propendeam; inprimis, ſi et reliqua conſiderem loca ob OPSOPOEO quidem omiſſa: Sic *lib. cit.* §. XVIII. ὑπηρετῆται δὲ περιεκτικῶς ὑπὸ τῶν λοιπῶν πάντων τῶν περιεκτικῶν σημείων: item *libro praedict.* II. §. XII. ὅστις μὲν γὰρ ταῦτα πάντα ἔχει, περιεκτικώτατος γίνεται, vt taceam alia paſſim in his *ipſis libris ſemioticis* in hunc ſenſum occurrentia. Nuperrime vero aliam emendandi iam ingreſſus eſt cl. HERINGA, in *Obſ. Crit. cap.* I. *pag.* 9. legendo ſcil. περιεστικόν, a περιεῖναι, *ſupereſſe.* Sed haud ſatis ſcio, an ab iſto quidem verbo commode deduci poſſit τὸ περιεστικόν, praeſertim vero περιεστικῶς, aut περιεστικώτατος. Certe dubium ſemper hic remanet haud leue. Quum igitur τὸ περιεκτικὸν, et περιεκτικῶς, ſeſe EROTIANI et HESYCHII auctoritate ſatis valide tueatur,

prae-

praetereaque accedat SCALIGERI summi Viri, nec non OPSOPOEI, assensus et approbatio; malim tantisper tantos duces hic sequi; donec quis me meliora certioraque docuerit. Conf. SALMAS. ad *Epict. et Simpl. pag.* 130. *sqq.* et *pag.* 302. item GATAKER. ad *M. Ant.* VI. *pag.* 176. Sed satis de hoc; multum potius quam aliquid dixi, et dum notulas scribo, fere commentarium confeci. Vnum adhuc monebo: τὸ περιεστηκὸς non *Vnus* modo CHARTERIVS in hoc Epidem. libro exhibuit, sed iam ante eum, GALENVS in sua horum librorum Collectione.

§. 24. ἀπὸ κλυσματίου καλῶς διῆλθε.) Est hic quod notem in versione: *Ex alui dilutione meliuscule habuit*, plerumque vertitur. Verum, si ita velimus interpretari hunc locum, necesse est loco τοῦ διῆλθε, legamus διῆγε, quod etiam est Hippocratem, vt ἀνόσως διῆγεν, δυσφόρως διάγουσιν, διῆγον ἐπινόσως, διῆγον ὑγιηρῶς etc. quae partim supra occurrebant, et saepius in his libris leguntur. Sed haec lectio minus licet coacta, minus tamen hoc loco congrua, seu verius, necessaria est. Ἀπὸ κλυσματίου καλῶς διῆλθε, est: *a clysmate bene seu apte processere* scil. τὰ κόπρανα, *excrementa*, vt tota phrasis mox legitur §. 25. *pag.* 39. §. 34. *pag.* 53. *et infr. lib.* III. §. 3. *pag.* 64. *et alibi* quoque: Sic mox in hoc ipso §. 24. *pag.* 37. φυσώδεα σμικρὰ διῆλθε, et sequenti §. 25. *pag.* 38. κατακορέα πολλὰ διῆλθεν, item ἀπὸ κοιλίης οὐδὲν διῆλθεν, §. 26. ἀπὸ κοιλίης ὀλίγα μέλανα διῆλθε: sic et infra §. 30. ἀπὸ κοιλίης καλῶς διῆλθε sc. διαχωρήματα, quod mox sequitur, vti tota phrasis legitur §. 37. porro *lib.* III. §. 24. *pag.* 100. ἀπὸ κοιλίης ὀψὲ κλυσματίῳ καλῶς διῆλθε, vt alia sexcenta taceam. In his igitur locis omnibus ellipsis est, vt dixi, τῶν κοπράνων, seu διαχωρημάτων: Hinc vertendus erat hic locus: Δευτέρῃ κ. λ. *Altera die exacerbata sunt omnia: vesperi vero ab adhibito clysmate probe processere excrementa, hucusque scilicet retenta: noctem tunc placide transegit:* en effectum iniectae huius infusionis. Hoc autem παρόραμα absit TIBI imputem V. E. quam illis potius, quos, rebus magis intentus quam verbis, sequutus es. Notet haec KINGIVS ille.

§. *eodem.* λόγοι non tam *verba* ſunt quam *verboſa nugamenta*, fabulae etc. ſic ſumitur *Anacreonti od.* XXXVI. et apud Comicos, TERENTIVM inprimis *Phormione.* Idem fere de λογισμοῖς, quorum ſaepius in his libris mentio fit, ſtatuendum, quod ſemel dictum ſit! etiam illis ieiunis cenſoribus quibus haec leuia videntur; quum tamen ipſi λόγȣς potius huc adferant, quam λόγον.

Ibidem. ὥσπερ ἀνακαλȣμένῳ.) quid ſi legerem ἀνακλινομένῳ *reſupino, reclinato?* certe ad hunc maxime ſpectat πνεῦμα ἀραιὸν, μέγα. Sed nil adſero, penes TE eſto iudicium! Imo non neceſſaria, vt ingenue fatear, iſta quidem coniectura ſubita. Quid enim hic ſit ἀνεκαλύμενον, optime exponit ipſe GALENVS *Lib.* III. *de Reſpir. difficili*, et ex illo hic FOESIVS, vt et ill. VAN SWIETEN, *Comment. in Aph. Boerhaau. Tom.* II. *pag.* 432.

§. 28. *pag.* 44. σκέλεα ἐπιπόνως ἤλγει,) mallem εἶχε, vt mox ἐπωδύνως εἶχε, quod et infra legitur §. 33. *pag.* 52. ipſa haec phraſis occurrit infr. *lib.* III. §. 30. κεφαλὴν ἐπιπόνως εἶχεν, et *alibi.* Sed hoc leue.

§. 29. ἄλλοτε ἀλλοίως.) Proba eſt lectio et HIPPOCRATI in aliis quoque libris familiaris: Ipſe etiam GALENVS exhibet. Ceterum quod ad ſenſum, conferri poteſt *libri* III. *aeger* IX. §. 30.

§. 33. Πυρετὸς ὀξὺς ἔλαβεν.) Abundat hic τὸ ἔλαβεν, quod mox in principio adfuit; expungendum ergo forte videtur: Similis eſt locus infra *lib.* III. §. 3. vbi πῦρ ἔλαβε, mox πυρετὸς ὀξὺς, nec aliud poſtulat nota HIPPOCRATIS βραχυλογία: ſed hoc leuius. Maioris momenti illud videtur dubium, quod oboritur circa verba: ὑποχόνδριον ἐπῆρτο μετ᾽ ὄγκȣ. ȣ̓ λίην σύντασις. Certe τȣ̃ ὄγκȣ ſeu tumoris eſſentia conſiſtit ἐν τῇ ξυντάσει: ideoque non video, qui hypochondrium cum tumore potuit eleuari, ita tamen, vt non adeo extenderetur. Aut igitur totus fallor; aut legendum loco τῶν ȣ̓ λίην σύντασις, σπληνὸς σύντασις, *lienis diſtentio*, ſic κατὰ σπλῆνα ξύντασις infra dixit *Epidem.* VII. Nam ambo haec ſymptomata coniuncta ſunt ſupra in HEROPHONTE §. 26. qui cum noſtro CLAZOMENIO plurima habuit communia, σπλὴν ἐπήρθη ὑποχονδρίȣ ξύντασις et infra *lib.* III. §. 3.

idem

idem narratur de eo, qui in Dealcis horto decumbebat, ſimilia quoque perpeſſus ſymptomata: σπλὴν ἐπήρθη, ὑποχονδρίȣ δεξιȣ̃ ξύντασις. Sed Eruditi iudicent! Quid ergo hic KING, fruſtra obloquendo? Progrediamur ad *Librum Tertium.*

§. I. Πυθίων. Quamuis ego vulgarem lectionem ceu ἀνακόλȣθον, penitus non reiecerim: qualia frequentius apud Noſtrum, vt in *Lib.* V. *Epidem. init.* et ibid. *pag.* 779. item alibi: Conf. huc PETR. PETITI *Miſcell. obſſ. Lib.* II. *cap.* 4. *pag.* 93. SCHWARZ. ad OLEAR. *de Stil. Nou. Teſt. pag.* 132. KYPKE, *Obſſ. Sacr. Tom.* II. *pag.* 104. WETSTEN. ad *Act. Ap.* 7. *pag.* 500. et *Comment. ad Apoc.* III, 12. aliosque plures; Conf. et quae dixi ad ARET. *pag.* 518. mallem tamen cum CALVO et AEMILIO PORTO, aliisque ante eos, adnotante GALENO, legere πυθίωνι ὃς ᾤκει etc. ἤρξατο: Sic enim adſolet in his libris loqui HIPPOCRATES. Supra *lib.* I. §. 32. κρίτωνι ποδὸς ὀδύνη ἤρξατο, ibid. §. 37. Μελιδίῃ ἤρξατο κεφαλῆς πόνος, et alibi: οἷσιν ἡ φρενῖτις ἤρξατο. Recte igitur et hoc loco πυθίῳ ſcribit LINDANVS, quamuis rectius πυθίονι, nam ſic GALENVS legit, vt dixi, et infra §. 24. πυθίωνα ſcribitur, niſi LINDANVS et ipſum caſum primum intellexerit. Sed veniunt mihi in mentem, quae GALENVS ad duos iſtos fratres ſimul aegrotantes *lib. Epid.* I. §. 18. adnotauit, quum de nomine ipſorum quidam eſſent ſolliciti: οἱ μὴ δυνάμενοι, inquit, κατὰ τὴν ἰητρικὴν τέχνην ἐξηγεῖσθαι καλῶς, ἐπὶ τὰς τοιάυτας ἐκτρέπονται περιεργείας. Hinc circa has minutias haud amplius morabor.

Ibidem. πέμπτῃ πάντα παροξύνθη: Poſt haec GALENVS habet τρόμοι παρέμενον, quod improbandum non eſt, videtur enim iſtud poſtulare id, quod mox ſequitur τρόμοι καὶ πάλιν παρέμενον. Hanc GALENI additionem non obſeruauit, quod miror, magnus FOESIVS.

§. 3. *pag.* 65. ἐπώδυνα) ἐπωδύνως Tres antiquiſſimi codd. vna cum GALENO habent, indicante FOESIO: recte! ſenſu quidem vtrumque nihil differt; eſt tamen poſterius magis Hippocrateum: quod vel ex his *Epidem. Libris* ipſis, abunde oſtendi poſſet, ſi neceſſitas quidem exigeret; ſed profecto non eſt opus.

§. 6. *pag.* 71. Πέπονα οὐδὲν) ἔζησε πέπονα, *Codices omnes impressi distinguunt, vt modice concoctum sputum, non sine labore tamen ac vix quidem, intelligatur.* Haec FOESIVS in *Not.* adeoque non omnes Codd. impressi, *vt adsertum fuit*, πέπονα οὐδὲν exhibent, nam nec GALENVS habet, nec ALDVS, nec FROBENVS denique, sed omnes scribunt ἔζησε πέπονα· οὐδὲν ἀνῆγε. Verum FOESIVS duobus vetustissimis Codd. fretus, πέπονα οὐδὲν iunxit, quem postea sequutus est LINDANVS: optimo hercule consilio. Nec enim ab HIPPOCRATIS, nec vllius quoque Graeci, mente aliena est phrasis πέπονα οὐδὲν seu simile. Sic supra *lib.* I. §. 3. *pag.* 5. dixit noster Senex: πέπονα κατ' ὀλίγον, qui locus huc maxime spectat, *ibidem* §. 8. *pag.* 12. οὖρα οὐδὲν καθιστάμενα, *lib. de Diaet.* I. §. XIX. μέλεα οὐδὲν πρότερα γινόμενα, vt alia taceam: sic et hic πτύελα (id enim subauditur, vt supra in principio πτύελα ὑποπέπονα etc.) πέπονα οὐδὲν ἀνῆγε, i. e. κατ' οὐδὲν πέπονα, consueta Graecis praepositionis huius omissione, quod et, vt notum, Latini amant, vbi haec praepositio subaudiri potest. Sed et illud notum, οὐδὲν elegantius vsurpari loco τοῦ οὐ siue οὐκ, qua ratione et Latini τὸ *nihil* adhibent. Ipse HIPPOCRATES in his libris aliquoties: οὐδὲν ἐκοιμᾶτο, οὐδὲν ἐκοιμήθη, οὐδὲν ἐκλείποντες, κουφίζοντες οὐδὲν etc. Ad alios autores nihil hic prouocare attinet, est enim nodum in scirpo quaerere. Necessarium ergo non est legere hoc loco πέπον οὐδὲν, quod tamen pace TVA V. E. dictum et scriptum esto! quod notet hic KING.

§. 7. Κυναγχικὴ.) Legendum puto casu tertio κυναγχικῇ, sequitur enim ἤρξατο scil. πόνος seu ὀδύνη, quae supra adfuerunt, quae constructio HIPPOCRATI admodum est familiaris, vt paullo supra iui probatum. Caeterum, quod ad subscriptionem huius §i. de ea quid statuendum, pronunciaui superius.

§. 15. *pag.* 84. Καὶ ἄφεσις) ἄφεσιν per ἔκλυσιν καὶ πάρεσιν ἁπάντων τῶν μορίων τοῦ σώματος, per *relaxationem atque resolutionem omnium corporis partium, in Commentario ad h. l.* exponit GALENVS. Verum, qnum noua haec sit et peregrina huius vocis interpretatio, nisi forsan omnis hic fallar, quaeque in aliis locis, vbi HIPPOCRATES illa vsus est voce, ab FOESIO adnotatis, locum non habeat, cogitandum, an-

non

non concinnius longe legi poſſit *κώφωσις, ἀντὶ τῦ καὶ ἄφεσις, ſurditas?* praeſertim, quum plerumque coniuncta ſint λήθη, κώφωσις καὶ ἀφωνίη, et mox in *ipſo libro* coniungantur. Sed forte haec ipſa noſtra coniectura ſurda quaſi fuerit, quare ipſi diutius inhaerere nolim. Iudicent ergo alii acutiores.

§. 21. Μέγα μέρος κ. λ.) Haec verba a plurimis ad calcem huius libri, ſed minus opportune, vt oſtendit FOESIVS, reiecta, leguntur quoque mox in principio libri de *diebus iudicatoriis.* [k]) Vbi tamen Codd. quidam Vett. pro μέρος, habent κέρδος, vt in Cod. Mead. eſt obſeruatum. Quum vero ibi quaedam ſine ſenſu leguntur, quod tamen nec a FOESIO, nec, quod ego quidem ſciam, interpretum alio fuit obſeruatum: alienum non erit, ea ex hoc noſtro loco emendare. Vitium autem potiſſimum eſt in his verbis: ὅ, τι νόσημα ἀγαθὸν, καὶ ὅ, τι κινδυνῶδες, ἢ ἐν τῇ καταστάσει, ἢ ἐν τῇ νόσῳ, quae ita ab interpretibus vertuntur: *quisnam morbus bonus, quis periculo coniunctus, aut in temporis conditione, aut in morbo:* Quisnam vero eſt ſenſus: *morbus bonus aut periculo coniunctus in morbo?* νόσημα ἐν τῇ νόσῳ; Expungendum ergo forſan eſt τὸ νόσημα, ceu ſuperfluum gloſſema; tunc ſenſus erit: quidnam bonum, et quidnam periculoſum aut in temporis conſtitutione, aut in ipſo morbo. Olim putaui, vitium latere in voce νόσῳ, hinc loco eius Codici meo adſcripſeram ἀνέσει, quod mox aliquoties legitur; et infra in *Epiſt. ad Theſſal. p.* 934. *Tom.* II. *opp.* nec ſenſus eſt incongruus; quiſnam morbus non periculoſus, et quisnam periculoſus ſiue cum in vigore ſit conſtitutus, ſiue dum remittit, ob metum ſcilicet fortioris palindromiae ſeu recidiuae. Ita et PHILO IVDAEVS, *Lib. de Ioſepho, pag.* 415. a probo Medico inprimis exigit, vt ſit ἐπιτηρῶν τας ἀνέσεις καὶ ἐπιτάσεις τῦ πάθυς, vt probe ſcil. et accurate obſeruet ipſius morbi intenſiones ac remiſſiones. Sed hoc obiter. Nunc nihil muto et priorem emendationem huic vtique praefero. Niſi forſan pro iſto νόσημα, legendum potius fuerit, μήνυμα, h. e. *indicium,* ſenſu optimo, aut σῆμα, quod idem, obſeruante quoque KINGIO, licet alias, potius in Hippocrate, illius vocis loco, frequentius occur-

rant.

k) *Locus Hippocr. emendatus.*

rant σημεῖον, σημείωσις, σημασία, ἐπισημασία, τεκμήριον, et similia plura, ceu notum. Sed de his hactenus. Non inepte tamen etiam hic legi forsan posset γνώρισμα, *iudicium*, vt et νῶμα, siue potius γνῶμα, quod idem. Ita, quod apprime huc facit, ARETAEVS dixit: τῆς λύσιος τῆς νόσου γνώματα, *Lib.* I. *de Curat. Acut. Morb. pag.* 77. de qua rariore voce vid. Cel. WESSELING. *ad Herodot. Lib.* VII. *pag.* 535. et ABRESCH. ad *Aeschyl. L.* II. *cap.* 22. *pag.* 389.

§. 23. Τὰ περὶ τὴν γνώμην μελαγχολικά.) Haec mihi scholion esse videntur vocum antecedentium, quales ἄθυμος, ἄγρυπνος, ὀργαὶ, δυσφορίαι, ab aliena tamen manu adscriptum: quis enim his signis auditis, non cognoscat τὰ περὶ τὴν γνώμην μελαγχολικά seu vt alibi ipse loquitur HIPPOCRATES, τὰ τῆς γνώμης ταραχώδεα;

§. 24. ἡμέρη δι' ἡσυχίης.) Legendum puto stilo HIPPOCRATIS, ἡμέρην, vt paullo ante, et alibi saepius, νύκτα: Sic alibi in his libris νύκτα μετρίως, καὶ τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν. Sed hoc, ipse fateor, leue et obuium.

§. 34. *pag.* 114. κατεκλίθη καὶ ἐξεμάνη.) Diu est, ex quo hunc locum non recte se habere cognoueram; dum hunc librum reuoluo, video me ita ad marginem scripsisse παρεκρούσθη καὶ ἐξεμάνη, memini enim, me haec ambo coniuncta alicubi in HIPPOCRATE legere: Sed paullo audacior mea est, fateor, coniectura; hinc TVAM emendationem et facilem et rectam, recipere nullus dubitaui; qua scilicet, sola particula καὶ apte transposita, concinne legis: καὶ κατεκλίθη, ἐξεμάνη. optime.

Et haec fere sunt, quae ad hos Epidemiorum libros breuiter et festinanter obseruare volui, immo et potui: plura erant in promtu, sed quum ea partim leuiora, partim maioris quoque essent momenti, quaeque hinc maiorem requirerent adparatum et verbosiorem Commentationem; neutrum volui adiicere, ne TIBI per prius viderer molestiam creare; per posterius autem librum potius (libellus enim iam fere est) quam epistolam conscribere: praesertim, quum aliqua adhuc restant, quae intacta et inexplicata hoc loco relinquere nefas esset futurum. Iamque venio ad *Nouem* istos Tuos

Commen-

Commentarios totidem veluti praeclare TVAE induſtriae et incomparabilis doctrinae tropaea. Satis enim in iis oſtendis, TE, quod olim de ipſo Hippocrate adſeruit CELSVS, *Virum eſſe et arte et facundia inſignem.* Poſſem hic quidem, immo deberem ante omnia, experientiam TVAM practicam, et elegantem medendi methodum laudare ac commendare: verum quum mea opera iam ſola verſetur circa HIPPOCRATEM, quaedam, impetrata abs TE venia, de ipſo ſuperſunt dicenda, quae ibi paſſim de eo in medium adferuntur.

Ex *primo* igitur *Commentario*, qui maxime de *Ratione* agit *ſcribendi, quam in his Epidemiorum libris tenuit* HIPPOCRATES, id in praeſenti notemus, HIPPOCRATEM ſaepiſſime breuitatis ſtudioſum fuiſſe adeo, vt et ea, quae neceſſaria eſſent, vt notarentur, ſilentio praeterierit, certe ſibi perſuadens, in arte medica verſatum futurum eſſe neminem, qui haec neſciret, atque adeo non praeſupponeret: *Scripſit nimirum*, permitte V. E. vt Tua verba hic mea faciam, *vt artifex artificibus, breui quidem ſubtilique dicendi genere vſus, ſed expolito atque intelligentibus noto.* Hinc quum in *Tertio Epidemiorum libro* §. XXIX. ſemel tantum meminit Venaeſectionis Octauo die a ſe adminiſtratae, fas eſt cum GALENO adſerere, eum multo ſane prioribus diebus magis hoc vſum fuiſſe praeſidio, praeſertim, vbi morbi atrocitas v. g. anginae, pleuritidis, ophthalmiae etc. eam neceſſario requireret, vt libro Epidemiorum ſecundo inprimis, ne alios adducam libros, omnibus fere paginis, docet ac inculcat, item, venam ſaepius percuſſiſſe, vbi ſcil. neceſſe, et remedia quoque adhibuiſſe, licet horum nihil quidquam indicauerit. Verum hic circa Venae ſectionem, octauo demum die primum in *Anaxione illo pleuritico*, adminiſtratam, ab ipſa illa GALENI ſententia, nonnihil abeunt VALLESIVS, in h. l. et VERNA, in *Tract. de pleuritide, Part.* VI. *pleurit.* I. *pag.* 143. *ſqq.* diffuſe: Sed vid. contra ill. VAN SWIETEN, *Comment. Tom.* III. *pag.* 36. *ſqq.* et noſtrum *Lib. de pleuritide, cap.* V. *pag.* 100. Sed et hoc in HIPPOCRATIS ſcriptis notatu eſt dignum, quod ille interdum ea alieno, vt ita dicam, loco referat, quae ſuo loco, vbi potiſſimum erant commemoranda, penitus reticentur, ex quo factum eſt, vt HIPPOCRATES

multa nesciisse diceretur, quae tamen reuera non ignorauit, sed tantum eo loco, vbi ea inueniendi spes erat firma, vt modo dixi, non meminit. Hinc ille, qui recte iudicaturus est de HIPPOCRATIS placitis, item de iis, quae vel sciuit, vel nesciuit, aut, quod idem est, obscurius paullo proposuit, necesse est, omnia prius genuina ipsius scripta haud supine legat, seduloque inter se conferat, quam certi quid velit statuere. Secus enim optimo illi Auctori pessimam illaturus est iniuriam, dum ipsi ignorantiae cuiusdam inurit notam, quam tamen ille potius meruit, qui iudicat, quam qui iudicatur.

Hoc ad eos inprimis pertinet, qui HIPPOCRATEM doctrinam de pulsibus non calluisse, prorsusque neglexisse satis audacter adserunt, quorum sententiam TV V. E. in *Commentario Secundo*, ad quem nunc progredior, allegasti quidem, absit tamen, vt Tuam esse credam. Versati sunt in hac opinione, aut, ne quid dissimulem, errore, et priscorum et recentiorum multi, quorum antesignanus fuit GALENVS: Hic ne tantae molis *de pulsibus* libros frustra conscripsisse videretur, caussam, quam suae eloquentiae, immo loquentiae potius et garrulitatis allegaret, aptiorem sane non habuit, quam si diceret, pulsuum tractationem in HIPPOCRATE desiderari, atque hinc necessario a se fuisse adiiciendam. Equidem id cum Cl. CLERICO lubens fateor, pulsuum doctrinam a nemine fere fusius et accuratius fuisse pertractatam, quam ab illo ipso: Verum nec illud est negandum, eandem ab eodem adeo amplificatam fuisse et etiamnum amplificari a Medicis praesertim Sinensibus, 1) vt abunde probat ANDREAS CLEYERVS, in *Specimine Medicinae Sinicae*, Tractatu perquam curioso, et erudito, nouarumque et hucusque paene inauditarum rerum et obseruationum vbique pleno, add. et IS. VOSSII *Tract. de Poëmat. cantu*, *pag.* 69. *sqq.* vt si curiosum et vtile aequa lance expenderis, illud huic multo praeponderare facile deprehendas: Hoc vel ipse confirmat GALENVS, quum enim *septendecim* de pulsuum historia atque natura composuisset libros, vnus sequitur isque perbreuis de *pulsuum vsu et necessitate: Hanc etiam vix, Tityre, duco.* Vt enim dicam quod res est, Medicorum plurimi

1) *ap. Barchus. Dial. XIV.*

plurimi plus ſibi vtilitatis fingunt ex ſedula pulſuum exploratione, quam re ipſa habent. Vid. huc inprimis, AMMANN. in *Syncretiſmo Med.* CONRING. in *Introduct. in Med.* aliosque, item laudatum modo VOSSIVM, *de poëmat. Cantu et Viribus Rhythmi, pag.* 68. *ſqq.* Quis neſcit ſanguinem nunc iuſto viſcidiorem, nunc ſeroſiorem, hincque fluidiorem pulſum referre poſſe praeternaturalem, h. e. languidum aut acceleratum? in ſubiectis πολυσάρκοις anguſti arteriarum labyrinthi, et his ſuperſtrata cum pinguedine caro ſaepius quoque pulſum tardum reddunt, et ad ſpeciem imbecillum, ipſis nihilominus ſanis admodum et vegetis exiſtentibus. Immo nec ipſae ſibi ſemper reſpondent arteriae, quum dextra ſaepius alium referat motum quam ſiniſtra, et verſa vice. Eſt et non raro ipſius Explorantis manus in culpa, vt arteria ſecus pulſet ac natura ſolet, ſiue fortiter conſtringendo aut comprimendo, ſiue leuiter, aut manu frigida, attingendo, vt alia taceam: *Sic venis credimus fallaciſſimae rei; quia ſaepe iſtae lentiores celerioresue ſunt, et aetate, et ſexu, et corporum natura,* vt CELSI [m]) verbis vtar abs TE, V. E. etiam allegati: quibus adiiciam, quae BONETVS [n]) ex BALLONIO refert in *Pharo Medicorum: Difficile eſt circa pulſus iudicium, et magno aegrotantium incommodo in iſta haeretur difficultate, prout enim quisque variam habet de pulſu opinionem, ita varie corpus aegrotum exercet, etc.* vt taceam hic, quae ingenioſiſſimus PECHLINVS et incomparabilis noſter BOHNIVS de hac re notauit. Item BORRICHIVS, in *Act. med. Hafn.* BARTHOLINVS, BONETVS, et quis non Medicorum? vid. praeſertim AMMANN. et CONRING. iam. ſupra laudatos, inprimis autem PROSPER. MARTIAN. in II. *Praedict. Hipp. pag.* 512. loco egregio. Quid igitur mirum, ſi HIPPOCRATES, vt ad eum redeamus, probe forte perſpiciens haſce circa pulſus vanitates, pulſuum doctrinam non adeo verboſe propoſuit atque vbique commendauit, licet ſignorum ex ipſis petendorum vſum, quem nemo penitus negabit, non reticuerit, ſed, vt infra palam demonſtrabitur, breuiter quidem et ſparſim, vt ipſi moris; ſolide tamen docuerit? Hinc concedo, GALENVM pulſuum doctrinam adieciſſe quidem illis HIPPOCRATIS lo-

Dd 2 cis,

m) *Lib. III. c. VI.* n) *Lib. I. p.* 15.

cis, vbi de ſignis prognoſticis erat ſermo; pulſus autem ibi deficientis neceſſario facienda erat mentio: non autem Medicinae in vniuerſum, vt *vulgo* adſeritur. Nam nec ipſe illud velle videtur loco abs TE, V. E. allegato, qui eſt in libro περὶ κρίσεων *Tertio*, non *Quarto*, vt allegatum fuit, (nam ipſe GALENVS in fine iſtius libri teſtatur, ſuperuacuum fore, ſi quartum adderet.) Poſteaquam enim quaedam ex HIPPOCRATIS *Prognoſtico*, item *libro Epidem.* I. *et aliunde*, adduxiſſet loca, in quibus nullum deficeret γνώρισμα τρόπου κρίσεως, et omnia dicta eſſent ab HIPPOCRATE χωρὶς τῶν σφυγμῶν, exceptis pulſibus, haec ſubiungit: ἕπεσθαι δ' οἱ πολλοὶ βραχυλογίᾳ παλαιᾷ μὴ γεγυμνασμένοι, λείπειν οἴονταί τινα. Λέγωμεν οὖν ἡμεῖς αὐτοῖς ἑτέρᾳ λέξει σαφεῖ τὰ αὐτά. Ex quibus verbis clariſſime patere arbitror, Eum hiſce tantum locis, in quibus HIPPOCRATIS breuiloquentia pulſus *intactos* reliquiſſet, eosdem additurum, nec aliter potuit ſcribere, quum alio loco infra a nobis proferendo, aperte fateatur, HIPPOCRATEM pulſus explorandi artem non ignoraſſe. Sed vaſtus ille GALENI faſtus pace ipſius manium! ſtatim ſeſe luculentius prodit, paucis poſt interiectis, vbi ſui oblitus, ita exclamat: ἀλλὰ τὰ μὲν ἀπὸ τῶν σφυγμῶν ἢ ὡς οὐ γινώσκων ὁ ἱπποκράτης, ἢ ὡς οὐκ ἀξιόλογα νομίζων οὐκ ἐξειργάσατο, quod et propemodum repetit Lib. *de Praecognitione* c. XII. Licet igitur poſterius verum eſſe poſſet ex cauſſis ſupra datis: neutrum tamen eſt verum; nam et calluit HIPPOCRATES pulſuum ſcientiam, et ceteris paribus, eam quoque magni fecit, vt ex locis patebit infra a nobis ex ipſo HIPPOCRATE producendis. Et qui poterat quaeſo aliter? quum enim ipſam ſanguinis Circulationem non ignoraret, vt liquido oſtenſum XXIX. Diſſ. a LINDANO, ALMELOV. SPONIO, STENZELIO et aliis; non poterat ſane neſcire pulſum etiam, ceu illius naturalem effectum, quod hinc inprimis fortiter vrgit DVRETVS, in *Coac.* LINDANVS, BARTHOLINVS, WALAEVS, et alii. Conf. laudati LINDANI *Diſſ.* XV, 523. *ſqq.*

Sequuti interim ſunt, vt fieri ſolet, magnum hunc ducem errantem licet, ex antiquioribus THEOPHILVS PROTOSPATHARIVS, aut, vt alii volunt, PHILARETES, qui librum *de vrinis et pulſibus*

ſibus compoſuit, STEPHANVS Athenienſis, qui in ipſius GALENI *priorem ad Glauconem librum therapeuticum* commentatus fuit, et alii, quorum iam non memini. E recentioribus eſt THEODORVS ZVINGERVS ſuperius mihi laudatus, qui ſi non ſatis vere; ſatis tamen modeſte, vt ſolet, ſcribit, HIPPOCRATEM *exilem pulſuum habuiſſe notitiam.* Sed rigidior eſt cenſura FRANCISCI FOGEROLAEI, hominis, ſi philautiae reſponderet eruditio, citra controuerſiam doctiſſimi, qui poſtquam de ſphygmicorum ſignorum loquutus eſt differentiis, hoc digniſſimum ſua praecipitantia ſubnectit epiphonema: o) *Hoc genus prognoſeos videtur Hippocrates neglexiſſe, aut frigide excoluiſſe:* iudicium ſatis frigidum, immo hyeme *Gallica* frigidius. Alios, qui ad noſtra propius accedunt tempora, iam non nomino, ſunt enim plures, qui veterum veſtigiis, vbi errant, tuto inſiſtunt: Nec mirum, quum noſtris hominibus ſordeant plerumque HIPPOCRATIS aliorumque veterum ſcripta, ita, vt mihi noti ſint Medici, quibus praeter Aphoriſmos, nihil vnquam aliud de HIPPOCRATE viſum fuit. In eorum vero, qui HIPPOCRATI pulſuum ſcientiam dubiam reddere conati fuerunt, numerum referendus eſt potiſſimum HERMANNVS CONRINGIVS, qui in *Introduct. in Art. Med. Cap.* VI. *pag.* 215. in huncce loquitur ſenſum: *Notandum eſt, in ſcriptis Hippocraticis de pulſibus perpauca tradita reperiri, immo vix vnum ac alterum locum occurrere; certe inter ſigna morborum nuſquam pulſus relatos legi:* Haec quidem ille. Sed, aut non legit omnia HIPPOCRATIS ſcripta Vir ille multiſcius, vt ſic cum APVLEIO loquar, aut, ſi legerit, oblitus eſt, HIPPOCRATEM variis in locis infra a me allegandis, pulſus omnino inter morborum ſigna retuliſſe. Clariſſimus SCHELHAMMERVS in *Additamento ad illud Conringii Cap. pag.* 225. *ſqq.* paullo quidem mitius ſentit, variaque ex Hippocrate allegat loca, quae illum pulſus tetigiſſe arguunt: Verum veritati potius, quam CONRINGII venerandi nempe ſoceri ſui, manibus vim inferre vult SCHELHAMMERVS; hinc librum HIPPOCRATIS de *Alimento*, item de *Humoribus*, in quibus, vt infra patebit, clariſſima et inexpugnabilia de pulſibus, ar-

 gumen-

o) *Method. in Hipp. Aph. inaudit. cap. VI. pag.* 24.

gumenta et teſtimonia extant, nulla fronte, nullaque ratione, et contra veterum conſenſum, in dubium vocat, eorumdemque auctoritatem ſuſpectam reddere, irrito quamuis conatu, allaborat. Vid. huc omnino LEMOSII *Iudic. Opp. Hipp.* et SPONII *Praefat. ad Aph. Hipp. novos.* item LINDANI *Exercitat.* XXV. de *Hipp. Circuitu Sanguinis*, per totum.

Clariſſimus tandem CLERICVS, cui, vt TVIS verbis, immo totius orbis litterati, vtar, de Medicina vetere accuratiſſima debemus Commentaria, oſtendit quidem e variis ex HIPPOCRATE petitis locis, pulſuum quandam habuiſſe notitiam diuinum illum virum. Verum, vti ſemper fere cauet idem doctiſſimus Vir, ne nimium tribuat HIPPOCRATI: ita et hic putat, illum pulſus non adeo attendiſſe, paucaque tantum de iis praecepta dediſſe, quia raro eorundem meminerit, vbi tamen aliorum ſignorum, et leuiorum interdum, facta fuit mentio, vt in *Epidemiorum libris* p) et alibi: Immo loco alio, vbi GALENVM propter incomparabilem pulſuum theſaurum nobis ab ipſo relictum, ἐγκωμιάζει, palam confitetur, HIPPOCRATEM hanc de *pulſibus materiam admodum ſuperficiario more tractaſſe.* Verum, quid ad hanc obiectionem de HIPPOCRATIS ſilentio et quidem particulari tantum, ſeu vt ita loquar, *locali* deſumtam, reſponderi poſſit, in antecedentibus iam a me dictum eſt. Solet enim HIPPOCRATES rem centies non repetere, nec, quod GALENVS amat, ἐλέφαντα ἐκ μυίας ποιεῖν, vt tritum fert adagium.

Primus igitur, qui contrarium ſtatuit, (nam et FOESIVS fluctuat, etſi ex ipſo HIPPOCRATE aliud fuit edoctus) eſt, niſi fallor, nam plures etiam alii forte ſupereſſe poſſunt, mihi nondum viſi, aut cogniti, vti re nempe vera ſunt plures, veluti FRANCANCIANVS, CARDANVS, DVRETVS, VALLESIVS, CORNARIVS, PROSPER MARTIANVS, aliique, opportune laudati, a LINDENIO, horum omnium fidiſſimo ſocio, et ſuffragatore, in Exercitat. XXV. *de Hippoc. Circuitu ſanguinis*, quae tota huc omnino ſpectat, et tota omnino meretur, vt plus ſemel legatur; primus eſt, inquam, RODERICVS a FONSECA,

p) *Hiſt. Med. P. III. L. III. c.* 3. *p.* 137.

CA, qui elegantiſſimum in *Hippocratis Prognoſtica* ſcripſit commentarium: Is, licet HIPPOCRATES etiam ibi pulſuum mentionem, vt debebat, non fecerit: illo tamen ſilentio ne quidquam permotus, abunde probat ex aliis HIPPOCRATIS q) ſcriptis a Cl. CLERICO praetermiſſis, ipſi pulſuum naturam nequaquam fuiſſe ignotam: ſed hoc ſolum in loco ab eo neglectam, ceu minus certam, quod et in ſequentibus vlterius demonſtrat, cui tamen adſerto ego penitus haud ſubſcripſerim. Quia vero Vir ille eruditus haec quaſi in tranſitu dixit, nec loca ipſa adſcripſit, ſed tantum indicauit: ſupereſt, vt promiſſi mei memor, et illa loca ex ipſo deſumta producam, illaque nouis a me obſeruatis confirmem, aliaque inſuper addam argumenta, quibus admiſſis (poterunt autem, immo debebunt admitti) pulſuum doctrina HIPPOCRATI tanquam inuentori, erit reſtituenda. HIPPOCRATI inquam inuentori: Is enim, teſte ipſo GALENO, loco infra adſcribendo, omnium fuit primus, qui σφυγμὸν quemuis arteriarum motum nuncupauit, quum alias ea tantum vox ſignificaret τὴν ἐπὶ φλεγμονῇ κίνησιν αἰσθητικὴν, ſenſibilem in inflammatione, ſeu parte quadam inflammata motum et ſubſultum, vt ſic loquar, ſiue ille oriretur a ſanguinis refluxu (is enim nec Veteribus omnibus, certe non HIPPOCRATI ignotus fuit, vt praeter alios, perquam luculenter oſtendit laudatus LINDENIVS integris *Diſſertat.* XXIX. *de Hippocratis Circuitu Sanguinis,*) impedito, atque hinc niſu quodam ſeſe mouente; ſiue a materia purulenta, ſeu acri, in loco quodam ſubcutaneo collecta, et cum impetu quodam exitum per cutem, ſeu tumorem, moliente, ſiue aliunde ortum duceret; quod ERASISTRATVS in primis feciſſe dicitur, vt ſaepius contra eum diſputat GALENVS locis pluribus ab FOESIO in Oeconomia allegatis: vnde et exempli cauſa, eundem in ſenſum apud PLVTARCHVM *Lib. de Superſtitione,* legitur: ἕλκος ȣ̓ ποιεῖ σφυγμὸν, vt alia plura iam taceam vbique obuia et cognita: de quibus vid. GATAKER. ad *Marc. Antonin. Lib.* VII. *pag.* 222. *Tom.* II. *Opp.* HIPPOCRATES contra, quamuis etiam aliquando hunc loquendi retinuerit modum, vt idem poſt GALENVM, obſeruauit FOESIVS: proprie

q) *Commentar. in Prognoſtic. pag.* 37.

proprie tamen σφυγμὸν omnem, vt dixi, arteriarum motum appellitat, et motus illos in inflammatione pulſatorios quos dicunt, nunc παλμȣς, nunc vero πηδήσμȣς vocat, vt ex libro patet *de Humoribus*, ex *Epidemiorum Secundo et Septimo* aliisque locis, v. g. Lib. *de Victu Acut.* XVIII, 18. et paſſim ibi in ſequent. vt itidem adnotauit FOESIVS ſaepius iam citatus, qui et ibidem ex binis GALENI locis refert, quendam AEGIMIVM HELIAEVM ſeu HELIVM, vt loco altero ſcribit GALENVS, omnem arteriarum motum ſecus ac HIPPOCRATES fecit, vocaſſe παλμόν.

Quis igitur ex his quaeſo non colligat, HIPPOCRATEM nec fruſtra inueniſſe nouum τῶν σφυγμῶν ſignificatum, nec vſum illius realem vt ſic loquar aut forte rectius, technicum neſciiſſe, et propter eum, adeo inuentam fuiſſe ab eo peculiarem illam notionem? an enim probabile, Virum illum, qui, ipſo GALENO teſte, vix verbum ſine ratione et neceſſitate, protulit, et nonnunquam ad vitium fere (ſit venia dicto!) fuit βραχυλόγος, entia, quod aiunt, hac quidem in parte multiplicaſſe, et per iocum ſolum atque otium, nouam *pulſus* ſignificationem excogitaſſe? Inde vere, ſapienter atque egregie magnus DVRETVS in *Coac.* σφυγμὸς arteriae micantis ictum aegroto moleſtum ſaepe ſignificat. Sed aliam quoque opinionem mihi faciunt alia ſcripta HIPPOCRATIS, quae pulſus nomen ſignificare oſtendunt liberam micantis arteriae diaſtolem atque ſyſtoleri, ſiue ictu et percuſſione partium circumiacentium. Conf. huc maxime LINDANI *Exercitat.* XXV. *de Hipp. Circuitu Sauguinis*, §. 34. *ſqq.* item *exercit.* XV, 523. 524. Hoc ſane argumentum tanti eſt, credo, momenti, vt ſufficeret ad illorum dicteria confundenda ac confutanda, qui HIPPOCRATEM pulſuum doctrinam frigide excoluiſſe perhibent; etiamſi paruum eſſet in ipſis HIPPOCRATIS ſcriptis praeſidium ſubſidiumue, quod tamen vtrumque ingens eſt, vt mox videbimus, adeo, vt, quo ſe vertant aduerſarii, haeream vtique, immo deſperem. Hinc et GALENVS [r]) huius argumenti ſentiens quam graue ſit pondus, velit nolit, hunc in modum ſcribere cogitur: Πρῶτος μὲν ȣ̓ν ἁπάντων, ὧν ἴσμεν Ἱπποκράτης, τὸ,

r) *Ipſe Galenus fatetur. Lib. de pulſ. diff. I.*

τὸ, τε ὄνομα τȢ σφυγμȢ γράφει, καὶ τὴν ἐν αὐτῷ τέχνην ȣ̓κ ἀγνοεῖν ἔοικεν: quae autem ibi sequuntur, vix digna sunt, quae adscribantur, quum plena sunt nimii GALENI in se adfectus, et veritatem obtrectandi studii: de quibus olim iam conquesti sunt PROSPER MARTIANVS, SCALIGER, et alii Viri grauissimi.

Adponam tamen, ne hoc ipso vitio ego laborasse videar: ȣ̓ μὴν, pergit, ȣ̓τ᾽ ἐπιπλέον ἐξειργάσατο τȣ̃το τὸ μέρος τῆς τέχνης· ȣ̓τ᾽ ἐπὶ πάσης ἀρτηριῶν κινήσεως τȣ̃νομα φέρει; Vbi prius quidem verum esse potest, si μακρολογία ȣ̓κ ἀναγκαία, (sic ipse loqui amat GALENVS, vbi alios confutat, vbi de THVCYDIDE loquitur etc.) idem sit ac necessaria solidaque demonstratio et explicatio: Nam sibi ipsi placuisse GALENVM, quum magnos et verbosos scriberet libros, eruditis satis est notum; fieri autem haud potest, vt, quum multum scribitur, vtile semper scribatur et necessarium, id enim vtplurimum copioso commentario non indiget, sua scilicet interna virtute commendabile et coruscans, quod obseruat HIPPOCRATES; GALENVS contra saepius negligit, de quo iam supra actum est. Alterum vero, ne et id obliviscamur, veritati, ignoscat mihi GALENI vmbra, plane est contrarium, nam omnem omnium omnino arteriarum motum σφυγμὸν, seu pulsum, nominauit HIPPOCRATES, nec ego vllum noui locum, in quo ille quandam adhibuisset distinctionem: Et quid multa? GALENVS se ipsum confodiat, sic etiam alibi in contrarium scribit: *) Ἱπποκράτης δὲ ὡς πρῶτος ἄρξας τȣ̃ μετὰ ταῦτα κρατήσαντος ἔθȣς εἴρηκε πȣ̃ σφυγμὸν ἁπασῶν τῶν ἀρτηριῶν τὴν κίνησιν, ὁποία τις ἂν εἴη, quem locum, luculentum de leuitate animi GALENI testem, iam superius indicaui. Sed et idem GALENVS alibi memoriae prodidit, HIPPOCRATEM, adpropinquantem mortem in quodam aegro ex pulsu cognouisse, et tamen, quod sane mirum, idem HIPPOCRATES, signa ex pulsu petenda, ex ipsius opinione, ignorauit. Videant igitur, qui GALENVM defendant, qui cum eodem errare malunt, quam ipsi contradicere, *quique, quidquid ille dicit,* s) *in Delphis sibi responsum putant,* vt lepide ASELLIVS. Sed

*) *Lib. quod animi mor. seq. temp. corp. cap. IIX.* s) *De Ven. Lact. c. XXI. p. 65.*

Sed quid vetat nunc ad illa ipsa HIPPOCRATIS loca progredi? Princeps fere, et qui ceteris alimentum quasi subministrat, extat in libro de Alimento, genuino, EROTIANO teste, HIPPOCRATIS scripto, et in quem ipse adeo GALENVS commentarium scripsit: hunc tacet quidem CLERICVS; indicat autem RODERICVS A FONSECA supra laudatus, item LINDANVS, ego vero adscribam: t) φλεβῶν διασφύξιες καὶ ἀναπνοὴ πνεύματος (seu vt alii non inepte, volunt, πνεύμονος) καθ' ἡλικίην καὶ ξύμφωνα καὶ διάφωνα, καὶ νόσου καὶ ὑγείης σημήια· καὶ ὑγείης μᾶλλον, ἢ νόσου, καὶ νόσου μᾶλλον, ἢ ὑγείης: quo certe loco nihil est luculentius. Inde optime huc FRANCANTIANVS: *Hoc loco clare patet, pulsum agnouisse* HIPPOCRATEM, *atque perfecte*, apud LINDAN. *Exercit. laudat.* XXV. §. 35. vbi et ipse videndus, et ibidem CARDANVS, *Sect.* 70. *in istum Lib. T.* 87. si enim Venarum i. e. stilo HIPPOCRATIS, et qui eum sequuti, PLATONIS, ARISTOTELIS aliorumque, arteriarum (vide passim GALENVM a FOESIO in *Oeconomia* allegatum, item EROTIANVM, voce φλενοδώδη etc. inprimis autem MARSIL. CAGNATVM, *Lib.* I. *Variar. Obseru. cap.* 16. et PROSP. MARTIAN. in *Comment. in* II. *Praedict. pag.* 512. et passim alibi in isto opere eximio, et ASELLIVM *de* V. *L. cap.* XI. item AGELLIVM, seu rectius A. GELLIVM *N. A.* XVIII, 10.) pulsus cum respiratione pari ambulat passu, vt fere ambulat, an tantum, obsecro, et morbi et sanitatis, quin immo vitae signum erat neglecturus HIPPOCRATES? quis illud credat? quis afferat sine pudore? Ipse GALENVS hanc adprobat sententiam, libro, seu libello potius de pulsuum vsu, eamque ceu ab omnibus Medicis aeque atque Philosophis probatam allegat, licet HIPPOCRATIS ibi non meminerit. Sed pergendum: Libro *de Locis in Hom.* qui EROTIANO, GALENO, RVFFO EPHESIO, CAELIO AVRELIANO testibus, germanissimus HIPPOCRATIS est foetus, et in quo, vt id obiter inseram, multa de sanguinis circulo egregia, ab ipso diligentissimo ALMELOVEENIO, STENZELIO, SPONIO, et aliis omissa, continentur, illo inquam libro, pulsuum caussa adumbratur, vt et *Lib. de Flat.* §. XIII. *p.* 407. vbi

t) §. X.

vbi eſt ſimillimus locus, de quo vid. praeſertim LINDAN. *Exercitat.* XXV. *de Hipp. Circuitu Sanguinis*, vbi et ſimul ipſi HIPPOCRATI pulſuum doctrinam, vna cum Auctoribus aliis multis grauiſſimis, fortiſſime et euidentiſſime vindicauit ac reſtituit, (occaſione arteriarum temporalium, ſemper, vt alicubi et hoc ipſo loco, indicat HIPPOCRATES, pulſantium) ſanguinis puta et adfluentis et refluentis contrarius niſus et occurſus; Verba inter alia haec ſunt: ἐνταῦθα ὠθεύμενά τε καὶ κυκλεύμενα σφυγμὸν παρέχουσι τοῖσι φλεβίοισιν. De quo inſigni loco vid. Cel. SCHVLZII *Hiſtor. Med. pag.* 235. vt et inprimis LINDAN. in *Exercit. Hippocr.* XXV. modo laudata, vbi et longe plura huc quidem pertinentia. Porro: Libro [u]) *Praedictorum Secundo*, ſuadet HIPPOCRATES (cur enim non credamus HIPPOCRATEM eum ſcripſiſſe librum, quum CELSVM, OPSOPOEVM, FOESIVM, immo ipſum ex parte GALENVM habeamus ὁμοψήφους;) vt Medicus aegroti tangat corpus, ſed et venas ſeu arterias: Ἔπειτα, inquit, τῇσι χερσὶ ψαύσαντα τῆς γαστρός τε καὶ τῶν φλεβῶν, ἧσσόν ἐστιν ἐξαπατᾶσθαι, ἢ μὴ ψαύσαντα. Ad quem eximium locum ita PROSP. MARTIAN. *pag.* 512. *Ex hoc textu licet colligere, Hipp. temporibus Medicos communiter pulſum aegrotantis tangere conſueuiſſe manibus, prout modo obſeruatur. Imo in hoc diligentiores noſtris fuiſſe, quandoquidem non in carpo tantum, vt nos facimus; ſed vniuerſo paene corpore arteriarum motum obſeruare conſueuerunt, vt ex multis locis Hippocr. conſtat.* Conf. et LINDAN. *loc. citat.* §. 40. fine. Dum huncce librum verſo, video locum inſignem a me olim perſanatum, quem hac occaſione, veluti in tranſitu, indicabo:

§. XXIX. Vbi de oculi [x]) affectionibus inter alia agitur, haec leguntur: πάντων δὲ χρὴ μάλιστα τὴν κατάστασιν τοῦ οὔρου ἐν τοῖσι περὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐνθυμεῖσθαι. οἱ γὰρ καιροὶ ὀξέες: ſed quid vrinae ſtatus in oculorum morbis? quis vnquam illud quaeſo docuit paradoxum? Videat ergo FOESIVS, qui doctorum cenſuram euitet, dum ſaluum eſſe hunc locum credidit: Nos cum OPSOPOEO dubitamus omnino; ipſi tamen non adſtipulamur, dum loco τοῦ οὔρου, ὥρου ſeu ὅλου legere vult, quod et LINDANVS (prius nimirum) in textum recepit: Prius

u) §. V.

igitur scil. de Vrina, plane est absurdum; alterum autem, quod OPSOPOEI est, nimis generale, nam temporis constitutionem in omnibus in vniuersum morbis sedulo esse obseruandam, saepius docuit HIPPOCRATES. Hinc *vrinam* effundamus eo, quo alias pertinet, et *tempus* elabi patiamur, nam neutro indigemus, si legamus, vti forsan debemus, τὴν κατάστασιν τῆς κόρης *pupillae statum*: Nam de pupullis in antecedentibus dixerat; et quis nescit, in ophthalmicis pupillae, vtpote tenerrimae texturae partis, rationem maxime esse habendam? quum ea facillime affici possit et corrumpi, hinc et HIPPOCRATES bene addit οἱ γὰρ καιροὶ ὀξέες, *periculum enim in mora*, quod dictum male adhibuit OPSOPOEVS ad defendendum suum *intempestiuum* ὥρου. Verum nobis nunc, post tantum temporis elapsi spatium, alia mens. Forte enim legendum χώρου, aut χωρίου, quoniam supra *pag.* 508. dixerat HIPPOCR. ἐς τὰ χωρία σκεπτομένους. Sed nec hoc satis placet: quare potius scribendum arbitror, ῥόου, *ipsius pituitae fluxionis*: scripserat enim supra loc. cit. respiciendum potissimum ἔς τε τὰ ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ ῥέοντα, *ad ea, quae ex ipso oculo inflammato effluunt*. Si enim pituita emanans, calida nimis, tenuis, acris ac mordens rodensque fuerit; tunc ipse oculus facile corrumpitur, imo et saepius rumpitur, bene ibi docente HIPPOCRATE, et ex eo CELSO, *Lib.* VI. *Cap.* 6. Ex ῥόου vero quomodo per literar. metathesin factum sit ὥρου, per se iam patet. Sed in viam redeamus e diuerticulo! Libro de *Humoribus*, vere *) Hippocratico, asseuerante EROTIANO atque GALENO, qui tres in eum confecisse dicitur Commentarios, quos nondum graece editos, saepius postea versauimus *Parisiis*, in *Bibliotheca MStor. Coisliniana*, nunc splendido Librorum thesauro Reu. *Patr. Benedictinorum* inserta, inter signa, quae Medicus obseruare debet in aegrotis, et ex quibus morbos iudicare licet, recensentur etiam σφυγμοί, *pulsus*: locum hunc, vt candide agam, indicauit iam FONSECA, reticuit vero Cl. CLERICVS. Sed et pulsuum differentias seu species, si non omnes; eas tamen, quae praesertim adnotari merentur, indicat HIPPOCRATES clarissime. x) Libro de *Mulierum Morbis primo* (vere suo, testibus

*) §. *III.*

x) §. *LXIII.*

teſtibus EROTIANO atque GALENO etc.) his verbis: σφυγμοὶ βληχροὶ, ἔςι δ' ὅτε καὶ ὀξέες, ἄλλο τε ἀειρόμενοι, ἄλλοτε ἐλλείποντες: Similiter Libro de iisdem *Morbis ſecundo:* y) σφυγμοὶ πρὸς χεῖρα ψαίροντες, βληχροὶ ἐκλείποντες καὶ αὐτίκα ὄλλυνται, quae verba, et inprimis τὸ ψαίροντες ita παραφράζει EROTIANVS: οἱ μὴ εὔτονοι (ſcil. σφυγμοὶ) ἀλλ' ἐκ διαλειμμάτων ἀσθενῶς πλήττοντες: Videri etiam poteſt FOESIVS in oeconomia. Praeſertim et LINDANVS, *Exercit. Hipp.* XXV, 38. vbi tamen priorem locum ex I. de *Morb. Mul. Lib.* non adducit. Libro *de Morbis Tertio* etiam GALENO z) CAELIOque teſtibus, ab HIPPOCRATE ſcripto, dicitur, quod in cerebri tumore φλέβες τέτανται καὶ σφύζουσι: Sic et in Libro *de Medici officina*, HIPPOCRATES a) (eius enim eſt hic liber, vt fatetur EROTIANVS et GALENVS, qui et in eum amplum pro more ſcripſit commentarium) Medico iubet, vt capiti, pectori aliisque corporis partibus fulcimenta ſubſternat et ſtabilimenta τῶν σφυγμῶν ἕνεκεν, ὡς μὴ ἐνσείεσθαι, quod et paullo infra repetit. Tandem elegantiſſimum illum adſcribo locum, quem allegat EROTIANVS voce φλενοδώδη: τὰ ἐκ γινόμενα ῥίγεα μεθ' ἡμέρην κατὰ νύκτα ἐπιπαροξυνόμενα ἀγρυπνίην ποιέει, καὶ τὰς φλέβας δονέει καὶ ταράσσει, καὶ πυκνότατον καὶ σφοδρότατον τὸ κίνημα ποιέει. De quo inprimis vid. EVSTACHII *Not. in Erot. pag.* 118. b. *ſeq.* Putat FOESIVS, ne quid ego diſſimulem, locum hunc eſſe ex *Coacis praenotionibus* atque ſic ab EROTIANO παραφρασθέντα: Verum ego id non puto, nec alius forte putet; ſic enim ſcribit EROTIANVS: φησὶ γὰρ αὐτὸς ſc. HIPPOCRATES, hic ſane nihil cogitandum de paraphraſi. Sed crediderim ego, illa ſupra allegata verba eſſe omnino HIPPOCRATIS, ſed deperdita hodie, niſi iam alicubi extent in ſcriptis HIPPOCRATIS, nec a FOESIO, nec a me adhuc obſeruata. Vid. tamen I. *Praedict. p.* 479. vbi ex parte, ſecundum ſenſum, extare videntur. Quem enim fugit, multa HIPPOCRATIS ſcripta intercidiſſe, quaedam etiam mutila ad nos perueniſſe et deprauata? Vnum adhuc circa hunc locum adferam: Dicit ibi EROTIANVS: καὶ ὁ Δημόκριτος τὴν φλεβοπαλίαν καλεῖ τὴν τῶν ἀρτηριῶν κίνησιν. Hanc

y) §. *XIII.* z) §. *I.* a) §. *XIV.*

vocem in dubium vocat FOESIVS, et legendum esse contendit φλεβοσαλίαν seu φλεβοσαλείαν: Verum, nisi fallor, frustra hunc locum sollicitauit doctissimus hicce Vir: φλεβοπαλία enim est a πάλλω, *agito, vibro*, vnde πάλος, παλμὸς, πάλμα, *agitatio, aestuatio* etc. et idem significat, ac FOESII φλεβοσαλία, nempe τῶν φλεβῶν παλμὸν, vt iam quoque probe vidit AEGID. MENAGIVS, in *Comment. ad Diog. Laert. Lib.* IX. *Segm.* 47. *pag.* 415. Sed haec in transitu! Probat ceterum et hic locus pulsuum doctrinam satis esse antiquam et circa HIPPOCRATIS tempora iam tum notissimam: Constat enim ex monumentis fide dignis, DEMOCRITVM illum Gelasinum, vt penes AELIANVM est, HIPPOCRATI fuisse σύγχρονον: Immo CELSVS aliique tradunt, eum adeo HIPPOCRATEM erudiisse, quod tamen qui sit intelligendum, in *Apologia Hipp. pag.* 51. *sqq.* explicaui, iam tempus illud non permittit, nec hoc loco necessarium est, ista curatius pertractasse: Potius nostrum institutum prosequamur. Poteram scilicet locis hactenus a me allegatis iam ea addere, quae a Cl. CLERICO atque ZANINO, de quo mox infra, plura, praesertim autem LINDANO in saepius iam laudata *Exercit. Hipp.* XXV. fuere obseruata, atque nunc ex *Coacis Praenotionibus*, vbi de *lethargicorum pulsu segni*, nunc *Secundo* et *Quarto Epidemiorum* libris, vbi inter alia *de pulsu in febribus acutissimis insigni et denso seu frequenti*, desumta, notatu sane dignissima, et singularem HIPPOCRATIS in pulsibus examinandis ἀκρίβειαν satis superque comprobantia: Vnde et ibi verissime in *Comment.* VALLESIVS: *Contendunt quidam, Hippocratem nullibi de pulsibus agere: En vero locus, vbi febrium pulsus describit.* Conf. et LINDAN. *loc. cit.* Verum actum nolo iam agere, nec veritatem suis iam radiis praefulgentem amplius i. e. incassum, illustrare. Quin potius iam finio, verbis illis, paucis quidem, sed grauibus, quibus ipse LINDANVS pulcherrimam suam ac luculentissimam Exercitationem de exacta pulsuum cognitione HIPPOCR. clausit: *profecto, cui ista non sunt satis, quid ei erit satis?* Id autem hoc loco miror et magnopere miror, qui Cl. CLERICVS tam confidenter scribere potuerit, in *Epidemiorum libris* nihil fere reperiri, quod de pulsu agat, quam duo illa loca a se citata: Siue enim

per

per duo iſta loca reuera intellexerit loca illa, quae ex II. *et* IV. vt dixi, *Epid. libb.* allegauit; ſiue, quod tamen non crediderim, duos iſtos libros ita adpellauerit; neutrum ſane ferri poteſt. Nam et in iſtis duobus, et in ceteris Epid. libris loca inueniuntur, vbi pulſus facta fuit mentio, a Cl. tamen viro neglecta. Vt hoc probem, liceat mihi aliqua hic adnotare, prout ſeſe mihi aliud quaerenti obtulerunt. *Lib. Epid. II. S. VI.* haec leguntur: ἢν αἱ φλέβες σφύζωσιν ἐν τῇσι χερσὶ - - χρονίη ἡ νοῦσος γίνεται. *Lib. Epid.* IV. §. X. *Edit. Lind.* (eam enim ſemper allego et allegaui, vt ſupra iam dixi) φλεβῶν σφυγμοὶ παρ' ὀμφαλὸν, hic locus proxime praecedit eum, quem ipſe laudat Cl. Vir, vbi de pulſus vehementia in febribus acutis agitur, vt ſupra ſubindicaui. *Libro eodem* §. XXIV. οἱ σφυγμοὶ expreſſe inter *ſigna prognoſtica* referuntur, quod et in aliis locis diuinus fecit ſenex ſuperius adnotatis: hic ſane locus prae reliquis notari meruiſſet. Sed ad ceteros libros nunc progrediendum. *Libro* V. §. V. de Gorgiae vxore per quadriennium menſium ſuppreſſionem perpeſſa, dicitur σφυγμὸν παρεῖχε καὶ βάρος ἐν τῇ μήτρῃ: *Ibid.* §. XXIV. σφυγμὸς ἐν κροτάφοις commemoratur: porro *lib.* VII. §. II. vbi Pythodori febris tractatur, σφυγμὸς οὐκ ἔλιπεν. *ibid.* §. III. de Eratolai filio κατὰ κροτάφους σφυγμὸς ἦν, cuius pulſus adhuc aliquoties in hoc libro iniecta fuit mentio, vt §. §. V. XVIII. XXI. XLII. *etc.* Conf. huc et LINDAN. *Exercit. Hippocr.* XXV. §. 39. ex HIPP. *Lib. de loc. in Hom.* §. §. VI. et XXIII. item *Exercit.* XV, 523. et 524. *ibid.* §. XV. de Theodori vxore febre acuta correpta: ἦν δὲ πρὸς χεῖρα ψυχρότερον τὸ σῶμα ταῖς ἀρτηρίαις: ſed notetur potius *ibidem* §. XLI. vbi haec de Pherecyda: ἄδηλος σφυγμὸς σφόδρα ἐν μετώπῳ. φλεβῶν βάρος ἐν τῇσιν ὑποστροφῇσι κ. λ. pulſus frontalis ſaepius in aliis quoque locis meminit HIPPOCRATES, quod indicaſſe ſufficiat. Haec loca, licet, paucis exceptis, leuia videantur, etiam difficili illi KINGIO, cui nempe omnia leuia videntur, niſi ſint ſua, aut certe ſuae gentis; ſed hoc obiter; id tamen probant, quod debebant probare, quod mihi, vt ſpero, vitio haud vertet Cl. CLERICVS, quippe qui alicubi teſtatur, ſe illi gratiam habiturum inſignem, qui operam ſuam (profecto egregiam) auxerit ſeu emendauerit: illam autem ego nec deſidero, nec

mereo;

mereo; faueat mihi modo meisque conatibus Vir ille doctiſſimus, haec votorum ſumma. Haec omnia perſcripſeram, quum mihi forte in manus veniunt IO. HEVRNII, Medici, dum viueret, incomparabilis, *Inſtitutiones Medicae*, quarum *Liber* X. de Pulſibus agit atque Reſpiratione: In *primo* dicti libri *Capite*, vbi de vtilitate ſcientiae pulſus etc. video doctiſſimum illum Auctorem in id inprimis incubuiſſe, in quod ego hactenus, nempe probare voluiſſe, HIPPOCRATEM pulſuum optime calluiſſe ſcientiam; non voluit autem ſolum, verum re ipſa quoque probauit Vir ille ſolers. Primo enim GALENI contradictiones notat, quod et ipſe feci; poſt varia ex ipſo HIPPOCRATE producit loca eaque fere omnia, ſuperius a me allegata, quae ſcientiam pulſuum Hippocraticam ſatis arguunt, praeterea etiam obſeruat, HIPPOCRATEM ſaepius ſpiritum pro ipſo pulſu ſumſiſſe, quoniam vtriusque vnus idemque finis; Tandem quoque non temere adſerit, GALENVM ea, quae de pulſuum differentiis, ſatis verboſa vanitate, ſcripſit, mutuatum fuiſſe ex variis reſpirandi modis apud HIPPOCRATEM ab ipſo deprehenſis: Vt alia iam taceam. Hunc igitur Hippocrateae autoritatis ſtrenuum adſertorem vtique adiungendum cenſeo FONSECAE ſupra a me laudato: Immo breuior forte fuiſſem in mea probatione, ſi ante, quam eam pertexerem, HEVRNII fuiſſem recordatus: interim tamen nec penitus poenitet haec omnia conſcripſiſſe; quin potius mihi de tanto promacho gratulor, eoque magis in firma mea de pulſibus HIPPOCRATI notis ſententia confirmor. Confirmor? immo etiam plane conuincor, poſteaquam LAVRENTIVS quoque BELLINI, Medicus in Italia non ſolum, ſed et vniuerſo, qua patet, erudito orbe celeberrimus inter eos nomen profitetur ſuum, qui HIPPOCRATIS σφυγμογνωσίαν argumentis grauibus atque perſpicuis adſtruxere. Is enim in egregio de *Pulſibus ſcripto p. m.* 82. *ſeq. Editionis Bohnianae*, non ſolum aeque ac fecit modo laudatus HEVRNIVS, et ego ſupra quoque oſtendi, primo GALENI contradictiones et inconſtantiam adnotat: ſed et deinde multis ex ipſo HIPPOCRATE locis petitis, euidenter oſtendit, iudice quoque Cl. SCHVLZIO, *Hiſt. Med. pag.* 251. qui hinc ipſe a partibus noſtris ſtat, *quod Hippocrates,* ipſius

ipſius ſunt verba, *eiusmodi doctrinam nouerit, et plurimi fecerit, et pulſus obſeruandos eſſe mandauerit, et quid eorum aliquot indicent, expoſuerit, quidquid blaterent nonnulli, aſſerentes, nec quidquam praecepiſſe de pulſibus, aut nouiſſe, aut curaſſe Hippocratem.* Et licet hic Cl. SCHELHAMMERVS *loco ſupra allegato pag.* 226. de hac bella BELLINI demonſtratione ita iudicet: *Quidquid Bellini ſe iactet, non perſuadet ſuis illis locis Hippocratis, eum adeo multum ad pulſus attendiſſe:* Quilibet tamen facile colliget, Cl. hunc Virum partibus CONRINGII Soceri nempe ſui addictum, vt ſuperius iam iui probatum, veritatem ſtudio oppreſſiſſe, quod et in ſeqq. adparet, vbi de toto hoc BELLINI *de Vrinis et pulſibus libro* dicit, *eum exigui eſſe momenti, nec expectationem explere,* quum tamen illuſtris BOHNIVS, Vir defaecatiſſimi iudicii, in *Praefat. libro illi praefixa,* aliique Viri doctiſſimi aliter longe de BELLINI operibus ſentiant; praeſertim vero maximus BOERHAAVIVS, in ſua doctiſſima Praefatione, nouae huius praeſtantiſſimi operis Editioni, 1730. praemiſſa. Poſtremus autem, tempore potius, quam meritis, copiis ac doctrina, aut ingenio, qui ipſi quidem HIPPOCRATI intimam ſolidamque pulſuum cognitionem docte, perite, ſtrenue et animoſe vindicauit, eſt Vir celeb. ANTON. M. ZANINI, Veron. in *Epiſt. Erudita,* ad Cl. SELMERVM, adiecta *Tomo* IV. *Opp.* BALLONII Venet. 1736. editorum, vbi *pag.* 327. *ſqq.* multis rationibus et argumentis ſolidiſſimis, exemplisque ac teſtimoniis liquidiſſimis, ex ipſo quidem HIPPOCRATE affatim productis, manifeſtiſſime validiſſimeque, opinor, oſtendit, doctrinam de pulſibus, ipſi HIPPOCRATI perquam accurate fuiſſe perſpectam atque exploratam. Add. LINDANI ſaepius iam laudatam *Exercit.* XXV. *de Hipp. Circuitu Sanguinis,* vbi hoc ipſum argumentum exactiſſime pertractatum fuit. Sed haec iam de pulſibus, haec inquam forſan nimia. Tantae ſcilicet molis erat inueteratum praeiudicium ſubvertere et eradicare. Quo vero ſucceſſu illud fecerim, ipſe TV V. E. iudicabis, nam TIBI omnia relinquo. Loca plura ex HIPPOCRATE non addo, quamuis poſſem ſi vellem, immo ſi neceſſum foret; ſed finio

b) *Lib. de Plat. extrem.*

finio potius ita cum eodem HIPPOCRATE: Ἀμφὶ δὲ τῶν ἄλλων εἰ λέγοιμι, μακρότερος μὲν ὁ λόγος γένοιτο ἄν· ἀτρεκέστερος δὲ οὐδὲν μᾶλλον, οὐδὲ πιστότερος.

Sicuti vero ex Phyſiologicis, immo vt rectius dicam, ex Semioticis, HIPPOCRATI doctrinam de pulſibus, ἀγαθῇ opinor, τύχῃ, iam reſtitui: Ita nunc ex therapeuticis, *artem ſudores prouocandi*, eidem reſtituere adnitar. Video enim (ſed nollem illud vidiſſe) eam a TE ipſi abiudicari, quum in *Commentario*, qui iam ſequitur, *Tertio* hunc in modum ſcribis: „Sudor perpetuo apud HIPPOCRATEM, quantum „ego percipio, non vt curandi inſtrumentum, ſed tantum, vt praeſa„gii nota proponitur. Igitur ille in libris, qui germani habentur, re„medii, quod ſudores prouocat, nusquam meminit etc.“ Quam vellem Tecum V. V. in eandem ire ſententiam! mihi enim, ita me Deus amet! moris non eſt, tantis viris, qui me ipſum docere poſſunt, aduerſari. Verum quum ſedula HIPPOCRATIS lectio, et ex hac mihi enata veritas me contrarium doceat; patieris, ſpero, pro Tuo in eam amore, vt hac quidem in parte, a Te diſcedam, atque ſic Cl. CLERICI veſtigiis inſiſtam, quippe qui veriſſime ſcribit, HIPPOCRATEM c) *certis in caſibus* (ipſius ſunt verba) non in *febribus Diariis* ſolum, ſudores prouocaſſe per ſic dicta ſudorifera, licet ea non indicarit, niſi vno in loco, qui eſt *in* II. *Epid. libr.* quem et TV V. E. ceu ſpurium quidem, allegaſti, de quo paullo infra agam. Igitur iam eo allaborabo potiſſimum, vt huic doctiſſimo Viro ſuppetias feram eiusque ſententiam modo traditam eiusmodi argumentis muniam, vt contra cuiusuis inſultum immota manere poſſit et inconcuſſa: nec ipſe illud aegre ſpero, feres, quum veritatis res agitur, quae, nihil intereſt, per quem emergit, modo emergat per aliquem.

Sed vt tandem ad rem ipſam veniam; equidem non diffiteor, ſudorem *ſaepe* HIPPOCRATI ſumi pro praeſagii nota, et ſigno critico, vt ex *Coacarum praedictionum*, *praedictorum* et inprimis *Epidemiorum* libris ſatis conſtat: *Saepe*, inquam, non vero *ſemper*, non *perpetuo*. Ipſe enim HIPPOCRATES diſtinxit inter ſudotem αὐτόματον, h. e. naturalem

c) *Hiſt. Med. P. I. L. III. c. XX.*

ralem et criticum, et inter τεχνικὸν, seu qui τέχνησιν, vt ipsius voce vtar, promouetur, libro de *Humoribus*. Sic alibi *Lib. de Morbis Mulierum I.* §. XLIII. *suadet* ἰδρῶτας ἄγειν, item *eodem libro* §. LXVI. διουρέειν καὶ ἰδέειν, quem posteriorem locum etiam laudauit Cl. CLERICVS: sic V. *Epid. lib.* §. XXVII. iubet Hydropicum ἰδρῦν *sudare*, quod et repetit *lib. Epid.* VII. §. XXXV. atque *Lib. de Victu Acutor.* §. LXV. suadet aegrotos ἐς ἰδρῶτας ἄγειν: vbi et in seqq. plura; quae omnia, vt quivis intelligit, non de sudore spontaneo, seu naturali, sed *arte educto*, accipienda sunt. Elicuit autem HIPPOCRATES, quantum ego percipio, sudorem vel per *externa*, vel per *interna remedia*. Externa sunt variae in palaestra exercitationes, Balneum, Vnctio, et tandem Vestium et stragulorum in corpus aegrotum congestio: De singulis iam seorsum: Quod ad exercitationes in palaestra, quae quum variae, vt dixi, essent, variis quoque insigniebantur nominibus, vt τρόχος ὀξὺς, πάλη, ἀκροχείρησις, χειρονομίη, κωρυκομαχίη et ἀλίνδησις, inprimis (ex qua voce corruptum *celadia*, quod apud Aurelianum legitur, d) ortum esse cum ZVINGERO crediderim) sicut eae recensentur ab ipso HIPPOCRATE *libro de Diaeta Tertio:* hae inquam exercitationes potissimum instituebantur propter *sudorem prouocandum*, et vt subiectis obesioribus et πολυσαρκοτέροις superflua caro colliquesceret quasi et deflueret. De quo plura vid. apud LVCIAN. *Lib. de Gymnas. p.* 288. *Tom.* II. *opp.* item GALEN. et inprimis MERCVRIAL. et FVLLER. de *Arte Gymnastica*. Testis huius adserti sit HIPPOCRATES seu Autor *libri Epid. VIti Sect.* III. ἐν γυμνασίοισι σημεῖον ὁ ἰδρὼς ὁ ῥέων στάγδην, ὅς ἔξεισιν ὥσπερ ἐξ ὀχετῶν. *Lib. de Acutorum Victu* §. LXVII. de eo, qui haemorrhoidibus laborat, inquit, γυμναζέσθω καὶ διϊδρούτω. *Lib. de insomniis* §. IV. ξυμφέρει τοῖσίτε δρόμοισιν ἐν ἱματίοισι κεχρῆσθαι πολλοῖσιν - - - ὅκως ἐξιδρώσῃ ὡς μάλιστα: Sed et latinus dixit HIPPOCRATES: *Exercitationis plerumque finis esse debet sudor* e) etc. memini quoque me apud AETIVM legere: Μίγνυται ἰδρὼς τῶν f) γυμναζομένων ἐν ταῖς παλαίστραις τῇ ὑποκειμένῃ κόνει· καὶ τοῦτο καλοῦσι πάτον κ. λ. qui locus vtique est notandus: Conf. huc LVCIAN. de *Gymnas. pag.* 290. *Tom.* II.

 opp.

d) *M. c. L. V. c. XI.* e) *Lib. I. c. 2.* f) *Lib. II. c. 107.*

opp. inprimis autem SALMAS. in *Comment. ad Tertullian. de Pallio, pag.* 216. *sqq.* add. MERCVRIAL. FVLLER. IOVBERT. de *Gymnas. cap.* 24. *pag.* 369. *Tom.* I. *Thes. Antiq. Roman. nou.* per SALLENGRE. Taceo, quae ex GALENO, et aliunde, adferri possent, quis enim vehementioris exercitationis alius potest esse effectus, nisi sudatio? Et haec de primo. Iam de *Balneo.* Hoc inter alia etiam inseruiebat sudoribus pellendis: HIPPOCRATES *Libro de Loc. in Hom.* §. XXX. ὡς ἀπὸ τοῦ λουτροῦ ὁ ἱδρὼς ἐγγένηται: ibidem quibusdam interiectis: g) λούειν χρὴ πολλῷ καὶ χρίειν ὑγρὸν, καὶ θερμαίνειν ὡς μάλιστα, ὡς ἡ θερμωλὴ, ἀνοιχθέντος τοῦ σώματος, ὑπὸ ἱδρῶτος ἐξέλθῃ: CELSVS: *sudor balneo elicitur* etc. Balneum excipit *Vnctio,* cuius saepius apud HIPPOCRATEM mentio fit; bina tantum in praesenti allegabo loca, eaque insignia: *Libro de Diaet.* II. §. XLV. expressis verbis meminit χρισμάτων ἱδρωτικῶν seu *vnguentorum exsudatoriorum:* Sed plenius de iis agit *Lib. de Diaet.* III. §. XVII. vbi de febricitante est sermo, ἀγαθὸν τοῖσι χρίσμασι χρέεσθαι τοῖσιν ἱδρωτικοῖσιν ὑπὸ τὰς κρίσιας, ἐξαναγκάζουσι γάρ: Et licet HIPPOCRATES, pro more, non indicauerit, ex quibus simplicibus parata fuerint haecce vnguenta; scimus tamen ex GALENO atque AETIO, h) quaenam ipsorum compositionem fuere ingressa, v. g. nitrum, Anethum, Althaea, Aristolochia, Casia, Silphium, etc. Tandem et de *Vestium* seu *stragulorum impositione.* Hoc quantum iuuet ad corpus sudore perfundendum, nostrates sciunt, immo et ipse summus vester SYDENHAMVS simplicem hanc sudorem proliciendi methodum in febribus pestilentialibus summopere commendat, sed sciuit et HIPPOCRATES. i) Praeter locum a Te et a Cl. CLERICO allegatum, duo solum producam: *Libro de Morb.* II. §. XXXVIII. κατακλίνας ἐπιβαλλέειν ἱμάτια, ἕως ἂν ἱδρώσῃ: Ibidem §. *sq.* XXXIX. Ἱμάτια ἐπιβαλὼν, ἕως ἐξιδρώσῃ. Quibus add. quoque *Lib. de Intern. Affect.* §. XXX, 36. et in *sqq.* Sed haec de externis. Quae etiam admittit SCHVLZIVS, *Hist. Med. pag.* 270. frustra tamen simul negatis ipsis internis. Poteram his etiam addere *Frictionem,* item *calorem siccum,* cuius et CELSVS meminit, quorum etiam mentionem fecit HIPPOCRATES:

g) §. *XXXVIII.* h) *Aet. lib. III.* i) *II. Epid.*

CRATES: Verum ne diutius circa externa haereremus, duos istos modos lubens omisi, inprimis, quum ea, quae hactenus dixi, tanti sint, credo, roboris, vt maculam possint abstergere HIPPOCRATI de sudoriferorum licet, non diffiteor, vt plurimum simplicium, ignorantia male adspersam.

Adgredior nunc ad ea remedia, quae interius adhibuit HIPPOCRATES, pro scopo sudorem prouocandi. Sterilior, fateor, hic et campus et messis est; interim tamen nec talia penitus ignota fuere diuino illi Medico, vt mox patebit: quod et inprimis notandum contra praeceps SCHVLZII iudicium, de quo supra. Egregius sane locus est in II. *Epidemiorum* libro, vbi HIPPOCRATES vestimentis bene contecto immo grauato suadet farinam plurimam et calidissimam edere, vinumque meracum insuper bibere, vt corpus sudore copioso madeat. Sed obiicis V. E. hunc librum HIPPOCRATI falso esse adscriptum: Ego vero adfero, pace Tua, recte ipsi fuisse adscriptum. Dixi iam superius de hoc negotio aliquid: repetam illud hic, et addam huic quidpiam. EROTIANVS illum pro HIPPOCRATIS foetu agnoscit, post CAELIVS quoque AVRELIANVS, ipso GALENO antiquior, vt recte adserunt SICHARDVS, GVINTERIVS ANDERNACAS, VOSSIVS et alii, quamuis contradicat REINESIVS et ex eo Cl. CLERICVS: (Nam si etiam GALENVM non laudasset, certe eum notasset, vt aliis fecit ipsique adeo HIPPOCRATI, loco abs Te allegato; nec est, adnotante eodem Critico, quod statuamus, eum ab GALENO consulto abstinuisse, quia ille polleret ingenio iuxta et dicendi facultate, quis enim illud de AVRELIANO credat? sed haec obiter.) Tandem et ipse GALENVS eum ab HIPPOCRATE scriptum fuisse pronunciat, licet tantum πρὸς ὑπόμνησιν, vt loqui solet, qui eundem etiam Commentariis illustrauit, etsi hodie deperditis: Plura videri possunt in doctissima *Foesii praefatione*, quam huic libro a se commentariis locupletato, praefixit. Add. SPONII *Praefat. ad Aph. Hipp. nouos*, et LEMOS. aliosque. Scripsit ergo HIPPOCRATES hunc librum et hinc iure auctor est remedii sudoriferi in ipso descripti. Sed et de meo nunc aliquid addam. Allegaui superius paullo, locum, ex *Lib.*

de Morbis II. §. XXXVIII. vbi febre tertiana correptum reclinatum ſtragulis cooperire iubet, vſque dum exſudet; ante autem, quam id fiat, inquit: πίσαι τὸ τρίφυλλον καὶ ὀπὸν σιλφίου ἐν οἴνῳ ἰσοκρατέει. De quo inſigni HIPP. loco vid. egregie docteque differentem IAC. SPONIVM, in *Aphoriſ. Nou.* 62. *Sect.* V. *pag.* 367. *ſq.* Cogitaui hic praeſcriptum eſſe ab HIPPOCRATE ſudoriferum: Silphium enim, et inprimis eius ſuccum θερμότατον εἶναι καὶ θερμαίνειν γεναίως, teſtantur DIOSCORIDES, THEOPHRASTVS, GALENVS, et ex eo AETIVS, itemque PLINIVS, quod et de trifolio idem notat GALENVS, cum AETIO. Et quod ad prius, ſilphium puta, attinet, inuenio frequentiſſimi variique apud antiquos illud fuiſſe vſus, quod SVIDAS, et Scholiaſtes ad *Ariſtophanis Aues*, vt et Cl. CLERICVS [k]) teſtantur, praecipue vero SALMAS. *Exercit. Plin. pag.* 249. *ſqq.* et *pag.* 720. BOD. A STAPEL, ad *Theophraſt. L.* VI. *pag.* 589. *ſqq.* HEMSTERHVS. ad *Pollucis Lib.* IX, *cap.* 6. *pag.* 1027. *ſqq.* CASAVB. ad *Athen.* III, 21. *pag.* 198. BOCHART. ad *Steph. Byz. pag.* 795. *opp. Tom.* I. aliique plures, laudati iam nobis maximam partem, *Lib.* IV. *Obſeru. Crit. cap.* 13. *p.* 364. Adde inprimis his cunctis, LANGIVM; hinc et apud HIPPOCRATEM [l]) ſilphium vbique fere laudatur et praeſcribitur: Forte igitur hoc in loco, etiam adhibitum fuit, ceu ἱδρωτικὸν, nam AETIVS refert inter τὰ ἱδρώτων κενωτικὰ intus ſcil. aſſumta, etiam τὸν ὀπὸν κυρηναϊκὸν, [m]) qui cum ὀπῷ σιλφίου idem fere, certe, ex vno eodemque genere eſt, vt ex GALENO demonſtrat FOESIVS, vt et SALMAS. *Exercit. Plin. pag.* 52. 56. et alibi; item BOD. A STAPEL, ad *Theophr. loc. cit.* nec improbabile eſt, priſcos Cyrenaicum potius, quam aliud adhibuiſſe ſilphium, quia hoc et ſuauiorem odorem ſpiraret, et mitiorem ſaporem referret. Sed haec cogitaui tantum, neque ego coniecturam pro veritate ἀναντιλέκτῳ vendito. Imo nunc eſt ipſa veritas certiſſima, et non amplius coniectura incerta. Ita enim manifeſte DIOSCORIDES, *Lib.* III. *cap.* 94. κἂν ἐπ' ὀλίγον τις ὀποῦ κυρηναϊκοῦ γεύσηται, ἰκμάδα κινεῖ καθ' ὅλον τὸ σῶμα. *Liquor Cyrenaicus.*

etiamſi

k) *H. M. P. III, Lib. II. cap. 2. pag.* 82.

l) *Epiſt. Med. I, LXXII.*

m) *Lib. III. cap.* 157.

etiamsi tantillum quis ipsum degustauerit madorem seu sudorem, toto corpore ciet. Et manifestius adhuc PAVLVS AEGIN. *Lib.* I. *cap.* 48. ὀπὸς κυρηναϊκὸς πινόμενος, ἱδρωτικός ἐστι. *Liquor Cyrenaicus potu assumtus, sudorem mouet.* Eadem quoque habet AETIVS, loco supra iam citato. Omitto alia sciens. Inde ergo non amplius dubium, HIPPOCRATEM quoque in hoc ipso loco, commendasse hunc silphii succum, ceu remedium sudoriferum internum, praestantissimum et suo inprimis tempore, vsitatissimum: quod ipsum tamen nesciisse videtur hic FREINDIVS, vna cum suo inermi armigero, KINGIO feroculo. In libro *de Locis in Homine* §. XXXIX. inuenio sudoriferum, quod et simul est diureticum, vt plura alia, quod intro sumendum febrienti propinat HIPPOCRATES: Καὶ πίων ὕδωρ θερμὸν καὶ μελίκρατον, καὶ ὄξος σὺν ὕδατι. Ταῦτα δὲ πιπίσκειν ὡς πλεῖστα. ἢν γὰρ μὴ ψυχρὸν ἐσίῃ τὸ ποτὸν θερμὸν ἐὸν καὶ μένον, ἐκ τοῦ σώματος τοῦ νοσέοντος ἀφερέει, ἤντε διουρήσῃ, ἤντε διιδρώσῃ. Hoc sane hidroticum, sicut simplicissimum, ita vsitatissimum videtur priscis fuisse Medicis: Ipse latinus HIPPOCRATES seu CORN. CELSVS, vt et huius caussam veluti in transitu agam, hoc sudoriferum, i. e. aquam calidam, commendat his verbis: n) *Si qua eius* (aduentantis sc. sudoris) *nota est, tunc demum dare potui calidam aquam, cuius salubris effectus est, si sudorem per omnia membra diffundit.* Praesertim vid. huc rursus HIPPOCRATEM loco insigni et maxime huc spectante, *Lib. de Intern. Affect.* §. XXX, 33. add. PAVL. AEGINET. loco supr. cit. similiter AETIVS ex RVFO, *de aquis*, notat *Lib.* III. *cap.* 165. *fol.* 63. θερμὸν ὕδωρ ἁρμόζει, ὅταν διαφορῆσαι βουλόμεθα, vbi et mox additur: καὶ οὖρον ἀγαγεῖν, de quo nos plura in sequent. vbi de Diureticis tractabimus. Sed haec sufficiant iam de sudoriferis Hippocraticis siue *in-* siue *externis:* Si HIPPOCRATIS φαρμακῖτιδα seu libellum medicamentarium, quem saepius ipse citat *Libro de Affectionibus* et *alibi*, adhuc haberemus superstitem; non dubito et caput in eo inuentum iri de sudoriferis interne adhibendis. Nam alias raro medicamenti compositionem refert, licet nominet hoc vel illud remedium: Saepius etiam, quod et TVTE ipse V. E. o) obseruasti, ne nominat qui-

n) *Lib. III. C. VI.* o) *Comment. I. pag.* 12.

quidem remedia ob breuiloquentiam, etsi ea adhibuit: Saepissime vero nulla quoque adhibuit, vbi sciret, naturam sibi ipsi inuenturam τὰς ἐφόδους, vt ipse ait, sibique ipsi suffecturam ad malum profligandum. Hincque est, quod in *Epidemiorum libris* adhibiti sudoriferi rarissime incidit mentio: quid enim opus erat medicamentis, vbi sua sponte natura aegrorum corpora sudore perfunderet, sicque morbum finiret? quod tot paginis, legitur in *Primo*, *Tertio* et *Septimo Epidemiorum libris*. Sed ne de sudore scripsisse videar cum sudore, verbum amplius non addo. *)

Progredior iam ad *Commentarium Quintum*, in quo de Pleuritide ac peripneumonia, harumque, si qua est, differentia, actum fuit. Meum hic esse non puto, litem illam et olim, et hodie impigre agitatam, dirimere, vtrum pleura a materia acri stagnante seu sanguine intercepto inflammata *diu sola* possit adfici, ita vt non potius ipsos vicinos pulmonum lobos ratione tenerrimae eorum texturae, simul in consensum rapiat affligatque: an vero *gradu tantum extentuque latiori*, quae SYDENHAMI, ETTMVLLERI, et quos ille allegat, HOFFMANNI, SWIETENII, BARONII, HEVRNII, MORGAGNI, BAGLIVI, WILLISII aliorumque virorum celeberrimorum fuit opinio, duo hi inter se differant adfectus, ita vt peripneumonia *aucta sit et intensa pleuritis*, *seu pleuritidis continuatio*, *pleuritis vero incipiens quasi et futura peripneumonia*. De qua illustri et maximi sane momenti controuersia, postea ex instituto, fusius, distinctius, et, nisi fallor, solidius tractaui in Libello satis noto, *de Pleuritide*, *Cap.* I. *pag.* 12. *sqq.* imo per totum, item in adiecta Appendice, *pag.* 163. non improbante illustri VAN SWIETEN in *Comment. Boerhaau. Tom.* III. *pag.* 7. *sqq.* summo istius nostri Libelli fautore ac patrono, vti ex tota illa pulcherrima et doctissima, de pleuritide, Tractatione, vbique affatim patet; de quo singulari prorsus tanti Viri fauore nobis merito impense gratulamur, imo laeti

*) Ceterum, quum nihil solidi haberet KING, quod iuste opponeret his ipsis solidis meis argumentis; hunc demum subitum nostrum nec degenerem, opinor, ingenii lusum minus ingeniose impugnavit. Licet igitur nesciam, nec scire cupiam, an ipse frigido sudore perfusus fuerit; id tamen certe scio, eum tum frigidos et indecoros tantum iocos contra nos effudisse.

laeti gratique hic publice gloriamur. Sed haec data hic occasione. Hinc mirum non eſt, veteres vtrique harum easdem notas aſſignaſſe characteriſticas, eandemque praeſcripſiſſe medendi methodum, quum ſcirent, certe crederent, eas gradu tantum a ſe diſtare ac tempore. HIPPOCRATES, ad quem nunc redeo, multis in locis, vt in I. II. III. *de Morbis libris*, *de Affectionibus*, *de Victu in morbis acutis*, *et alibi* ſaepe tractat ſedulo, et de pleuritide, et de peripneumonia, ita tamen, vt ambos hos affectus, ceu fidos ſodales, nunquam non coniungat, deque pleuritide prius, de peripneumonia vero agat poſterius, praecedit minus, ſi ita quidem de morbo illo ſatis atroci et periculoſo, certo nempe modo ac reſpectu, dicere liceat; ſequitur maius, vt fit: in quo et CELSVS, CAELIVS AVRELIANVS et multi ex veteribus alii, et quos ſupra partim laudaui, recentiores eum ſtrenue fuere ſequuti. *De pleuritide*, ſcribis, V. E. *quae peripneumoniam non habuerit adiunctam, niſi ſemel apud Hippocratem, nihil vſquam legimus.* Ex cauſſis nimirum ſupra allegatis: Interim tamen HIPPOCRATES non eo tantum in loco, quem ex *Lib. de Morbis* I. produxiſti, ſeorſum conſiderauit pleuritidem a peripneumonia, ſed et in aliis. Sic *Lib. de Affectionibus* aperte ſcribit: ἔστι δ' ὅτε καὶ ἐκ πλευρίτιδος μεθίεται ἐς περιπλευμονίην καὶ καῦσον: Reliqua loca, quae ſuperius indicaui, ex *Libb. de Morbis etc.* vbi itidem pleuritidem deſcribit per ὀδύνην ἐς τὸ πλευρὸν, peripneumoniam autem per pulmonum ex acribus humoribus ab ipſis hauſtis, turgeſcentiam et inflammationem, vt alia ſigna nunc taceam; adſcribere taedet, poſſunt enim a quouis legi et notari. Quod dictum ſibi inprimis putet KING, etiam hic, vt ſemper nempe vbique, fruſtra nobis obſtrepens, vt iam monuimus in *Append. Libelli de pleuritide, pag.* 163.

In Commentario VIII. qui de Vrinae agit profluuio quaeritur: *an Hippocrates vrinam mouentia in Febribus adhibuerit?* et reſpondetur dubitando, immo negando. Ego vero cur dubitem? cauſſae nil video. Superius locum adduxi ex libro de *Locis in Homine*, vbi optimus ſenex febricitanti potum calidum propinauit, vt vel per ſudorem, vel per vrinas, peccantem, vt aiunt, materiam ſeu vitioſos humores

resolueret expelleretque. At obiicis hic, V. E. potiones diluendi tantum habere vim, non diureticam: Esto! si non primario, vt loquuntur; habent tamen secundario: per indirectum tamen vrinam mouent, dum sanguinis molem, vt ipse ais, in citatiorem liberioremque cursum abripiunt, vnde τὸ ξυνεςηκὸς, HIPPOCRATIS sunt verba, θερμαινόμενον λεπτύνεται τε, καὶ ξυνεξωθέεται ἐκ τῆς σαρκὸς ἔξω. quale et apud AET. et AEGINETAM, occurrit, vt supra iam notatum. Nil igitur, certe parum, interest, vi propria agant potiones eiusmodi calidae, an vero per accidens, modo agant in corpus, et iuuent. Inprimis, quum et ipsa simplex aqua, dum varia in terrae cryptis alluit mineralia, varias hinc inde imbibat particulas, quae stimulandi iuxta et expellendi vim habere videntur, vt adeo et huius respectu, i. e. virtutis suae internae, inter euacuantia, si non primi, postremi certe ordinis, iure quodam referri queat. Qua de re vid. plura apud PLINIVM, *Lib.* XXXI. *cap.* 4. VITRVV. *Lib.* VIII. *cap.* 3. ARISTOT. STRABON. DIODOR. SIC. *Lib.* V. GALEN. AET. et alios; imo ipsum nostr. HIPP. *Lib. de Aer. Aq. et Loc. pag.* 336. vbi vid. in *Comment.* SEPTAL. *pag.* 183. *sqq.* et ibidem MARTIN. *pag.* 63. *sqq.* quibus add. inprimis SENECA, *Lib.* III. *Quaest. Nat. cap.* 24. *et seqq.* Legi hic merentur binae dissertationes celeb. HOFFMANNI de *Aqua Medicina vniuersali*, et de *Aquae natura ac virtute in medendo*, item alia Cl. CHARISII diss. *de Aqua eiusque vsu in Medicina.* Alios vero complures de eodem argumento, Auctores, diligenter collegit SCHWERTNERVS, in amplissima Sylloge, *de Aqua, Medicina vere vniuersali:* vt iam taceam Celeb. HAHNIOS nostros, patrem et filium, vtrosque φιλύδρους καὶ φιλολούτρους, ceu cuiuis inter Medicos, notissimum. Sed redeamus ad HIPPOCRATEM. In febribus sic dictis biliosis, praesertim vbi icterus, semper fere praescripsit diuretica, vt ex eodem de *Locis in Homine Libro* §. XL. patet. Praecipue notandus est locus ex II. *de Morbis* §. XXXV. 16. vbi πυρετὸς βληχρὸς, post suadet διδόναι πίνειν διουρητικά: immo *lib. de Morbis* III. XXXI. diuretica ipsa recenset v. g. pulegium, apium, mentam, coriandrum etc. dicitque demum: πάντα τῷ πυρέσσοντι ἠθριασμένα δίδου, vimque huius medicamenti addit

in

in his: Τȣτο δὲ ȣ̓ρεῖται καὶ διὰ τῆς κοιλίης χολὴν ἄγει. Praecipue vero *Lib. de Affect.* §. XLVIII. varia ſimul recenſet diuretica, ex regno vegetabili potiſſime deſumta, alia leuia, alia vero ſatis quoque fortia, de quo loco vid. SCHVLZII *Hiſt. Med. pag.* 268. Sed ſatis de his, ad finem propero: hinc nolo in praeſenti plura adducere loca, nec illud multa opera probare, quod facile probari poterat.

Extremum ergo iam occupent Cantharides pro inſigni ſuo, quem ſpirant, foetore. De his earumque in veſicatoriis, vſu plane egregio elegantiſſime agit *Commentarius* Tuus *Nonus* ſeu vltimus. Contra quem tamen, inprimis, quod ſpectat ad generalem nimis Cantharidum, in omnibus ſine vlla diſtinctione, febribus, vſum, quaedam nuperrime admodum prudenter monuit Celeb. et praeſtantiſſimus MOLINARIVS, in elegantiſſimo Libello, de *Miliaribus Exanthematibus, pag.* 169. *ſeqq.* digna omnino, quae ſedulo expendantur. Ibi inter alia ſcribis *Hippocratem Cantharidas ſaepe commendaſſe vt medicinam introſumendam,* (reſectis ſcilicet, vt recte obſeruat Cl. CLERICVS et LANGIVS, alis et pedibus, addo et capite) *ad veſicas vero excitandas nusquam adhibuiſſe, quanquam aliquid de earum virtute, vel Hippocrates, vel alius quiſpiam, etiam quum cuti admouerentur, odoratus fuiſſe videatur, qui enim,* pergis, V. E. *libellum de Superfoetatione, ſcripſit, illas inter alia irritandi inſtrumenta, ad purgandum vterum, peſſo immiſceri praecipit.* Haec omnia bene. Id autem demiror, quod, quum loca longe clariora et certiora paſſim, immo ſaepe, in genuinis HIPPOCRATIS ſcriptis occurrant, vbi Cantharides pro *expulſorio et Appoſititio acri ſanguinemque ducente externe commendantur;* hic vnicus tantum ex *libello de Superfoetatione* incerto, isque perobſcurus, vti modo dixi, allegatus ſit, quod et feciſſe, animaduerto, *Auctorem Indicis Editionis Hippocratis Lindenianae,* quaſi hoc vno ſolum loco HIPPOCRATIS niteretur auctoritas. Sed producamus iam illa loca, quae dixi clariora certioraque. *Libro de Nat. Mul.* §. XXIV. πρόσθετα· δριμέα αἷμα ἄγοντα· κανθάριδας πέντε ξυμμίξας τῷ λιβανωτῷ κ. λ. *Lib. de M. M. I.* §. *C.* eadem leguntur verba, vbi tamen additum eſt: ἐπὴν δάκνηται illud ſc. ſubdititium ex Cantharidibus paratum: ibidem paullo poſt: κάνθαρις θᾶσσον κατασπᾷ: §. CVI.

eiusdem, quem dixi, *libri*, de eodem ex Cantharide pesso dicitur: ἢν δὲ ἀμύσσηται καὶ δάκνῃ: Conf. et §. CVIII. de quo tamen loco dubio, vid. FOES. et SCHVLZII *Hist. Med. pag.* 268. *sq. Ibidem* §. CXXVIII. Διεκβόλιον· ἐλλέβορον μέλανα, καὶ κανθαρίδας etc. τρίψας ἐν ὕδατι καὶ ποιήσας βάλανον --- post: ὅταν δὲ αἷμα φανῇται, ἀφελέσθω. Inde forte nunc aliquam lucem accipiat obscurissimus, ille HESYCHII locus: Σκάραιβον, αἱμοποιόν, ita vt Scarabaeus, seu Cantharis intelligatur, quae sanguinem educit. Supra dixerat ἑλκοποιὸν κανθαρίς. Sic et noster Libro *de M. M.* II. §. LIX. mulieri hydrope vterino laboranti hoc suadet πρόσθετον: Κανθαρίδας τρίβουσα προστιθέσθω ὀλίγον χρόνον καὶ διὰ πλείονος ἐνεργεῖ. Haec sunt illa loca, quae HIPPOCRATEM vsum Cantharidum externe adhibitarum σπαστικὸν nequaquam ignorasse, perspicue satis edocent. Plura in iisdem de *M. M.* inueniet *Libris* et alibi, cui volupe, spissos illos commentarios peruoluere. Ceterum vero vsum Cantharidum externum σπαστικὸν, priscis quoque, post HIPPOCRATEM, Medicis, vt ARETAEO, ARCHIGENI, AETIO, GALENO, aliisque, non ignotum fuisse, dudum ante tuam praeclaram operam, hic impensam, liquido demonstrarunt SARACENVS, *ad Dioscorid. Lib.* II. *pag.* 32. LANGIVS, *Epist. Med.* 47. *Lib.* I. *pag.* 210. et PET. PETIT. *ad Aret. pag.* 278. et alii nonnulli. Ego officio meo perfunctus mihi videor, quum pauca produxi, sed clara, idque, quod volui, satis, opinor, comprobantia. Licet aliud hic visum fuerit KINGIO, cui semper fere aliud potius videtur, quam melius, aut verius. Frustra enim grauem liquidamque omnium horum locorum auctoritatem in dubium vocat, vt tantum habeat, semper quod temere obloquatur, et in ipso meridie spissam tamen caliginem adesse, audacter pronunciet.

Verum hic terminus esto! Plura profecto scripsi, ac primo volui: Adeo rerum hic tractatarum varietas in varia me deduxit, immo inuitum paene abripuit. Ceterum eos, in quorum forte manus veniat leuidense hoc scriptum, quique studiis his amoenioribus capiuntur, rogatos velim perquam officiose, vt, si quid habeant, aut meditati fuerint, quod ad illustrandum faciat HIPPOCRATEM, id mecum beneuole

neuole communicare, haud recuſent: Ego hocce beneficium grato agnoſcam animo, publice aliquando illud laudaturus. Hae meae preces humaniſſimae, poſtea in ipſo meo *Specimine Hippocratico*, 1728. *Lugd. Bat.* edito, impenſius publice iteratae, haud caruerunt exoptatiſſimo effectu euentuque. Mox enim ex ipſa *Anglia*, *Batauia*, *Heluetia*, *Gallia* et aliunde Viri praeſtantiſſimi Celeberrimique, RICH. MEAD, PETRVS BVRMANNVS, SAM. BATTIERIVS aliique plures, certatim quaſi ad me ſua ſponte, miſerunt acutiſſimas, doctiſſimasque in ipſum HIPPOCRATEM, obſeruationes, emendationes et cum Codd. MStis collationes varias, quantiuis ſane pretii et maximi ponderis: pro quibus ſummis beneficiis et eximiis ſubſidiis, omnibus illis Viris generoſis ac liberalibus maximae hic a me debentur, immo publice aguntur, grates. Conf. de hac ſingulari HIPPOCR. noſtri felicitate, *Epiſt. noſtr.* I. *de Anthracibus et Variolis Veterum*, ad Celeb. HAHNIVM.

TV vero, VIR EXCELLENTISSIME, vale, mihique, ſi dignus TIBI viſus fuero tanto honore, aeternum faue!

Scripſi Lipſiae, A. O. R. CIↃIↃCCXVIII.
Kal. Febr.

* * * * * *
* * *

Contra hanc noſtram Epiſtolam, modeſtiſſimam ſane, nec forte prorſus ſpernendam, etſi iuuenilem, ferociter tamen inſurrexit biennio poſt, incognitus nobis, nec vnquam laceſſitus, Britannus quidam, IO. KING vulgo dictus, edita ſcil. *Epiſtola* grandi, verboſa et ventoſa, *Cantabrig.* 1722. in qua, vt FREINDII ſui gratiam aucuparetur, ipſum aliquoties humani quid paſſum, dum ſcil. de nonnullis HIPP. placitis nimis confidenter ac ſecure, pronunciaret, pro exiguis ſuis Viribus, defendere adniſus eſt. Sed, vt ingenue fatear, demtis frigidis nonnullis ſcommatis, et inanibus ſcemmatis, tricisque grammaticis ſterilibus, parum certe remanebit, quod aliqua attentione dignum ſit. Interim tamen reſponſionem parabamus ad ipſius monita qualiacunque: Mox vero interueniente ſubita iſtius morte; nefas omnino duximus propoſitum iſtud vlterius proſequi, aut cum laruis et vmbris incaſſum luctari: vt iam monuimus in *Append. ad Lib. de pleuritid. pag.* 163.

DE NOVA HIPPOCRATIS EDITIONE ADORNANDA, COMMENTATIO:

QVA
ANIMVM APERIT ATQVE SIMVL
AD
SYMBOLAS CONFERENDAS
ERVDITOS INVITAT
DANIEL WILHELMVS TRILLERVS,
PHIL. ET MED. D.
QVI ET SPECIMINIS LOCO
LIBELLVM
DE ANATOME
RECENSVIT, EMENDAVIT, ET COMMENTARIO MEDICO-CRITICO PERPETVO ILLVSTRAVIT.

COMMENTATIO DE NOVA HIPPOCRATIS EDITIONE ADORNANDA.

PROOEMIVM.

Nouam me HIPPOCRATIS Operum moliri Editionem, cum ex ea, quam nuper edidi, *Epiſtola Medico-Critica*, tum aliunde conſtare arbitror. Ne autem aliquis inducatur, vt credat, me heri tantum aut nudius tertius, de HIPPOCRATIS opere edendo cogitare coepiſſe, aut per quietem Nouam illam Editionem vidiſſe, hincque illi in *Almelouenii Bibliotheca promiſſa et latente* locum aſſignet ſuum; meque ipſum inter magno promiſſores hiatu, quorum tamen nominibus, etiam magnis, iam ſtudio, ex modeſtia et amore, parco, referat: de quibus, ſi placet, vid. STRVVII *Introduct. in Notit. Rei Litterar. mox Cap.* I. et paſſim, item *Supplem. pag.* 5. *ſqq.* et alii plures eiusmodi Scriptores: ſciat

ſciat velim, me per duodecim integros, et quod excurrit, annos iam lapidem iſtum voluiſſe, *) mihi Coum cotis vice fuiſſe, quae meum ingenium acuit, et exercuit. Dictu enim incredibile, abſit hic omnis vana iactantia, et inanis gloriatio! quam multa interea temporis obſervarim ab aliis praeteruiſa; quam praeruptos ſcopulos complanarim; quam denſas ſaepe tenebras diſcuſſerim; quot deſperata et immedicabilia loca perſanauerim; quos perlegerim Commentarios, (nam et meminiſſe animus horret,) quo omnibus modis HIPPOCRATI meo, quem tam efflictim a puero paene adamaueram, ſuppetias ferrem, et nihil non tentarem, vt ſenili ſqualore, quo huc vſque obſitus erat, exuto, rugiſque, in quas libera eius frons erat complicata, explanatis, habitu plane iuuenili et explicatiore fronte in dias luminis oras aliquando exiret. Vt igitur eo luculentius appareat, quid in Hippocrate edendo praeſtiterim, aut potius praeſtare poſſim, ſi ClementiſſimumNumen vitae meae ſpatia vſque et vſque proterminauerit; quum alias exiguum nobis illius curriculum natura circumſcripſerit: viſum eſt *praeſenti Diatribe* totius aedificii rudimenta, ſeu operis futuri Oeconomiam breuiter delineare; quo deliciarum Hippocratearum ſtudioſi in tempore adhuc me monere poſſint, ſi quid illis aut mutandum, aut addendum, aut denique reſcindendum videatur. In *duas* autem *partes*, melioris ordinis ergo, dicta mea diſtribuam; ita, vt primo de ipſius *Editionis forma*, *habitu*, *verſione*, et ſimilibus, quae ad *merum textum* reſpiciunt, tractem; deinde ſtrictius, de *mea commentandi ratione*, quam ſeruaturus ſum in Hippocrate edendo, agam, vbi ſimul de *veteri commentarios ſcribendi more* quaedam diſſeram, atque ſimul demonſtrabo, quid in illo laudandum, aut potius reprehendendum videatur: tandem vero et eos inprimis allegabo, qui in *Hippocrate illuſtrando rectam viam ingreſſi* fuerunt; quos ſequi tentabo, cum in vniuerſo meo *Commentario*, tum in *ſpeci-*

*) Iam vero, quum haec ipſa ſcribo, et denuo recenſeo, plus quadraginta anni abierunt, ex quo HIPPOCRATEM ipſum nocturna diurnaque manu, quam diligentiſſime verſaui; adiutus non ſolum ingenio et induſtria qualicunque; ſed et ſimul praeſtantiſſimis Virorum doctiſſimorum ſubſidiis aliquanto inferius, enarrandis meritoque laudandis, nec non variis Lectionibus egregiis, ex diuerſis Codd. MSt. in itineribus, operoſe collectis, abunde inſtructus et locupletatus.

specimine, quod subnectam, h. e. HIPPOCRATIS *Libello* περὶ Ἀνατομῆς, seu de *Corporum resectione*. Haec totius huius Schediasmatis sciagraphia est. Iam de vtroque capite strictim et breuiter quaeso agamus.

SECTIO PRIMA.

De Noua Hippocratis Editione in genere.

I.

Omnes, quotquot hactenus habuimus HIPPOCRATIS Editiones, forma praegrandi, *folio* vulgo dicta, prodiisse constat. Non loquor hic de primis *Aldina* puto atque *Frobeniana*, quippe quae forma maiorem inter et minorem media quidem impressae; sed quum eae rudes admodum sint et mancae, immo et deprauatae, praeterea etiam versione Latina atque adnotationibus orbae, iis potius, qui in spinoso aridoque Agello Critico, aut potius Grammatico solum imperant, atque vocularum tantum apicibus venandis operam impendunt ingloriam, notae sunt, quam Medicis. Sed de posterioribus mihi potius hic sermo est, quae cum versione et Commentariis excusae sunt, quales MERCVRIALIS, *vtraeque* FOESII, et demum CHARTERII fuerunt. Est tamen et praeter has vna adhuc forma minore, quam *Octauam* vocant, a LINDANO procurata; quae nullo sane suo merito, nisi forte, quod facile circumferri manibusque teneri possit, ceterum enim omnium est vilissima et negligentius curata, vt alibi dixi, et ipse agnouit SCHVRTZFLEISCHIVS, *Tom.* II. *Epist. Arcan. Ep.* CCXCIX. *p.* 447. hactenus sese in eruditorum familiaritatem insinuauit. Sed taceo iam postremam Edit. Viennensem, 1743. exterius quidem satis splendidam; interius autem tanto viliorem et steriliorem, de qua vid. *Epist. nostr. Med. Crit. ad Freind.* Has igitur singulas HIPPOCRATIS Editionis si aequa animi lance trutino; priores ob insignem suam molem atque tumorem lectoribus sunt molestae, hincque vix tractabiles: postrema e contrario quae LINDANI est, nimium curta et arcta, propter obseruationum defectum admodum sterilis, et propter minutissimos characteres multis, praesertim Senioribus et visu acuto destitutis, valde ingrata sit, necesse est. Vtrique igitur huic malo vt medear,

Nouam meam *Editionem* forma inter maximam illam, hancque minimam, media, h. e. *quarta maiori*, vt loquuntur, excudi curabo, et quidem *duobus Voluminibus*: similem plane in modum, ac DIOGENES LAERTIVS cum Commentariis MENAGII et Variorum, per WETSTENIOS elegantissime olim luci fuit expositus. Hac enim ratione luculentus non solum Graeci textus Character adhiberi potest; sed et notae eidem textui statim subiici poterunt: praeter haec etiam aeque ac LINDANI Editio, facile tractari potest et diurna nocturnaque manu commode versari. Si enim Lindeniani libri formam retinere esset animus; tum et eosdem minores oculorumque aciem obtundentes typos retinere necesse foret: et si textui notas subdere vellem, vt fieri debebat; tum illa editio crassitie nimia necessario deformis et indigesta euaderet. Quae incommoda tuto euitare possum, si *formam*, vt dixi, *quartam* elegero. His duobus Voluminibus accedat *Tertium*, in quo FOESII *Oeconomia Hippocratica*, ad nouam hanc Editionem quoad paginas accommodata, et passim a me emendata, et locupletata: additis etiam EROTIANI atque GALENI Glossariis pariter vbique correctis et castigatis. Sane luculentissimo illo opere nemo carere potest, qui inoffenso pede HIPPOCRATEM et adire et pertransire animum induxit; quum immortalis illius palatii Architectus tantam curam in condendo eo adhibuerit, tantaque eruditione illud, ceu opere tessellato et musiuo, vbiuis exornauerit; vt opus illud supra omnem laudem titulosque omnes positum videatur: ipse PATINVS, parcus ceteroquin scriptorum laudator, *excellentem librum* merito appellauit; *Epist.* 398. *pag.* 185. *vol.* III. Vnde et factum, vt ob exemplarium subito diuenditorum penuriam, illud et insano paene pretio non solum comparari, sed et adeo rarissime comparere coeperit.

II. Ex atrio, seu externa libri forma, in ipsum conclaue, seu ipsum Librum iam intremus: Mox in limine, vniuerso Operi luculenta et copiosa praemittentur *Prolegomena*, in quibus de stemmate tam paterno, quam materno, aetate, studiis, peregrinationibus, moribus, religione, meritis in artem salutarem, inuentionibus, scriptis, stylo, dialecto, (de qua et nuper aliqua scripsi, nempe in *Apologia pro Hippo-*

crate, et praecipue in *Epiſtola Med. Crit.* ad Cl. Freindium,) tandem morte Magni noſtri HIPPOCRATIS accurate acturus ſum. Ordo enim videtur maxime naturalis, Auctoris alicuius Biographiam praemittere, priusquam ad eius ſcripta peruoluenda accingamur, quam, quod FOESIVS et LINDANVS, infauſto hercle omine, fecerunt, HIPPOCRATIS vitam in Operum calcem reiicere. Ineptum enim videtur, prius alicuius ſcripta legere, et demum quaerere, quis ea ſcripſerit, et quis fuerit Auctor. Quum e contrario eiusmodi introductio Libris ipſis praefixa, multum conferat ad Auctorem eorundem eo melius intelligendum: monita enim de aetate, more ſcribendi, principiis, et intentione alicuius Auctoris totidem faces quaſi ſunt et Phari, quae Lectores per ſalebras et teſqua in ipſo Opere hinc inde occurentia tuto et facile circumducere, atque feliciter ex iisdem euoluere poſſunt. In ipſa autem HIPPOCRATIS Vita concinnanda ſequar potiſſimum ingenioſiſſimum DACERIVM, qui opuſculis quibusdam Hippocratis, Gallica veſte a ſe indutis, notisque doctis hinc inde illuſtratis, Vitam Auctoris eleganter conſcriptam praefixit; niſi quod ſubinde aliqua interiiciam, ab ipſo omiſſa, fontesque, ex quibus ille ſua hauſit, ſubiiciam; praeſertim autem ex illuſtr. FABRICII *Bibl. Graec. Vol.* XII. *Lib.* VI. *cap.* 7. *pag.* 675. *ſqq.* ne Lectores nos quaedam finxiſſe arbitrentur. Stemma HIPPOCRATIS paternum ex SORANO, SVIDA, TZETZE, PAETO et THESSALO Hippocratis filio conquiſitum, faciliore methodo digeram, quam ab HENNINGESIO atque REINECCIO factum, ac poſtea a MEIBOMIO atque DAN. CLERICO tranſcriptum fuit: Maternum autem, quod nemo, quod ſciam, hactenus congeſſit, ipſe, quouſque licuerit, accurate pertexam. In fine tandem Prolegomenωn, primo de aliorum, qui me praeceſſerunt, in HIPPOCRATEM meritis loquar, deinde etiam ea, quae a me praeſtita fuerunt, ea, qua decet, modeſtia, breuiter ediſſeram.

III. In ipſo *librorum* HIPPOCRATIS *ordine* et *ſucceſſione*, aut diſpoſitione, de qua iam loqui fas eſt, ſequar potiſſimum EROTIANI veteris HIPPOCRATIS Scholiaſtae praeſcriptum, quod et auſpicato fecit FOESIVS; niſi quod quosdam libros male a ſe nonnunquam di-

vulſos

vulſos coniungam iterum atque in ſedem ſuam priſtinam reſtituam. Quum enim veteres Codices Manuſcripti, ipſo FOESIO teſte, in ordine librorum HIPPOCRATIS ſeruando, mirum quantum varient; quod et ipſi poſtea vidimus in Regia Bibliotheca Pariſienſi, et alibi ſaepius, in noſtra peregrinatione, et praeterea SVIDAS quoque aliam eorundem ſeriem, nempe *Iusiurandum, Praedictiones, Aphoriſmos*, et tandem *valde mirabile opus Hexecontabiblon* adnotauit: tutius profecto videbatur, EROTIANVM ſequi; quam, quod MERCVRIALIS, LINDANVS et alii auſi, ſua auctoritate nouam diſpoſitionem inſtituere. Inprimis quum ipſum HIPPOCRATEM eiusmodi ordine libros ſuos ſcripſiſſe et euulgaſſe incertum admodum ſit; prout latius in ipſis *Prolegomenis* demonſtrabitur.

IV. Illos autem Libellos, quos ſuae Editioni, peſſimo conſilio, inſeruit LINDANVS, quosque HIPPOCRATEM, aut aliquem Hippocrateum non ſcripſiſſe, liquido conſtat, quorumque verſiones tantum hodie ſuperſunt, plane reiiciam et omittam: niſi aliud forſan viſum fuerit eruditis huius noſtrae opellae iudicibus ac Cenſoribus, quorum hinc placida decreta auide expectamus. Tales autem ſunt *de Structura Hominis, ad Perdiccam Macedonum Regem*, quem et FOESIVS repraeſentat; de *Significatione vitae et mortis ſecundum motum lunae et aſpectus planetarum; de Sanitate Tuenda ad Antiochum Regem*, in quibus tam putida, vana et ſuperſtitioſa ſunt commenta, vt vetulis, ſagis et circulatoribus digniora ſint, quam perito Medico, nedum HIPPOCRATE; vnde et eos pro genuinis minime eſſe habendos, recte pronunciauit Vir infinitae Lectionis, et inexſuperabilis diligentiae FABRICIVS. Huc et *Liber de ſeptimeſtri partu* ſpurius, obſcuriſſimus; item ille, quem BARTHOLINVS exhibet, de *Puſtulis* inſcriptus, et ex Arabico in Latinum a GOLIO verſus, de cuius tamen auctoritate merito ambigit idem BARTHOLINVS, pertinent. Qui omnes aut certe plerosque, a me merito explodentur, cum quia melioribus dignioribusque locum praeripiunt, tum quoniam nullum plane praeſtant vſum, et manifeſte ſuppoſititii ſunt.

V. Ceterum retinebo ex LINDANO *textus in segmenta diuisionem*, est enim illud Lectoribus gratum et in allegationibus apprime vtile, vt et IONSTONO fuit notatum. Et hoc fere solum est, propter quod placere possit LINDANI Editio, vt alibi dixi. Ceterum enim omnium est miserrima, vt supra iamiam fuit a me monitum: quoniam scilicet et bona versione caret, et malis plerumque audacibusque coniecturis ipsi contextui temere illatis, praeterea vbique abundat, de quibus tamen ipsi securi nimis Lectores, non admonentur; adeo vt hinc saepissime aliud illi legant in ipsius Hippocratis verbis, et aliud rursus in Interpretis Versione: vnde clarissime nunc patet, quam parum fidei illi quidem Editioni Lindenianae merito sit habendum.

VI. *Elogia Hippocratis*, quae idem LINDANVS suae Editioni attexuit ceu fimbrias purpurae, etiam omittam. Nam longe plura poterant addi, et nihil erat, quod eum laudaret, quem omnia secula iure admirantur et laudibus extollunt. HIPPOCRATEM enim laudare idem est, ac facem in ipso meridie accendere, aut vastum Oceanum aliquot aquae guttulis augere velle. Praeterea eiusmodi elogiorum aceruus nullum alium praestat vsum, quam vt libri moles eo citius intumescat, quod tamen a nobis esto alienum.

VII. *Epistolas* tamen *Hippocrateas* non reiiciam, vtut de earum auctoritate MERCVRIALIS, SCALIGER, CASAVBONVS, REINESIVS, MENAGIVS, CLERICVS, RHODIVS, FABRICIVS, BAYLIVS, BRVCKERVS, SCHVLZIVS, et alii dubitarint; affirmante tamen contrarium LEMOSIO, BRISSONIOque, cum nonnullis aliis, vt STANLEIO, et MAGNENO. Nam licet largiar, cum BARTHIO, DILHERRO, SCHOTTO, et aliis, non omnes ab HIPPOCRATE fuisse scriptas; plurimas tamen eum Auctorem agnoscere, a vero haud videtur abludere, vt et recte agnouit Vir Doctissimus HVMPHRIDVS PRIDEAVX in Opere immortali de Connexione sacram inter et profanam Historiam; inprimis cum iam PLVTARCHI aetate, h. e. imperante TRAIANO, ad HIPPOCRATEM referri coeptae fuerint, vt et notatum est IAC. SPONIO. Quibus omnibus addantur insuper luculenta satis testimonia MAXIMI TYRII, SVIDAE,

STOBAEI,

STOBAEI, NICETAE CHONIAT. PHILONIS IVD. BASILII MAGN. ISIDORI PELVSIOTAE, aliorumque, qui nunc tacite, nunc vero aperte, laudant ac citant has ipſas Epiſtolas Hippocraticas. Praeterea eae rationes, quas ad labefactandam earum auctoritatem, in medium attulit Cl. CLERICVS, et poſt eum, HEVMANNVS, ille καινόδοξος καὶ κενόδοξος, non ita omnes ſunt comparatae, vt eas refellendi nullum plane detur effugium, prout alibi diſerte demonſtrabo. Immo demus tantisper, Epiſtolas illas eſſe ſuppoſititias; tamen et propter ſtyli venuſtatem, et rerum inprimis grauitatem, atque Philoſophiae moralis theſaurum, ſemper legendas et relegendas eſſe iudicauit iam olim Celeb. noſter THOMASIVS.

VIII. Quod denique *verſionem Latinam* attinet, reiectis inſulſis illis CALVI atque CORNARII, quam temere arripuit LINDANVS, vt ſcilicet antiquitati honos haberetur, ſolam eam eligam; quam perpolito cum iudicio, et dulci fandi copia, nobis dedit FOESIVS, *praeclare enim cum Hippocrate actum eſt, quum Latine eum loquentem induxit Anutius Foeſius interpres proximus optimis numerandus, et reliquis longe ſuperior, qui in eodem Hippocratis conuertendi labore claruerunt:* verba ſunt illuſtriſſimi PET. DAN. HVETII *de claris interpret. p. m.* 215. quicum et ZVINGERI acutiſſimi HIPPOCRATIS interpretis verſionem conferam, in iis nimirum libris, quos interpretatus eſt, et notis perdoctis illuſtrauit. Emendabo tamen hinc inde quaedam in vtriuſque verſione, vbi boni illi viri et ingentes animae aut humani quid paſſi, aut codicibus mendoſis vſi ſunt; quod et paſſim contra Foeſium adgreſſus eſt non ſine honore, immo horrore, vt ſic loquar, nominandus THOMAS REINESIVS.

SECTIO SECVNDA.

De ratione Commentarios in Hippocratem ſcribendi.

I.

Qui antiquos Auctores, poſt litterarum ex ignorantiae abyſſo reſuſcitationem puluere conſpurcatos et a tineis fere exeſos in lucem protraxerunt, duplici mihi modo vt plurimum peccaſſe videntur. Aut

enim *nullos* plane Commentarios, aut *multos* nimium addiderunt; adeo, vt illorum molem merito horrescant Lecturi. Sicut igitur necesse erat, vt priores locorum difficiliorum in Auctoribus hinc inde occurrentium enodationem suggererent; ita pariter necesse non erat, vt posteriores lucem ibi affundere laborarent, vbi iam lux radiabat et nulla erat caligo. Vt ad HIPPOCRATEM redeamus, ad alios enim transire iam non lubet, summae sane est necessitatis, vt ille iusto et perspicuo Commentario illustretur; ob peculiarem nimirum eius stylum, summam breuitatem, locos corruptos, res arduas et similia. Hinc tot iam antiquitus in HIPPOCRATEM fuere commentati, quos partim GALENVS, qui et ipse vasta conscripsit in eundem Commentaria, partim etiam EROTIANVS et laudarunt et notarunt: immo post id tempus tanta Commentatorum accreuit copia, vt dubium sit, possit ne Nestor aliquis, quantumuis trisecli-senex, omnia illorum volumina perlegere, quae spatioso Catalogo comprehensa, in *Geneuensi Foësii Editione* recensentur; quamuis plura adhuc restent, quae Auctorem illius Catalogi vel plane latuerunt, vel post ipsius demum fata, prodierunt. Verum hi Commentatores fere omnes (paucis admodum exceptis infra allegandis) magno plerumque conatu nihil egerunt, et vbi nullus esset puluis, tamen et nullum excusserunt, vt iocatur tenerorum lusor amorum OVIDIVS. Consistit enim eorum commentandi ratio, aut in inanibus subtilitatibus, perplexisque tricis, quas data saepe opera sibi nectunt, euoluendis, (quod in omnibus fere antiquis vtriusque Linguae Auctorum Commentariis deprehendimus) aut in copiosis et verbosis locis parallelis ex aliis Auctoribus congestis et constipatis, in quibus tamen aut idem quod Auctor dixit, aut saepe etiam diuersum quid apparet; vbi, siue prius spectes, siue posterius, HIPPOCRATEM ne hilum quidem adiuuant: aut denique meram tantum textus paraphrasin instituunt, eamque ad sua, quae fouent, principia, saepissime effingunt, adeo vt hinc non raro Auctori hoc pacto peregrina affingatur mens, cordatoque Lectori sic imponatur. Haec tria vt probemus, paucos ex vnaquaque classe allegare fas sit Commentatores.

II. Eorum

II. Eorum, qui in HIPPOCRATIS opera fuere commentati GALENO antiquiorem habemus nullum; illi enim, qui ipſum aetate praeceſſerunt, periere. Sed idem ille ſummus cetera GALENVS quam ſaepe aliena et a ſcopo prorſus abhorrentia, agit, quam inanes ſibi obiectiones fabricatur, quanto conatu, quantoque ſtrepitu eas confutat, quam diffuſe omnia tractat, quam ſuperflua addit, quam multa illuſtrare conatur ipſo meridiano ſole iamiam clariora? Me vera dicere, non ſolum vnanimis fere Eruditorum conſenſus teſtatur: ſed et ipſi maxime Commentarii in *Libb. Hipp. de Natura Humana*, de *Victu ſalubri*, de *Victu in morbis acutis*, in *Libb.* I. III. *et* VI. de *Morbis Vulgiuagis*, et inprimis protenſa illa *cum Lyco diſceptatio ſuper quodam Hippocratis Aphoriſmo*, aliaque vberius declarant. Accedit, GALENVM in vniuerſum cordati interpretis partes non expleuiſſe: quum enim ſuae tantum famae extendendae gloriaeque captandae, vnice inhiaret, factum eſt, vt ſaepius HIPPOCRATIS Cenſorem magis, quam Interpretem ageret, hincque illi parum admodum fidei habendum: prout recte obſeruatum fuit a PROSP. MARTIANO, I. C. SCALIGERO, ASELLIO, aliiſque et luculentius a TH. REINESIO demonſtratum.

III. Ad ſecundam claſſem h. e. ad eos, qui nimiis locis parallelis Lectori nauſeam ſuſcitarunt, ipſe pertinet FOESIVS. FOESIVS ain' Tu, quem nuper admodum ſummis encomiis mactaſti? immo FOESIVS inquam. Licet enim eum ex praeſtantiſſimorum Commentatorum numero eximere, ſummum vtique foret nefas: tamen in hoc ſaepe peccauit, ſi dicere quidem candide liceat, quod nimia nonnunquam ex GALENO, AETIO, AEGINETA, THEOPHILO, ARETAEO, aliiſque veteribus coaceruet loca, eaque ad verbum adſcribat, qua re Lectorum patientiam oppido defatigari, me monitore non eget. Si quis exemplum deſideret, euoluat quaeſo FOESIVM ſupra *Libro de Fracturis*, de *Medici Officina*, cumprimis autem ſuper *Libris de Morbis Epidemicis*, ad quos vniuerſus paene GALENVS tranſcriptus eſt, vna cum aliis multis, modo nominatis.

IV. Ad tertiam demum claſſem omnes fere pertinent, quotquot poſt GALENI tempora in HIPPOCRATEM ſcripſerunt, et quotquot

ego

ego vidi, (vidi autem non paucos et fere dixerim, plerosque) Quales sunt v. g. VALESIVS *in Libb. de Morb. Epidem.* licet hoc pro optimo VALESII libro habeat GVIDO PATINVS *Epist. Vol.* I. *Ep.* 46. *pag.* 193. aliique, HOLLERIVS, IACOTIVS, et DVRETVS in *Coacas Praenotiones,* MARTIANVS *et* MARINELLVS *in vniuersa Hippocratis Opera,* SALIVS *in* IV. *Libb. de Morbis.* VICTORIVS *in Prognostica,* PERLA *in Lib. de Loc. in Hom.* FLAVIVS *in Lib. de A. L. et A.* EVSTACH. QVERCETANVS, IACOB. SCVTELLARIVS et SIBAST. PAPARELLA *in Lib. de Nat. Humana,* IAC. ALEMANNVS, *in Lib. de Flatibus,* quos cunctos ipse ZVINGERVS vehementer laudat, aliique plures, quos nec haec nec sequens pagina capere potest. Hos autem et quos dixi, et quos reticui, omnes paraphrastas aut metaphrastas rectius dixeris, quam Commentatores. In eo enim potissimum illorum versatur opera, vt ea, quae ab HIPPOCRATE stylo circumciso, pro more, fuere consignata, ambitioso verborum apparatu extendant flosculisque ex Scholasticorum dumetis, (rosetis volui dicere) decerptis exornent, securi interea de contextu ipso, siue corruptus, siue obscurus, siue plane desperatus fuerit. Sic coruos deludunt hiantes garruli illi tinnulique Interpretes. Me vero miserum! qui tot eorum volumina pervolui, vt scilicet nihil scirem, nihil discerem, et quae bene sciueram, male scire occiperem. Ignoscat hic quaeso, aequus et humanus Lector iustae meae querelae.

V. Hunc igitur in modum comparati hactenus fuerunt scripti in HIPPOCRATEM Commentarii, vt scilicet in tanta eorum abundantia summa paupertate vrgeamur, et Hydropicorum ad instar, in medio quamuis aquarum gurgite constituti, siti tamen inexplebili adhuc excruciemur, et feruentia ora puro latice proluere anhelemus. Videntur scilicet boni illi Viri iusti Commentarii naturam penitus ignorasse; secus enim nobis veram et perspicuam textus enarrationem, pro tot phaleris atque offuciis, haud dubie dedissent. Nam qui veri et perfecti Commentatoris defungi vult officio, ante omnia in id incumbat, vt Auctoris, quem Commentariis illustrare instituit, verba accurate consideret et expendat, eorumque proprium et natiuum in

hoc

hoc vel illo loco ſenſum eruat, illumque vel ex ipſo Auctore atque ſic parallelismo probet, aut ex coaeuo Scriptore commonſtret; quo facto, ſenſus dein ipſius rei ibi tractatae, per ſe protinus patebit. Quodſi enim verba rite explanata ſint, (loca autem ſana hic ſuppono, et non mendoſa,) tunc ſenſus neceſſe eſt, vt facile perſpiciatur. Inde Graeci acute in hunc ſenſum dicunt: ὁ θηρεύων ὀνόματα, τηρήσει νοήματα; item: ἀκριβὴς ὀνομάτων ἑρμηνευτὴς, ἀκριβέστερος νοημάτων εὑρετὴς; quod Latine forte dixeris: *Vbi patent verba, ibi non latent vera.* Deinde vt diuerſas Vett. Codd. Lectiones, ſed inſignes, et a recepta ſcriptione longius paulo recedentes, non, quod hodie plerumque fieri amat, minimas et nihil ſignificantes particulas, ſedulo adnotet, cum antecedentibus et ſubſequentibus Textus verbis ſtudioſe comparet, atque iudicio defaecato vſus, et bono Deae Criticae fauore adiutus, liquido demonſtret, quaenam illarum maxime videatur probabilis, vt in ipſum textum tuto recipiatur. Porro, vt, vbi eum Codd. MSSti plane deſerunt, et nihilominus textus apertiſſime mendoſus eſt, quod ſaepiſſime in HIPPOCRATE praeſertim, contingere, cum a FOESIO, ZWINGERO, DACERIOque, iam olim obſeruatum, tum a me nuper admodum demonſtratum eſt, veriſimilem, nec a priſcis litterarum veſtigiis nimis abludentem (tales enim emendationes cum SCALIGERO, CASAVBONO, REINESIO, BOCHARTO, MERCERO, MEVRSIO, BOSIO, LEOPORDO, CANTERIS, WESSELINGIO, VALCKENAERIO, HERINGA, PIERSONO, VONCKIO, et inprimis ABRESCHIO noſtro, item PALMERIO, paucisque aliis, ſemper optimas iudicaui) modeſte adponat atque Lectoris iudicio lubens ſubiiciat; melius enim eſt aliquid dixiſſe, quam nihil: maxime tamen caueat, ne ingenio nimium indulgens, ſtudioque innouandi inani pruriens, textum per ſe non obſcurum, obſcurum tamen facere et proclamare allaboret, quo meſſem ſaltim habeat, in quam falcem ſuam criticam temere immittere poſſit, quo vitio maximos plerumque Viros, inprimis autem SALMASIVM, laboraſſe compertum eſt. Denique vt ſuperflua omittat, longius petita non adferat, breuibus ſeſe, ſi fieri poteſt, expediat, atque adnotationes in vniuerſum in pauca conferat,

vt vno quasi intuitu, Lector Auctoris sensum perspicere, atque in ipsius Lectione vlterius inoffenso pede progredi queat.

VI. Ad hanc igitur normam STEPHANI, CASAVBONVS, HEINSIVS, WESSELINGIVS, DVCKERVS, FABRICIVS, TAYLORVS, POTTERVS, DAVISIVS, VOSSIVS, aliaeque ingentes animae nobis HERODOTVM, DIODORVM, THVCYDIDEM, ATHENAEVM, POLYBIVM, STRABONEM, THEOPHRASTVM, CLEMENTEM ALEXANDRINVM, MAXIMVM TYRIVM, SEXTVM EMPIRICVM, DIONEM CASSIVM, LYSIAM ac DEMOSTHENEM, aliosque Auctores Graecos illustratos ac emendatos dederunt. Sicut similia SCALIGER, GRVTERVS, LIPSIVS, GRONOVIVS pater, GRAEVIVS, BVRMANNVS, DRAKENBORCHIVS, aliique in AVSONIO, CATVLLO, TIBVLLO, PROPERTIO, MANILIO, SENECA, TACITO, VALERIO MAXIMO, LIVIO, FLORO, IVSTINO, SVETONIO, PETRONIO, et QVINCTILIANO, VALERIO FLACCO, PHAEDRO, VELLEIO PATERCVLO, OVIDIO, SILIO ITALICO, LIVIO, POMPON. MELA, aliisque Scriptoribus Latinis magna cum laude praestiterunt. Solus autem fere HIPPOCRATES desertus et a suis Enarratoribus inclementer tractatus fuit, ita vt propter obscuritatem et salebras, nec a Medicis legi, nec ab aliis Eruditis intelligi plane huc vsque potuerit. Quum tamen praestantissimus hicce Auctor, cum ob antiquitatem, (est enim vna cum HERODOTO ac THVCYDIDE inter Prosarios antiquissimus,) tum ob styli venustatem et Ionicam suauitatem, vt nihil de rerum, quas tractat, pondere, et sententiis adytis dignis hic commemorem, si quis profecto alius, maxime merebatur, vt diligentius, quam hactenus factum, Eruditorum manibus tereretur, rariusque deponeretur. Sed vnde obsecro huius morbi caput? Credo me veram caussam esse hariolatum. Qui enim scripsere in HIPPOCRATEM, aut boni Medici fuere solum; hincque praeter longas et steriles textus paraphrases, nihil nobis dare potuerunt; aut Medici criticis subsidiis et accurata Graecae linguae cognitione non satis instructi; inde Lectores locis Galenicis aliisque parallelis congestis, paene suffocabant.

bant. Edere igitur atque illuſtrare HIPPOCRATEM fauſto omine poterat ſane nullus, niſi eſſet ſimul *Medico-Criticus.* Solus nempe Criticus non poterat, ob ſalutaris ſcientiae defectum: ſolus autem Medicus rurſus non poterat, ob defectum Graecae Linguae et criticorum ſubſidiorum: Sed is ſolus tandem poterat, qui in vtroque probe eſſet ſubactus, ita vt Medicinae gnarus, ſenſum rerum eruere, et Graecae Linguae peritus, ſenſum verborum explanare, mendoſoque nonnunquam textui medicinam adhibere valeret. Ego igitur forſan ſolus ille futurus ſum Daedalus, qui machinam iſtam paene immobilem, vel ſolius digiti tactu circumrotare ſuſtineam? abſit tam effrena arrogantia a me quam longiſſime! Noui probe, me pede meo metiri atque modulo, et ſemper mecum habito. Sed dum ingenue eloquor, quid ad egregium HIPPOCRATIS Interpretem pertineat, quaque ratione in eundem Summum Auctorem componendi ſint Commentarii, edoceo;

fungar vice cotis, acutum
Reddere quae ferrum valet, exſors ipſa ſecandi,
Munus et officium, nil tangens ipſe, docebo,
Vnde parentur opes, quid alat formetque poëtam,
Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.

VII. Immo nequaquam putandum eſt, tam caram eſſe bonorum Commentatorum in HIPPOCRATEM annonam; vt nemo ſit, qui ad eam, quam praeſcripſi, regulam, obſeruationes ſuas compoſuerit. Minime gentium. Fuerunt enim omnino aliqui, rari quippe boni, qui in HIPPOCRATE rite interpretando, aeternam ſibi nominis famam pepererunt. Huc cumprimis pertinet FOESIVS, niſi quod interdum iuſto plus diffuſior, vt ſupra notaui, et in afferendis veris ſolidisque emendationibus et lectionibus paullo timidior, quod et a FREINDIO Anglo nuper obſeruatum fuit; item MERCVRIALIS acutiſſimi iudicii Vir, niſi quod ſaepius nimium tribuerit fluxae auctoritati veterum membranarum Vaticanarum, vt alibi de eo adnotaui; porro ZVINGERVS, ſubtiliſſimi iuxta et feliciſſimi ingenii Commentator; niſi quod elegantiſſimas ſuas et doctiſſimas obſeruationes et emendationes operoſiſſimis *Tabellis*, ceu totidem anguſtis clauſtris, aut carce-

ribus, anxie incluserit, vnde et sibi, dum scriberet, et Lectori, dum legeret, acerbam crucem fixit. Interea tamen dolendum, quod non in vniuersa HIPPOCRATIS Opera; sed in XXII. duntaxat *libros* praestantissimos suos Commentarios extenderit; sed in arctioribus finibus se continuerit. Veniunt quoque in hunc censum GORRAEVS, qui in VI. *Hippocratis Libros* doctissima et ingeniosissima scholia confecit; nisi quod petulantiae criticae labe nonnunquam laboret, et nouas lectiones exsculpere contendat, vbi nulla plane id vrget necessitas; hinc eam aliquoties recte castigauit MEIBOMIVS, et notauit cum PATINO, SALMASIVS: OPSOPOEVS, qui V. *Hippocratis Libros* terse vertit, et acutis notis et emendationibus probe instruxit; nisi quod in illis subinde minutias plus aequo sectetur: SEPTALIVS, qui Librum *de Aëre, Aquis et Locis* elegantissimis et bonae frugis plenissimis Commentariis quinque illustratum edidit: HEVRNIVS, qui in XIII. *Hippocratis Libros* luculentum Commentarium adornauit: quod et pari elegantia ac doctrina fecit IOANN. MARTINVS, cui et doctissimos Commentarios debemus in *Lib. de Internis Affectionibus*, a RENATO MORELLO editos: IVL. CAESAR SCALIGER, et maximo hoc suo patre longe maior filius IOSEPHVS SCALIGER, quorum hic Librum *de Capitis Vulneribus*, ille autem Librum *de Insomniis* elegantissime recensuit, illustrauit, et inimitabili plane sagacitate emendauit; quod et ipse professus fuit FOESIVS: DACERIVS, qui XVI. *Hippocratis Libros* feliciter et ornate in Linguam Gallicam transfudit, et selectissimis adnotationibus ac castigationibus locupletauit. Sunt et alii, qui hic laudari merentur, inprimis vero MEIBOMIVS, in *Iusiurandum*, qui licet iustos commentatoris limites, pulcro et vtili errore transgressus videatur; eo ipso tamen vastissimae eruditionis thesaurum nobis reclusit. Sic et SALMASIVS in *Aphorismum* LXXIX. *Sect.* IV. docte satis commentatus est; nisi quod HIPPOCRATIS magis reformatorem quam explicatorem egerit, ita vt pro more suo, quem in PLINIO potissimum tenuit, omnia turbarit, destruxerit, finxerit, refinxeritque pro lubitu; hic enim Vir magni vtique ingenii et immensae paene lectionis, memoriaeque fere prodigiosae, in Auctores Veteres non so-

lum

lum imperium, (quod ipsi multi sponte, quamquam inique, detulerunt, vt recte iudicat IO. FR. GRONOVIVS in ea Epistola Libro de pecunia Vet. annexa) sed et adeo tyrannidem exercuit, ita vt per omnes, quos modo arriperet, ceu rapidus torrens, sese praecipitaret, et quicquid sibi forte obstare deprehenderet, audacissime, discuteret, emendaret, aut plane deleret. Sicut id pluribus demonstrari posset, si illud hic ageremus. Et haec de HIPPOCRATIS Commentatoribus, qui aut rectam viam ingressi, aut tamen haud procul ab ipsa abfuerunt: quibus plura sane adhuc adiici a me possent; nisi ea latius explicandi commodior recurreret locus in ipsis *Prolegomenis*.

VIII. Horum igitur illustrium Ducum videbo an vestigia propius legere possim in conscribendis meis in HIPPOCRATEM Commentariis et obseruationibus; ita tamen, vt quantum potero, eorundem lapsus supra notatos sedulo euitem. Cauebo, ne in luxatis reponendis, in obscuris dilucidandis, in deprauatis emendandis, in suppositítiis temereque in textum intrusis rescindendis, nunc cum FOESIO plus iusto timidior; nunc cum GORRAEO, HOFFMANNO, LINDANO atque REINESIO plus aequo audacior deprehendar; sed vt potius via media semper incedam. Conciso quidem, sed perspicuo tamen dicendi genere vtar; nisi summa vrserit necessitas latius aliquanto diuagari, prout et in ipso, quod infra legitur, *specimine Hippocratico* nonnunquam fieri a me oportuit. Variantes Lectiones, si cuiusdam sint momenti, studiose adnotabo, et quae loco, de quo sermo, conuenientissimae mihi videntur, semper indicabo. Praeter FOESII, DACERII, GORRAEI, MERCVRIALIS, OPSOPOEI, aliorumque selectiores notas et emendationes, varias addam SALMASII, VOSSIORVM, SCALIGERORVM, CASAVBONI, SPANHEMII, GATAKERI, BOCHARTI, REINESII, BARTHOLINI, LINDANI, CAGNATI, HOFFMANNI, LEOPARDI, MVRETI, TOLLII, CLERICI, SCHOTTI, VESLINGII, PETITI, et aliorum praeclarorum virorum magno studio et industria ex ipsorum scriptis erutas et congestas; quas non Medicis solum, verum et mansuetiorum litterarum studiosis in genere valde profuturas speramus. In id enim ma-

xime incumbam, vt HIPPOCRATES postea non solum a Medicis, sed etiam ab omnibus Philologiae cultoribus cum fructu quodam pervolui queat. *Rogo autem iterum hic atque obsecro, ea, qua decet, humanitate, omnes Eruditos et sacris hisce initiatos, vt, si quid aut ipsi habeant, aut vbi lateat, sciant, quod Nostram Editionem splendidiorem reddere possit ac locupletiorem, id quidem in communem vtilitatem, nobis benigne impertire, ne dedignentur, aut cunctentur; illamque gratiam non tam mihi, quam potius bono publico, ad cuius commodum omnes Cordatos Viros, ceu ad praefixum scopum, collineare addecet, fieri, apud animum reputent: Credant denique etiam, quod ad me, beneficium illud non in ingratum temere profundi. Est enim benignum,* inquit maior PLINIVS, et *plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris: quam auro contra aestimandam regulam vel me, vnicuique suum cum laude tribuendo, semper sancte obseruaturum esse publice polliceor.* *) Ceterum, vt reuertar, vnde digressus sum; *Notas meas*, etsi quandoque etiam copiosas, ipsi textui substernam; non, quod FOESIVS fecit, ad librorum calcem reiiciam; quia illud Lectori gratum et proficuum; hoc contra eidem molestum et incommodum. Iam vero ne *Lectores* per ambages et longa exorsa diutius teneam, *Specimen* supra


*) Neque etiam, quod grati hic fatemur et laeti praedicamur, haec nostra humanissima inuitatio fausto et exoptato caruit effectu ac successu. Mox enim ea ipsa excitati Viri quidam summi, et iuuandis ornandisque melioribus literis nati, mihi sua sponte, liberali mente manuque, varias obtulerunt quantiuis pretii obseruationes et emendationes manuscriptas et nondum editas. Quales Londino, ad me misit ill. RICHARD MEAD, a Celeb. WIGANO nitide descriptas: Leydae mihimet ipsi humanissime impertiuit magna ingenii ac doctrinae laude florentissimus PETRVS BVRMANNVS, quas ab ipsius LINDANI manu esse, idem mihi tum candide affirmabat. Basileae quoque doctissimus ille et Venerabilis Senex, SAM. BATTIERIVS suas in priores HIPPOCRATIS Libros, coniecturas ingeniosissimas et emendationes acutissimas mihi perquam officiose obtulit, plures haud dubie in posterum additurus, nisi mors eheu! subita ipsum rapuisset. Alibi etiam Medicus quidam Veteranus, meis vsibus lubens concessit *Editionem Hipp. Frobenianam*, cum Codd. Vaticanis, aliisque, praesertim Italicis, sedulo per omnes fere paginas, collatam; quas tamen Lectiones variantes postea maximam quidem partem, adnotatas etiam deprehendi in ipsa Mercurialis Editione. Omitto iam alia eiusmodi subsidia plura, a me in diuturno et longinquo itinere, fauente quidem fortuna, a me vbique diligentissime collecta. Ad haec, ipse Parisiis, in Bibliotheca

ſupra promiſſum ſequitur, aliquanto diffuſius, non nego, et operoſius, ex quo ceu fimbria aliqua, totius contextus ratio, et quid, quantumque ex me in HIPPOCRATE edendo et illuſtrando ſperari queat, facili negotio poterit diiudicari. Selegi ad id *Libellum* de *Anatome*, qui, ſi non eſt HIPPOCRATIS; nam EROTIANVS et GALENVS de illo tacent, et MERCVRIALIS, item HOFMANNVS, plane dubitat; HIPPOCRATE tamen non eſt indignus; breuem quidem ſi verba, ſed ſi res in eo tractatas, textumque nunc obſcurum, nunc deprauatum reſpicis, ſatis patentem, in quo aliquis ſuum poſſit, ſi velit, exercere ingenium. Imprimis cum nemo adhuc iuſtum in Iſtum compoſuerit commentarium, vnde ego, quod absque iactantia, dictum eſto:

Auia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo: iuuat integros accedere fontes,
Atque haurire, iuuatque nouos decerpere flores,
Inſignemque meo capiti petere inde coronam,
Vnde prius nulli velarint tempora Muſae.

Illum igitur in *tmemata* a me diſſectum, *verſione accuratiore* longe et luculentiore, quod praefiſcine dixerim, ac CORNARII et ipſius adeo eſt FOESII, ornatum, et *notis medico-criticis* iuſto vberioribus, quoniam nempe hic ſpecimen quoddam erat proponendum, apparatu aliquo amplificatum, neceſſariisque *emendationibus* inſtructum iam, vtinam auſpicato! exhibere conor.

ca Regia, duos Codd. MStos ſtudioſiſſime contuli, vnum nempe maiore forma, et venerandae antiquitatis, qui tamen aliquot tantum HIPPOCR. Libros, vna cum ipſis Aphoriſmis, complectebatur; alium vero longe recentiorem, formaque minorem, et charactere quoque minimo et implicito exaratum; ſed priore iſto maiore, ipſis HIPPOCRATIS Libris, multo locupletiorem, quippe quos fere omnes, ſolis exceptis Epiſtolis, paucisque aliis continebat. Sed plura de his meis fortunis Hippocraticis, vt ita dicam, Vid. ſi lubet, in *Epiſt. mea prima, de Anthracibus et Variolis Veterum,* ad Cel. HAHNIVM, heu! quondam noſtrum, nunc deſideratiſſimum, perſcripta, *pag.* 7.



ἹΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ περὶ ἈΝΑΤΟΜΗ͂Σ.

HIPPOCRATIS de DISSECTIONE Libellus.

I.

Ἀρτηρίη (1) ἐξ ἑκατέρου (2) φαρυγγέθρου τὴν ἔκφυσιν ποιευμένη ἐς ἄκρον πνεύμονος τελευτᾷ, κρίκοις ξυγκειμένη ὁμοιορυσμοῖς (3) τῶν περιηγέων ἁπτομένη κατ' ἐπίπεδον ἀλλήλων. (4)

I.

Fistula spiritalis ab vtraque faucium parte exortum faciens, in pulmonis summitatem desinit, ex annulis sibi similibus composita, seque inuicem in superficie ambientibus connexa.

1. Ἀρτηρίην, siue arteriam vocat fistulam illam cartilagineo-ligamentosam, cuius ministerio spiritus in pulmonum folles intro hauritur, et rursum exploditur, quaeque ad vocem articulate edendam confert. *Fistulam spiritalem* vocat LACTANTIVS, et GELLIVS, *cannam gutturis* COEL. AVRELIANVS; Recentiores, veluti GALENVS, THEOPHILVS, NEMESIVS, THEODORETVS aliique ἀρτηρίην τραχεῖαν siue *arteriam asperam*, vt CICERO, CELSVS aliique vertunt, dicunt, ad ceterarum nimirum arteriarum, quas λείας siue laeues vocant, differentiam. Noster vero nude ἀρτηρίην scribit, quod et apud ARISTOTELEM, ARETAEVM, RVFVM EPHESIVM, ALCINOVM, EVSTATHIVM diuersis ad HOMERVM locis, immo et ipsum adeo SOPHOCLEM *in Trachiniis*, reperire est: item apud ipsos Auctores Latinos, vt LVCRETIVM, CICERONEM, SVETONIVM, GELLIVM, et alios; vid. LAMBIN. ad LVCRET. *Lib. IV. pag.* 482. CASAVB. et alios, ad SVETON. *Neron. cap.* 25. vbi et ipsi plura diximus in Comment. nondum edito, item GELLIVM, *Lib. XVII. cap. II.* al. *Lib. X. cap.* 26. ibique Comment. Conf. et CANGII *Gloss. Med. Lat. voce Arteriatus.* Est enim proprie ἀρτηρία quasi ἀεροτηρία, h. e. τὸν ἀέρα τηροῦσα, quae aërem custodit et conseruat, vt exponit HESYCHIVS. — Credebant quippe veteres Medici pariter ac Philosophi, quos inter ERASISTRATVS inprimis, vt et GALENVS, THEOPHILVS, RVFVS, EPHESIVS, SENECA aliique, arterias in vniuersum μᾶλλον εἶναι πνευματώδεις ἢ πολυαίμους, magis esse spiritu, quam sanguine turgidas, et vt HIPPOCRATES ipse *Lib. de Carn.* loquitur, τὸ πνεῦμα ταμιεύειν, spiritum recondere; eo credo inducti, quod αἷμα πνευματωδέστερον, vt Auctor Gr. de Anatome a LAVREMBERGO editus ait, h. e. sanguinem spirituosiorem in arteriis, quam venis contineri animaduerterent. Ceterum Noster arteriam hanc spiritalem *Lib. de Corde, de Venis IV. de Morb.* et alibi etiam σύριγγα siue fistulam vocat, quod miror a FOESIO in *Oeconomia* non obseruatum: Idem *Lib. de Alimento, de Venis,* et alibi, vt et DEMOCRITVS, siue quisquis Auctor libelli *de Nat. Hum.* item PLVTARCHVS et

THEO-

THEOPHILVS, hoc loco βρόγχον quoque posuerunt, quod et notatum GALENO Lib. VII. de Administ. Anat. et alibi. Antiquissimis denique temporibus tracheam vocatam fuisse ἀσφάραγον, memoriae prodidit PLVTARCHVS, Sympos. Lib. VII. qu. I. pag. 558. Adde SVIDAM Voc. Σφαραγεῦντο, et LAMB. BOS in Animaduers. ad Script. Graec. cap. XLVII. pag. 188. λάρυγγα quoque vocari, notius est, quam vt multis hic commemorem. Conf. huc LINDANI physiol. cap. VI. pag. 252. seq.

2. Φαρύγγεθρον fauces denotat, vt ex GALENO, ARETAEO, RVFO aliisque probat LINDANVS, Med. Phys. c. VI. Art. 21. n. 194. inprimis, ARETAEI locus cit. Lib. II. de caus. acut. c. II. apprime huc facit: φαρύγγεθρον, ἔνθα καὶ ἀρχαὶ στομάχου καὶ ἀρτηρίης, fauces, vbi et gulae et gutturis, siue arteriae asperae initia: POLLVX, aliique Veteres Grammatici, φαρύγγετρον scribunt, HESCHIVS autem φαρύγαθρον, quod in φαρύγγεθρον mutandum esse, recte forsan viderunt LINDANVS et FOESIVS, quanquam id retinuit VARINVS.

3. Nempe ex orbiculis fere rotundis cartilagineis aspera arteria constructa est: hos THEOPHILVS Lib. III. de Corp. Hum. Fabr. c. 13. βρόγχια, ipsamque asperam arteriam ex multis eiusmodi bronchiis, siue circulis compositam, eleganter cylindrum vocauit, quod et notatum LINDANO: De his Bronchiis adeundi quoque ARETAEVS L. II. de causs. et Sign. acut. morb. cap. 2. et alibi, et inprimis GALENVS L. VII. de Compos. Med. sec. loc. item Lib. IV. de loc. Affect. locisque aliis quamplurimis. Vocat autem Noster circulos illos ὁμοιορυσμοὺς, sibi similes, coaequales, quasi ἐκ ὁμοίων ῥυσμῶν καθεστηκότας, siue ex aequalibus tractibus constantes. Scilicet vox ὁμοιορυσμὸς (nam vtrumque est rectum, vt et obseruauit FOESIVS, licet contra stet LINDANVS) peculiarem habet significatum; et quod ad posteriorem partem nempe ῥυσμὸς, Abderitana et Democritica est, formam et typum significans: Suidas ῥυσμὸς inquit, κατὰ Ἀβδηριτικὴν διάλεκτον, σημαίνει τὸ σχῆμα, καὶ ἑτέραις δὲ λέξεσιν οὐχ ἑλληνικαῖς οἱ περὶ τὸν Ἀβδηρίτην Δημόκριτον χρῶνται: simile obseruat PHILOPONVS in I. Aristot. de Anima: ῥυσμὸς λέξις ἐστὶν Ἀβδηριτική, σημαίνει δὲ τὸ σχῆμα, et EVSTATHIVS ad Dionysii περιήγησιν, vbi eadem in hoc significatu, vox, haec notat: ῥυσμὸν δὲ τὴν ἔκτασιν λέγει (DIONYSIVS) τὴν θέσιν, τὴν διάστασιν, ἢ ὡς αὐτὸς εἶπε, τὸν τύπον et paucis interiectis: ἔστι δὲ ἐκεῖ ῥυσμὸς τὸ σχῆμα, ὁ τύπος, ἡ θέσις, γίνεται δὲ ὁ ῥυσμὸς ἐκ τοῦ ῥύω, τὸ ἑλκύω: adeoque ῥυσμὸς est a ῥύω traho, quod et de figura et lineamentis vultus, Latinis, Gallis, et Italis vsurpatur, vt tractus vultus etc. Errat igitur PHILOPONVS supra citatus, quando hanc EVSTATHII et aliorum Etymologiam reiiciens, vocem ῥυσμὸν et aliunde deducendam, et aliud significare asserit. Haec omnia vberius paullo consignata legas licet apud MENAGIVM ad DIOG. LAERT. L. IX. segment. 47. pag. 414. 415. vbi et hac voce CALLIMACHVM quoque vsum obseruat. Quando igitur, vt ad nostrum locum reuertar, animaduerto, quinquies peregrinam hanc vocem ὁμοιορυσμὸν, in tali, quem dixi, significatu, ab huius libelli Auctore fuisse vsurpatam: in eam fere delabor sententiam, huius libelli Autorem fuisse potius DEMOCRITVM Abderitam HIPPOCRATIS nostri amicum, et in re Anatomica admodum versatum, vt PLINIVS, PETRONIVS et ipse HIPPOCRATES in eleganti illa ad Damagetum Epistola, testantur, quam ipsum HIPPOCRATEM. DEMOCRITVM enim hac voce vsum inprimis fuisse, aperte professus est ARISTOTELES, loc. supr. cit. L. I. Metaphys. cap. 4. ex quo superiora SVIDAE

 verba

verba hausta esse recte animaduertit MENAGIVS et ipse DIOGENES LAERTIVS in DEMOCRITI vita, vbi eum Librum περὶ διαφερόντων ῥυσμῶν, de *differentibus figuris* scripsisse adnotat, quod ALDOBRANDINVS inepte de differentibus rugis et AMBROSIVS de differentibus fragoribus, ineptius verterunt, eadem obseruante MENAGIO: Sic et eodem LAERTIO Auctore, alium Librum DEMOCRITVS inscripsit: περὶ ἀμειψιῤῥυσμῶν, quod iterum de rugarum permutationibus ineptissime vertit idem ALDOBRANDINVS, quum tamen, vt recte vidit MENAGIVS, vertendum esset de *mutationibus figurarum*. Ex eadem igitur ratione eidem DEMOCRITO libellum de septimestri partu falso hactenus HIPPOCRATI adscriptum, obscurissimum quidem illum, adiudicarim: non solum enim ibi vocem ῥυσμὸν septies, et verbum quoque ῥυσμοῦσθαι aliquoties sic vsurpat; sed et reliqua subtilius et abstrusius longe proposita suadent, aut ipsum DEMOCRITVM, aut alium Abderitam Philosophum, istius libelli Auctorem esse credamus. Id velim adhuc notes: vocem Chald. רשום *Rasum*, et רשים *Resim* a vorbo רשם *Resam*, et sono et significatu cum voce Abderitica ῥυσμὸς, concordare, atque denotare *signum*, *indicium*, *figuram*, *lineamentum*, *typum*, *notam* et similia docentibus SCHINDLERO, BVXTORFIO, STOCKIO et aliis Lexicographis, res enim nota. Sicut etiam vocem Σοῦς, qua DEMOCRITVM pro κινήσει sive *motu* vsum esse narrat ARISTOTELES *L. de Coel. IV. c. 6.* ex mere Hebraico שוע, *Sua*, *movere*, originem traxisse admodum probabile videtur. Verum haec alterius sunt loci, ideo nec dicta sunto. Interim Conf. si placet, *Obss. Crit. nostr. L. IV. c. 26. p. 465.*

4. Interpretes hic legisse videntur: τῶν περιηγέων ἁπτομένων κατ' ε. α. quod ineptum non est; concinnior tamen videtur lectio, quam cum FOESIO et LINDANO in textum recepimus. Recte autem idem FOESIVS vocem ἁπτομένη exponit per ἡρμένη, προσδεδεμένη, *coagmentata*, *colligata*; hunc enim significatum non hic solum; sed et in aliis HIPPOCRATIS libris v. g. *de Nat. Mul. de Vict. Aegrot. in Morb. Acut.* et alibi recipit. Vocem porro περιηγὲς HESYCHIVS scite explanat per κυκλότερον, sive περιφερὲς, rotundius et in orbem flexum; commode tamen etiam notante FOESIO, per γναμπτὸν et καμπύλον, curuum et recuruum reddi posse, nullum est dubium; immo huic nostro loco praecipue est conueniens. Sollicite interea Noster Tracheae circulos κατ' ἐπίπεδον tantum siue quoad superficiem περιηγέας *circumflexos* dixit, quia non perfectam circuli circumferentiam imitantur; sed ea parte, qua oesophagum attingunt, membranosa, siue ligamentosa substantia induuntur, vnde et σιγμοειδέας, a *semicirculari* nimirum C *figura* veterum Graecorum, teste GALENO, argute dicuntur: Hinc et CELSVS *L. IV. c.* I. *ad earum vertebrarum imaginem, quae in spina sunt, compositos* eos animaduertit; et GALENVS, siue Auctor Libri iutroductionis c. XI. eosdem vocauit κρικοειδέας καὶ κυκλοτέρους, hoc est, annulo similes et paullo rotundiores. Simile quoque obseruatum THEOPHILO, loco supra allegato, *L. III. de Fabr. Corp. Hum. Cap.* 13. Atque ad haec in nostra versione respeximus, quod priores Interpretes paulo obscurius sensum expressisse videbantur. Vnus LINDANVS *in Med. Phys. c. VI. §. 193.* mentem senis assequutus videtur, ita verba vertens: *ex annulis constituta consimilibus, talibusque apta, qui vndiquaque inter se superficietenus sunt colligati.* In ipsam tamen Editionem hanc versionem non transtulit: adeo videt meliora, deteriora sequitur.

II. Αὐτὸς

II. Αὐτὸς δὲ ὁ πνεύμων συνεξαναπληροῖ τὴν χέλυν, (5) τετραμμένος ἐς τὰ ἀριστερὰ, (6) πέντε ὑπερκορυφώσιας ἔχων, ἃς καλέουσι λοβὸς, (7) τεφρίνης χροιῆς τυχὼν, στίγμασιν ὀρφνώδεσι κεκεντημένος, (8) φύσει ἐὼν τενθρηνιώδης (9).

II. Ipſe vero pulmo coadimplet fornicatam pectoris capacitatem, ad ſiniſtra conuerſus; quinque habet prominentias, quas lobos appellant: cinereum colorem nactus eſt, notis ſubobſcuris diſpunctus, et natura faui ad inſtar cellulis diſtinctus.

III. Μέσῳ δ' αὐτέῳ ἡ καρδίη ἐγκαθίδρυται (10) στρογγυλοτέρη καθεστῶσα πάντων ζώων. (11)

III. In ipſius autem medio cor collocatum eſt, rotundius conſtitutum, quam in omnibus eſt animantibus.

5. συνεξαναπληροῖ, *praegnans verbum: quod quis ex condigno transferat in Latinum? cui negatum eſt tam felici in componendo, Cornarius conatus eſt:* coadimplet. *Foëſius ne conatus quidem:* implet. Ita exclamat LINDANVS *Med. Phyſ. cap. VI.* §. 178. vbi hunc ipſum libellum ſtrictim recenſet. Et verum eſt omnino, hanc vocem non ſatis emphatice poſſe in Lingua Latina reddi, ſicut et multae aliae non poſſunt, de quibus Seneca inprimis, et ipſe Cicero conqueſti. Interim tamen CORNARIVS ſatis concinne eam expreſſiſſe videtur, quem et nos ſequuti. Frequentius vero Noſter eiusmodi Decompoſitis, vt Grammatici loquuntur, delectatur, quae ipſi quaſi propria et apud alios Auctores vix inueniantur, vt iam quoque GALENO notatum: Tale v. g. eſt verbum προσσυνθερμαίνεσθαι, *Lib. IV. de Morb.* et alibi, paſſim, item verbum προεξαδυνατεῖσθαι in *Coac. praenot.* et alibi etc. quod et obſeruauimus in HERODOTO, HIPPOCRATI συγχρόνῳ, vt nihil de poëtis dicam, quos imitatum ſaepius fuiſſe HIPPOCRATEM alibi diximus, et alibi, cum Deo, probamus accuratius et fuſius; προεξασθενεῖσθαι, eadem compoſitione eademque ſignificatione, dixit PHILO IVD. *Lib. de Creat. Princip. pag.* 565. et paſſim alibi; ſed haec obiter.

Sequens in textu χέλυς proprie eſt teſtudo, ſiue reptile illud amphibium ſcuto ſatis valido armatum; poſt inſtrumentum muſicum, et denique machinam fornicatam ſignificat. Hic autem fornicatam pectoris capacitatem denotat, vti in noſtra verſione bene nos expreſſiſſe opinamur. NICANDRI *Scholiaſtes ad Alexipharm. v.* 81. διὰ χέλυος, per teſtudinem, exponit διὰ τοῦ στήθους per pectus, quale et apud HESYCHIVM legitur. Hinc et χελύσσειν et χελύσσεσθαι, ἀναχελύσσεσθαι, item et χελύειν (quod rectum eſt, nam χελὺς μουσικὸν ὄργανον, eſt apud HESYCHIVM, adeo vt fallatur LINDANVS, qui in χελύσσειν temere mutauit,) per βήσσειν, tuſſire, excreare, expectorare, idem exponit HESYCHIVS et laudatus NICANDRI enarrator, qui ex ipſo noſtro HIPPOCRATE locum allegat: ἀναχελύσσεται καὶ ἐρυγγάνει θαμινά: inde et GALENVS χελύσκιον ξηρὸν (ita enim legendum, exponit per βηχίον βραχὺ, breuem tuſſiculam: idem in Gloſſis: ἀναχελύσσεται, (ita enim quidam Codd. recte habent pro ἀναχελύνεται, vt obſeruat FOESIVS) exponit ἀναξηραίνεται; exſicca-

exficcatur, quod fufpectum eft. Nifi forfan legendum cuidam vifum potius fuerit, pro ἀναχελύνεται, facili coniectura, ἀναχλιαίνεται, quod fcil. idem eft, ac ἀναξηραίνεται, inprimis, quum in quibusdam Codd. GALENI, legatur, ἀναχαίνεται, ἀναξαίνεται: de quibus vid. FOES. *in Oeconomia.* Legebam hinc aliquando: ἄνω ξηρὰ ἰνᾶται, vbi fuperne, fiue per guttur, arida (tuffim aridam vocant) euacuantur, expurgantur; fatis quidem, opinor, appofite: fed legendum potius: ἀνεξερᾷ, ἰνᾶται, aut vna voce ἀνεξερᾶται, h. e. *educit*, *euacuat*, *euomit*, *egerit*, *euacuatur*, *depletur* etc. poffet quoque legi: ἄνω ἐξερᾶται fuperne, nempe per fauces, *euacuatur*, *educitur*, quod cum expofitione Hefychiana optime concordat. (de hoc verbo ἐξερᾷν, quo et ipfe vfus eft HIPPOCRATES, DIOSCORIDES aliique, item κατεξερᾷν, quo ARRIANVS ad EPICTETVM vtitur, varia hactenus ignota notauit GATAKERVS, *Aduerf. Mifcell. pofthum. c. XLI. pag.* 854. *feqq.*) Porro EROTIANVS ἀναχελύσσεται (ita enim recte legit FOESIVS pro corrupto ἀναχελεύεται,) fcite quoque reddit per ἀναπνεῖ, refpitat: nifi forte ibi potius fcribendum fuerit, ἀναχαίνεται, vel ἀναχελύνεται, fcil. ἀπὸ τῆς χελύνης, apud ARISTOPH. quod fcil. vtrumque commode ἀναπνεῖ, poteft fignificare: praefertim quum EVSTACHIO, FOESIO que obferuantibus, ipfi Codd. admodum hic varient, nunc ἀναχελεύεται, nunc ἀναχελίσχεται, nunc denique ἀναχαίνεται, exhibendo. Sed, vt ad fuperiora adhuc redeam; forfan illud ἀναξηραίνεται, *in Gloffis* GALENI, commode explicari poffit per *exhauritur*, feu *euacuatur*, quomodo fere fumitur apud CALLIMACHVM, ARISTOPHANEM, poëtasque alios: item apud DIOSCORIDEM, PLVTARCHVM, PHILONEM IVDAEVM, ATHENAEVM et alios. Sed haec obiter. Spartanos autem inprimis χελύττειν et χελύσσειν pro βήττειν et βήσσειν, tuffire, vfurpaffe teftis eft CLEM. ALEXANDRINVS in Protrept. vt ad HESYCHIVM notauit SOPING. Vide quoque de his FOESIVM in *Oecon.* et LINDANVM locis cit. Videtur autem allegoria τοῦ χέλυος, ἀντὶ τοῦ στήθους, ex eo potiffimum deducta; quod thorax regia vitae vifcera, cor puta atque pulmones, ad inftar teftudinei fcuti, ab omni externa iniuria farta tectaque conferuat, vnde et θώρακος fiue *thoracis* h. e. *lorice*, *munimenti*, *turris* nomen; et PLINIVS *L. XI. c.* 37. *pectoris murum* elegantiffime appellauit: porro, quod ad inftar *muficae teftudinis*, ad fonum articulare edendum plurimum conferat, vnde et pectus ARISTOTELI aliisque ὄργανον, et noftro HIPPOCRATI ipfi *in Libro de Loc. in Hom.* pluries κιθάρος, venuftiffime dictum eft, (χέλυς enim idem ac κιθάρα, ἀπὸ γὰρ ὁ στράκὸς χελώνης, κιθάρα γίνεται, inquit HESYCHIVS, et κιθάρα idem ac κίθαρος, tefte eodem et ATHENAEO, vt ibi in Notis obferuat GRONOVIVS: eft autem κίθαρος vox Dorica, de qua EROTIANVS et FOESIVS *in Oecon.* plura:) inprimis legi hic meretur THEODORETI *fermo III. de Prouidentia*, vbi perbelle de thoracis et pulmonum vi mufica loquitur, atque ex hac hominis conformatione naturali, artem deinde teftudines et inftrumenta mufica componendi inuentam effe ingeniofe obferuat. Vide et STEPH. MORINVM in limine incomparabilis de Lingua primaeva operis, nec non IO. DAN. MAIORIS breue confilium de concipienda Anatome noua.

6. Modo dixerat, pulmones omnem thoracem συνεξαναπληροῦν, quod et verum: hic autem eosdem ἐς τὰ ἀριστερὰ τετραμμένους in finiftram tantum partem conuerfos effe, aut finiftrorfum verfus fpectare, (fic enim THVCYDIDI vox τρέπεσθαι fumitur, et τετραμμένας exponit: πρὸς αὐτοὺς τὰς ὄψεις ἔχουσας,)

ἰσχύας,) liquido affirmat: quod contradictorium videtur, immo et falsum. Quare LINDANVS ita locum legere praecipit: Ἐς δὲ τὰ δεξιὰ καὶ τὰ ἀριστερὰ τετρημένος, in dextrum sinistrumque diuisus: pulmones enim mediastini interuentu, in dextrum sinistrumque Lobum, aut *fibram*, vt CELSVS loquitur, diuidi, notum est, et ipse HIPPOCRATES in *Coac. praenot.* Τὰ ἀμφότερα τοῦ πνεύμονος μόρια, ambas pulmonis partes commemorat. Inde LINDANI lectionem reiiciendam penitus non esse liquido adparet: eandem tamen cum ipso in textum recipere adhuc dubito; cum quia paulo audacior; tum quia codicum deficit auctoritas, nec lacunae vestigium in iisdem conspicuum est. Minori longe negotio emendari, si necesse, posset: εἰς τὰ ἀμφότερα, aut εἰς τὰ ἀμφίστερνα, aut εἰς τὰ ἀμφω στέρνα, quae omnia apprime huc faciunt, τὸ enim ἀμφίστερνον vniuersam pectoris cauitatem quam pulmones aëre inspirato turgidi συνεξαναπληροῦσι, significat; duas porro cauitates siue duo pectora efficere videtur medius mediastini paries; inde et στέρνα in plurali frequentius legitur, vbi tamen de vno tantum thorace sermo est; vox ceterum ἀμφότερα eodem spectat, vt non indigeat Commentario. Sed nescio, ingenioſiorne sit, quam verior isthaec emendatio, qua legerim: τιτραμμένος ἐς τ' ἀρυστῆρα, *pulmo mutatus siue accedens ad haustrum, h. e. infundibulum, siue cyathum, quo liquida hauriuntur*. Nempe quid sit ἀρυστήρ, cuius origo ἀπὸ τοῦ ἀρύεσθαι ab hauriendo, docebunt ATHENAEVS, *Deipnos. L. II. Schol. ad Aristoph. Vespas, p. m.* 492. SVIDAS et alii. Quum vero notum sit, pulmones et *liquidum aëra* haurire, et *liquidum potum;* vt quidem, quod ad posterius, crediderunt Veteres, (qua de re videatur PLVTARCHVS *L. Sympos. VII. c.* I. eius plagiarius MACROBIVS, *Saturn. Lib. VII. c.* 15. PLATO in *Timaeo*, GALENVS *de placit. Hippoc. et Platonis, Lib. VIII.* et alibi, immo ipse HIPPOCRATES *Lib. de Corde*, licet studiose confutet Auctor *L. IV. de Morb.* quod tamen qui commode inter se conciliandum, egregie ex GALENO docet Vir doctus *ad Gell. Lib. XVII. c.* II. *p.* 777. Edit. GRONOV. GELLIVS, ANACREON aliique poetae inprimis) quod tamen vel superiore seculo TH. BARTHOLINVS cum IVL. IASOLINO denuo in scenam producere sustinuit, aliique multi citati GVIDOTIO in *Prolegom. ad Theophil. de Vrinis*, vbi et ipse ab hac opinione haud alienus: Conf. *Obss. nostr. ad Anonym. de Anat. c.* 43. *pag.* 88. eosdem quoque pulmones ea ex ratione ἀρυστῆρας vocari posse, nihil, quod impediat video, et quominus dicta mea veritatis specie destituantur, audiamus RVFVM EPHESIVM fidissimum HIPPOCRATIS Interpretem, qui *L. II. Part. Hom. c.* 5. ita loquitur: ὁ δὲ πνεύμων χώνης τρόπον ἐπέχων εἰς δίοδον πνεύματος, *pulmo infundibuli* siue *haustri vicem sustinet ad transitum spiritus;* ita locus vertendus; qui enim χώνην per *follem* verterunt, nae illis

Immensa caui spirant mendacia folles.

χώνη enim a χέω descendens, *vas fusorium* siue *infundibulum* significat, et non multum abludit a superiore voce ἀρυστήρ. Quam verisimilia autem haec talia videantur, ita vt pauperiores Critici his repertis CROESO et CRASSO se ditiores, et GANYMEDE beatiores crederent; nobis tamen adeo necessaria non videntur, quibus vel locum in textu assignemus, vel diutius immoremur. Constat enim, veteres Medicos Anatomes non adeo exacte peritos credidisse, pulmones cordis motum sequi: is autem maxime sub sinistra papilla persentiscitur, quia cordis mucronem siue conum illuc tendere notum est. Quumque mihi huius opinionis vestigia in *Libello de Corde* reperisse

 visus

visus sim; malim credere, Auctorem hic leuius errasse, quam asserere ipsum ingeniosis aut nostris aut LINDANI insomniis doctiorem et veraciorem reddi aut posse, aut debere.

7. De his quinque pulmonum Lobis, non vna eademque est, doctissimorum Anatomicorum sententia. Vid. HOFMAN. *ad Gal. 6. de vs. part. pag.* 101. Secus enim pulmo in duos maiores lobos, quos et πτέρυγας siue *alas* scite dixit Noster *de Coac. Praenot.* diuisi, iterum in quatuor minores lobos diuidi, vt notum, solent. Sed nescio sane cur hic HIPPOCRATIS nostri sententiam de quinque lobis pulmonum deseruerint plerique Anatomicorum. Ceu rarum enim quid quandoque obseruari scribit GALENVS *Lib. VII. Adm. Anat. de vs. part. L. VI.* et alibi, eumque sequuti PICCOLHOMINVS, RIOLANVS, SALZMAN. RHOD. VESAL. et ipse, qui hos citat, BARTHOLINVS. Quum tamen certum sit, in pulmone humano semper quinque dari distinctos, in quos diducitur, lobos, quod quidem, licet vbique verum, pauci tamen notarunt artis magistri, vt me per literas docuit Vir illustris et medicorum hodie facile princeps HERMAN. BOERHAAVE, dudum tamen id ipsum notauit THEOPHIL. PROTOSPATHAR. de FABRIC *Corp. human. Lib. III. cap. XI. pag.* 841. *Tom. XII. Bibl. Graec. Fabric.* Ceterum vocem ὑπερκορύφωσιν, quae et in *seqq.* occurrit, apud alium Auctorem, quam Nostrum, rarius forte inuenias. HESYCH. κορυφώσασθαι exponit per ἐκτελέσασθαι, *finire:* vnde κορύφωσις erit τελετή, siue quod HIPPOCRATES ipse, ex eo, quem imitatur, HOMERO habet τέλσον, *extremitas.* Per *Lobos* vulgo explicant, vti mox sequitur, λοβοὶ enim τὰ ἄκρα πάντα, testibus HESYCHIO, POLLVCE et SVIDA, significant, per τὰ κάτω μέρη reddit Etymol. M. Latine *Fibras* reddunt PLINIVS, CELSVS et alii, optime sane: Nam *Fibrum*, *extremum* veteres appellasse obseruat. VARRO *Lib. IV. de L. L. c.* 13. vbi diuus et diuinus IOS. SCALIGER adnotat, *fibram* siue *fibrum* venire a *finire*, vt *fabrum* a *facere*: quae et notata sunt LINDANO *c. VI.* §. 180. *Med. phys.* Plura ex FESTO, PHILOXENI Glossis et aliunde desumta vide apud BOCHARTVM *Hieroz. p. I. L. II. c.* 45. *pag.* 801. quamquam SALMASIVS haec nugas vocat, atque *fibrum* siue *fibram* potius deriuandum censet ex Graeco θιβρόν, ex quo Aeoles more suo postea fecerunt φιβρόν, quod idem est ac *molle*, siue *delicatum* etc. vide ipsum *Exercitat. Plin. pag.* 131. sed nobis VARRONIS et SCALIGERI alterius Varronis, sententiam magis placere, diffiteri non possumus.

8. Sequitur RVFVS EPHESIVS, qui *Lib. II. cap.* 5. pulmonis colorem aeque τεφρὸν καὶ ὑπόλευκον, *cinereum* et *subalbidum* esse asserit: sed eum esse naturalem pulmonum colorem merito negant LINDANVS, BARTHOLINVS aliique; nam potius in aegris ita obseruatur; quum in sanis sit ordinarie ex pallido-flauescens, aut ex albido rufescens, quem colorem *Heluum* Veteres Latini, FESTO auctore, vocarunt. Quum tamen quosdam cineres, v. g. *Turuarum*, vt obseruat LINDANVS, eiusmodi colore heluo h. e. ex pallido-rutilante tinctos videamus, ad illos speciatim Nostrum respexisse credibile est, atque hinc nihil, quod reprehendatur, in hoc certe commisit. His accedit VESALII testimonium, qui se quandoque pulmones fusco colore imbutos obseruasse memoriae prodidit.

Verba textus sequentia: σίγμασιν ὀρφνώδεσι κεκεντημένος ita in textum ipsum recepimus, quomodo a FOESIO et AEMILIO PORTO καλῶς τε κἀγαθῶς τε fuerunt emendata, quum antea in omnibus Codd. legeretur: σίγμασιν ὀφρανάγέσιν; quod, quid

sit,

ſit, nemo interpretum hariolari valuit, nec ego me illud diuinaturum confido. Interpretes tamen per *cauernoſum* reddiderunt; quare? non definio, niſi forte, quod iam mihi, forſan opportune, in mentem, venit; legendum ibi fuerit ςίγμασιν ὀρφναγενέσιν, vel et ὀρφνογενέσιν, h. e. *Notis*, ſiue *Punctis obſcure natis*, ſeu *ex obſcuritate prognatis*: adeo, vt ὀρφναγενὴς, ſignificatione, idem ſit, ac ὀρφνώδης. Dicitur vero ὀρφναγενὴς, aut ὀρφνογενὴς, ad eandem formam, ac νυκτιγενὴς, νεφεληγενὴς, πυριγενὴς, et ſimilia plura, in ipſis Lexicis vbique obuia, ſed haec obiter. FOESII ergo lectionem merito amplector. *Eſt enim* (en ipſius verba,) *in pulmonis colore inaequalitas, vt ſubfuſcus quidam candicante rubore color ineſſe videatur, et praeterea notis veluti quibusdam ſtigmatibus, fere ſubnigricantibus obnubilatus, aut tanquam nubium lineamentis conſperſus ac diſtinctus.* Verum LINDANVS haec falſa eſſe, atque in iis tantum vera, qui Nicotianae fumum in pulmones dimittere ſoliti, proclamat; ſaltim vt ſuae emendationi, quam adeo in textum recipere auſus eſt, hoc fuco et fumo aliquem fauorem conciliet. Legendum enim contendit: ςίγμασιν ἀφρώδεσι, *punctis ſpumoſis*, easque veſiculas intelligere vult, quae tum in tota pulmonis ſuperficie tolluntur, quando pori eius frigore obturantur, a vaporibus autem exire geſtientibus membrana inflatur: Vide ipſum pluribus *Med. Phyſ. cap. VI.* §. 183. *pag.* 244. Quis vero hic non animaduertat, hanc LINDANI lectionem et explicationem FOESIANA non ſolum non meliorem, ſed et adeo longe deteriorem eſſe? HIPPOCRATEM enim de pulmone in ſtatu ſuo naturali conſtituto, non autem refrigerato iam, et calore ſuo priuato, in quo eiusmodi veſiculae ſpumoſae conſpiciuntur, loquutum eſſe ea euincunt, quae de reliquis viſceribus diſſeruit. Quod vero praeterea FOESIO inſultat, ſine cauſſa fecit et ſine ratione: primo enim ille illa pulmonis puncta non adeo craſſe nigra et obſcura; ſed *fere nigricantia* et *ſubfuſca* nuncupauit: ſecundo; quod maxime notari hic meretur, pulmones *marmoris inſtar variegatos* in ſatis ſanis obſeruauit TH. BARTHOLINVS; hoc autem idem eſt ac ſi cum Noſtro diceret: ςίγμασι ὀρφνώδεσι κεκεντημένους, ςίγματα enim HESYCHIVS per ποικίλματα ſiue *variegationes*, vt ſic loquar, recte exponit. Ex quibus nunc patet, LINDANVM potius ipſum eſſe reprehendendum, quem et ea propter cum *ſpumoſa* ſua emendatione, ſi ita quidem loqui fas ſit, merito valere permittimus.

9. Et hanc egregiam Emendationem FOESIO debemus, atque AEMILIO PORTO, quam ceu veriſſimam, poſt LINDANVM, in textum recepimus merito, quum antea in Codd. ſine vlla ratione legeretur: τε θρηνιώδης, pro quo olim CORNARIVS ἀντρώδης legit, vt ex eius verſione patet, non tam a ſenſu, quam veteri ſcriptura longius recedens. Eſt autem vox τενθρηνιώδης, ἀπὸ τοῦ τενθρηνίου, h. e. κηρίου, ſiue fauo, aut nido ex cellulis conſtructo inſecti cuiusdam aculeati, veſpae ſimilis; mellificantis tamen, ſiue vno verbo, apis ſilueſtris, quod τενθρήνην vocat NICANDER v. 545. *Alexipharm.* ARISTOTELES autem *Lib. IX. Hiſt. Animal.* c. 43. Τενθρηδῶνα; ita enim recte definit HESYCHIVS, per ζῶον τῶν ἐντόμων καὶ κεντροφόρων, παραπλήσιον σφηκί· ἔνιοι ἀγρίαν μέλισσαν. Hinc igitur vox τενθρηνιώδης deſcendens aliquid faui eiusmodi ad inſtar cellulis et alueolis diſtinctum ſignificat, vt in verſione expreſſimus; aut ſi vno verbo velis, *teredinarium* dicas cum SCALIGERO patre et GAZA, aut *teredinoſum*, etſi vna voce vix ſatis commode reddi poteſt, multo minus *perforatum*, vt FOESIVS fecit CALVVM ſequutus, hincque a LINDANO non iniuria notatus.

Supra

Supra laudatus HESYCHIVS τενθρηνῶδες exponit per πολὺ καὶ κενὸν κηρίον καὶ ἀραιόν, quanquam haec paulo aliter in ſuum Gloſſarium tranſtulit VARINVS; quod et notatum FOESIO. Niſi forſan pro πολύκενον, vtrobique potius legendum fuerit πολύκεστον, aut πολυκέντητον, vt iam monui, *in Obſeruat. Crit. Cap.* 18. *Lib. IV. pag.* 420. PLVTARCHVS quoque *Sympoſ. L. VIII. cap.* 3. hanc vocem per πολύκενον et in *Quaeſt. Plat. VI.* per πόρους καὶ οἴμους ἔχον, optime exponit, niſi quod ibi τενθρηνῶδες legatur, quod in τενθρηνιῶδες mutare non auſim, quum et hoc probum eſſe poſſit, vt vel ex hoc AELIANI loco, (ſuauiſſimi hercle Auctoris, quemque cum hactenus nullo ſuo merito, plane neglectus fuerit ab Eruditis atque deſertus, innumeris locis correctum et emendatum edituri ſumus *) σὺν θεῷ!) quem cum bona lectoris, vt ſpes eſt, venia hic emendabo, dilucidius patebit: Locus legitur *Lib. XII. cap.* 20. *Hiſt. Animal.* in hunc quidem modum: οἱ δὲ ἄκερως ταῦροι τὸ θρηνῶδες, οὕτω δὲ ὀνομάζει Δημόκριτος ἐπὶ τοῦ βρέγματος οὐκ ἔχοντας (εἴη δ᾽ ἂν σηραγγῶδες λέγων) ἀντιτύπου τοῦ παντὸς ὄντος ὀστέου, h. e. infelici GILLIO feliciter ſatis interpretante: Mutili boues Threnodes, vt DEMOCRITVS vocat, id eſt, foraminulentam cranii partem et poris ſiue meatibus plenam non habent, ſed os vniuerſum ſolidum. Nihili hic eſſe vocem τρηνῶδες, vel ex praefixo obelo liquet. GESNERVS in margine τρημῶδες legere vult pro τρηματῶδες, vel et τριπῶδες (ipſa haec emendatio emendanda, nam θριπῶδες debebat ſcribi,) ἀπὸ τῶν θριπῶν, h. e. teredinibus ligna terebrantibus et perforantibus: PAMODENIVS ad Philae *Cap. XL. pag.* 165. κρηνῶδες. Quae huic loco oppido quidem conuenirent, niſi in priore lectione duriuſculum paullo cognoſcerem contractionem; in poſteriore autem detortum aliquanto ſignificatum, in vltima denique *Pauwiana*, ipſius puritatis graecae defectum, nuſquam enim occurrit Κρηνῶδες, vt alibi a nobis liquidius demonſtratum. Legendum itaque mihi certo certius videtur pro corrupto illo θρηνῶδες, τενθρηνῶδες; vt apud PLVTARCHVM eſt, aut τενθρηνιῶδες, vt apud noſtrum eſt HIPPOCRATEM et HESYCHIVM, quanquam prius priſcae ſcripturae veſtigiis preſſius paullo inſiſtit; quam meam lectionem vel ipſum adiectum Scholion: σηραγγῶδες h. e. fiſtuloſum, foraminulentum, (per χαῦνον enim, ἀραιὸν καὶ πολλοῖς τρήμασι διῃρημένον vocem σηραγγῶδες recte exponit in *Exegeſi Hippocrat.* GALENVS) egregie confirmat. Sed nunc e diuerticulo iterum in viam. HIPPOCRATES igitur, quando ſignificanter pulmones φύσει τενθρηνιώδεις, h. e. *naturaliter*, (ſeu quod idem, quod compagem et conformationem, quomodo φύσεως vocem ſaepe ſumſit Noſter, de quo alibi ex inſtituto plura dicta ſunt,) in *cellulas diſtributos* vocat: non tam ad Tracheae et arteriae pulmonalis per pulmonem ramificationes; quam potius ad vniuerſam pulmonis ſubſtantiam, puta *fiſtuloſam* et *vaſculoſam*, quam acutiſſimus MARCEL-

LVS

*) Laeta haec ipſa ſpes poſtea, ſero quidem, et demum, poſt 16. Annorum decurſum; ſed tanto tamen ſplendidius atque felicius, adimpleta fuit. Anno enim 1744. auſpiciis ill. MEADI, et cura atque induſtria Celeb. et amiciſſimi nobis ABRAHAMI GRONOVII, Londini, tandem prodiit hic ipſe Aelianus, duobus Voluminibus, forma quarta auguſta, chartis et characteribus nitidiſſimis et prorſus magnificis, cum Notis et obſeruat. CONR. GESNERI, ipſius laudatiſſimi GRONOVII, et noſtris denique Animaduerſionibus et emendationibus qualibuscunque. Vbi *Tom. II. pag.* 1085. de hac ipſa noſtra Emendatione, et in AELIANO, et in ipſo HIPPOCRATE, feliciter, opinor, tentata, plura ſunt legenda; ſed et in *Obſeruationibus noſtris Criticis, Lib. IV. cap.* 18. *pag.* 415. *ſqq.* accuratiſſime et vberrime de binis his locis tractauimus, PAVWIIque ſimul coniecturam confutavimus, vix graece legentis, κρηνῶδες.

LVS MALPIGHIVS nostra aetate se primum detexisse opinatus est, respexisse videtur. Quod enim hic ita ad sagacissimum BORELLIVM transcripsit: *Diligenti industria adinueni, totam pulmonum molem, quae vasis excurrentibus appenditur, esse aggregatum quid ex leuissimis et tenuissimis membranis, quae extensae et sinuatae paene infinitas vesiculas orbiculares et sinuosas efformant*, VELVTI IN APVM FAVIS, (notentur haec quaeso,) ALVEOLIS *ab extensa cera in parietes conspicimus*. Hoc inquam HIPPOCRATES per vnicam vocem τενθρηνιώδης, *faui ad instar cellulis distinctus*, exquisitissime indicasse mihi videtur. Et ne putemus, hoc vno loco, qui ob Auctorem non satis notum, in controuersiam vocari posset, diuini Senis tantum niti auctoritatem: en alium ex Lib. περὶ σαρκῶν, §. IX. vbi de pulmonis conformatione in huncce modum loquitur: Ἡ καρδίη τῦ ὑγρῦ κολλωδέστατον θερμαίνυσα ταχὺ ἐξήρανεν ὅκως περ ἀφρὸν καὶ ἐποίησεν σηραγγῶδες, καὶ φλέβια πολλὰ ἐν αὐτέῳ: *Cor ex humido glutinosissimum calefaciens cito exsiccauit veluti spumam, et fecit illud foraminulentum venulasque praeterea in ipso plurimas.* Vides hic ipsum pulmonum corpus statui σηραγγῶδες, hoc e. idem, quod τενθρηνιῶδες, vt AELIANVS nos supra docuit: vides porro, venulas per pulmones dispersas sollicite ἀπὸ τῶν σηράγγων separari; illa enim φλέβια διὰ τῶν σηράγγων τείνεται, h. e. per substantiam pulmonum vesiculosam et fistulosam feruntur. Porro Noster *Lib. de Vet. Med.* §. *XL*. pulmonem σπογγοειδέα, siue Spongiformem vocauit, et in *Lib. de Ven.* §. *XIX.* eundem dixit σπλάγχνον σπογγοειδὲς, siue *viscus spongiforme*. Possem plura huius sensus loca ex *Lib. IV. de Morb. de Loc. in Hom.* et aliunde allegare, nisi haec sagaci animo satis esse crederem. Verum non HIPPOCRATES solum; sed et qui tantum ducem sequuti, eiusmodi vasculosum corpus pulmoni attribuerunt. PLATO *in Timaeo*, πνεύμονος ἰδέαν σύριγγας, aut, vt GALENVS rectius legit, σήραγγας ἔχυσαν ait οἷον σπόγγυ κατατετρημμένας; de quo loco legendus laudatus modo GALENVS *L. VII. de Dogmat. Hipp. et Plat.* circa fin. item ATHENAEVS *Deipnos. L. XV. p.* 688. Conf. huc HOFMANN. *Comment. ad Lib. VI.* GALEN. *de Vs. Part. p.* 98. Hunc ingratus et erga praeceptorem PLATONEM, et nostrum pariter HIPPOCRATEM sequutus est discipulus ARISTOTELES, qui *Lib. III. c.* 6. *de Animal. part.* et alibi, pulmonem σομφὸν, siue spongiam vocat, eique σομφότητα adscribit. ASCLEPIADES, PLVTARCHO Auctore *de Pl. Ph. IV.* 22. λεπτοτάτυς πόρυς in pulmone agnoscit, et apud eundem *Sympos. VII.* 1. PLATO laudatur, quod sciuerit τόν τε πνεύμονα σήραγγας ἔχειν καὶ πόρυς εἶναι κατατετρημμένον, quae MACROBIVS, qui plurima, vt notum, ad verbum ex PLVTARCHO furatus est, ita transtulit *L. VII. Saturn. c.* 15. *pulmo tot meatibus distinctus est, et interpatet rimis.* Inprimis autem huc ARETAEVS facit, qui *L. I. de Caus. Chron. c.* 10. pulmonem vocat μανὸν, πολύτρητον καὶ σπογγίῃ ἴκελον, *rarum, multiforum et spongiae similem*: tale et alibi habet, vt et RVFVS EPHESIVS; NEMESIVS *c. XVIII. de Nat. Hom.* pulmonis carnem ἀφρώδεα *spumosam*, vocat: Auctor *Introduct. Anat. Gr. c. XLI.* pulmonem σομφὸν καὶ συρίγγων πλήρη appellauit, vbi vid. *Obseru. nostras pag.* 80 *sqq.* et THEODORETVS *Serm. III. de Prouident.* σπογγοειδὲς καὶ πολύπορον τῦ πνεύμονος σῶμα pronunciauit: Nihil iam de GALENO dicam, apud quem plurima in hunc sensum loca deprehendere licet. Similiter et CELSVS *Lib. IV. cap.* 1. pulmonem *spongiosum* dixit, et luculentius adhuc PLINIVS *L. XI. c.* 37. *pulmo est spongiosus et fistulis inanibus cauus*; adde CICERONEM *L. II. de Nat.*

Deor. Sed haec sufficiant, nisi, quod vereor, plura iam dixerim, quam vt sufficere possint. Patet interim ex hactenus dictis MALPIGHII inuentum haud adeo esse nouum, quam quidem credidit, licet eum rem subtilius longe ac studiosius, quam veteres demonstrasse, nulli negemus: adeo, vt Comici istud huc commode quadret; quod scilicet *nihil dicatur, quod non dictum sit prius.* Supersedere autem hoc labore iure hic potuissem, nisi et ALMELOVENIVS in suis Inuentis Nou-Antiquis, et SPONIVS in Aphorismis Nouis, hoc Caput, vt plura alia, suo tempore a nobis demonstranda, plane intactum intentatumque reliquisset. Vidi tamen postea, haec quoque in mentem venisse TH. BARTHOLINO, cuius vide *Librum de pulmonibus Sect. I. seqq.*

10. Quod hic per ἐγκαθίδρυται effert, eleganter in *Lib. de Corde* ita exprimit: τὴν ἕδρην ἐμπεποίηται, *sedem fixit*: Hinc DEMOCRITVS καρδίαν βασιλίδα, veluti τῇ ἕδρῃ ἐγκαθιζομένην siue solio suo insidentem scite vocauit. Inprimis pia sunt et ingeniosa, quae saepe iam laudatus THEODORETVS *Serm. III. de Prouident. pag.* 50. 51. de corde disseruit, quae, quia liber iste non omnium manibus teritur, digna sunt, quae huc transcribantur: ὁ δημιουργὸς καρδίαν κυριώτατον οὖσαν μόριον, καὶ τὴν ἡγεμονίαν τοῦ σώματος πεπιστευμένην, καθάπερ τινὰ βασιλέα πάντοθεν περιφράττει, καὶ περίβολον αὐτῇ ἰσχυρὸν τὸν θώρακα περιτίθησιν, ἵνα μηδὲν αὐτὴν ῥᾳδίως τῶν ἔξωθεν προσπιπτόντων λυπῇ. h. e. Summus Creator Cor, vt praestantissimam partem, quaeque corporis imperium sibi habeat concreditum ceu regem quendam vndiquaque circumuallat, ipsique validum murum, pectus videlicet, circumponit, vt hac ratione nihil externorum iniuriarum adeo facile ipsum contur are possit: similia his passim apud GALENVM *Libb.* praecipue *de Vs. part.* it. de *Dogmat. Hipp. et Plat. L. II.* et alibi inuenias: eleganter quoque PLINIVS *L. XI. cap.* 37. *Cor Costarum et pectoris muro munitum* vocauit, adde CICERONEM sup. cit. de *Nat. Deor.* De medio vero Cordis ipsius in pectore, situ, vid. Controuersiam in IO. MATTHAEI *Quaest. Med. difficil. X. pag.* 33. *sqq.* ridiculam autem huius controuersiae originem apud HOFMAN. ad GALEN. *Lib. VI. de Vs. part. pag.* 98. Est autem allegoria petita a deorum dearumue statuis, quae in medio templo collocabantur: vt ex illo MARONIS notum:

In medio mihi Caesar erit, templumque tenebit

qui et *Aeneidos l. de Didone*:

Tum foribus Diuae, media testudine templi
Septa armis, solioque alte subnixa resedit.

vt de aliis locis taceam; res quippe satis nota. Vid. interim, si lubet, plura de hoc ritu, apud DE LA CERDA in vasto doctoque Comment. ad l. *Aen. pag.* 97. et PRICAEVM, *ad Lib. III. Metamorph.* APVLEII *pag.* 177. SERVIVM, et alios plures. Et hoc, quem dixi, significatu, inuenitur verbum ἐγκαθίδρυσθαι apud DIODOR. SICVLVM *Lib. V.* et alibi, item apud LVCIANVM, *Lib. de Amoribus*, et aliis quoque locis hinc inde occurrentibus. Ceterum ita et elegantissime, de ipsa rationalis mentis sede, in medio capite, dixit CLAVD. PTOLEMAEVS, *Lib. de iudicandi Facultate, pag.* 26. τὸ διανοητικὸν, ἀμέριστον ὂν τῇ οὐσίᾳ, καθιδρῦσθαι ἐν τῇ κεφαλῇ, καὶ περὶ τὸν ἐγκέφαλον. Sed haec obiter.

11. Addidit hic CORNARIVS προμηκεστέρη, sine auctoritate; sed et sine necessitate. Retinuit tamen in versione LINDANVS, quamuis in ipsum textum non receperit; quem praecipitem lapsum sexcenties commisit, et iam aliis, et mihi quoque nuper fuit notatum: FOESIVS autem in *Notis*, hoc quidem monuit; sed in ipsum Textum recipere merito repudiauit,

diauit. Immo boni CORNARII liberalitatem ipse redarguit Auctor *Introductionis Anat.* cap. XXXIX. hisce quidem verbis: Τότε ὅλον καρδίης εἶδος ȣ̓ πρόμηκές ἐστιν, ἀλλὰ στρογγυλώτερον; Tota Cordis figura non tam oblonga est, quam rotunda; quae ex ARISTOTELE transsumta quin sint, nullum relinquitur dubium, cuius en verba ipsa ex *Hist. Animal. Lib. I. cap.* 17. Τὸ ὅλον καρδίης εἶδος ȣ̓ πρόμηκές ἐστιν, ἀλλὰ στρογγυλώτερον. Rufus etiam EPHESIVS *Lib. II. cap.* 8. καρδίην τῷ σχήματι στρογγυλοειδῆ, *Cor forma turbinatum:* qui cum conferas GALENVM *Libb. de Vs. part.* et de *Administ. Anat.* etc. Vid. Cl BERNARD. ad istum *Anonym. Graec.* supra citatum, *pag* 72. vbi haec nostra laudat, et alibi.

IV. Ἀπὸ δὲ καρδίης ἐς ἧπαρ βρογχίη πολλὴ καθήκει (12) καὶ μετὰ βρογχίης φλὲψ μεγάλη καλευμένη, δι' ἧς ὅλον τὸ σκῆνος τρέφεται. (13)

IV. A corde ad Hepar arteria cartilaginea ampla tendit; et cum hac cartilaginea arteria, Vena, quae magna dicitur, per quam vniuersum corporis tabernaculum sustentatur.

12. Reduximus hanc antiquam lectionem cum FOESIO, quam sine fontica caussa exturbauerat CASP. HOFFMANNVS *L. I. de Thorace, cap.* 7. apud LINDANVM *Med. Phys. cap. XVI.* §. 202. *p.* 806. haec nempe illius loco substituens. ἀπὸ δὲ τῆς καρδίης ἐς ἧπαρ βρυχίη καθήκει φλέψ, μεγάλη καλευμένη: satis quidem ingeniose; si satis vere. Quae LINDANVS miro, pro more, nouitatis studio impulsus exemplo arripuit et in ipsum textum temere intrusit: sed sine necessitate, vt dixi. Hanc enim, quam restituimus, Lectionem iam GALENI aetate approbatam fuisse, testatur eiusdem Glossarium, vbi βρογχίη (vt recte emendat FOESIVS pro βρόγχη,) explicatur per ἀρτηρίην χονδρώδη, siue *arteriam cartilagineam*; quo ad praesentem HIPPOCRATIS locum respexisse GALENVM, nec FOESIVS dubitauit, nec nos dubitamus. Summe autem iniurii cum HOFFMANNVS, tum LINDANVS hic in optimum fuere FOESIVM, quando eum haec de arteria aspera interpretatum fuisse arbitrati sunt. Quis enim, obsecro, credat, excellentissimum illum Medicum in re Anatomica adeo puerum, immo infantem fuisse, vt arteriam asperam e corde egredi, atque dein hepar ingredi pudendo adeo errore tradiderit? quum certum potius sit, vtrosque hos FOESIO-mastigas, doctissimum Virum non intellexisse; sed potius, quum ista legerent, coecutiisse, immo limis lippisque oculis eius Oeconomiam inspexisse. Ibi enim aperte docet, quanam ex ratione GALENVS βρογχίην per χονδρώδη ἀρτηρίαν explicuerit: scilicet, quia istud βρογχίη deriuauit ἀπὸ τȣ̃ βρόγχȣ, h. e *arteria aspera* (vt in limine explicuimus) quam ἐκ τῶν βροχχίων, h. e. ex *annulis cartilagineis* compositam esse omnibus constat, de quo et in antecedentibus a nobis actum. Dixit igitur FOESIVS (en eius verba!) βρόγχον *arteriam asperam significare, quod plurimis* βρογχίοις, *siue corpusculis cartilaginosis constet:* non vero βρογχίην in hoc nostro loco, quam vocem potius significatum suum ab illo βρόγχῳ quodammodo mutuatam fuisse, ita vt eam per arteriam quandam cartilaginosam in genere (non autem arteriam asperam carti-

 laginosam

laginosam in specie,) interpretaretur GALENVS, rectissime asseruit. Ceterum nec ipse quoque Cl. DAN. CLERICVS hunc locum intellexit, sed et ne recte quidem legit; apponam ipsius verba ex *Hist. Med. Part. I. Lib. III. cap.* 3. *pag.* 128. *Hippocrate remarque que plusieurs bronchies* (βρογχίαι) *passent du coeur dans le foye, et avec ces Bronchies la grand' veine, par laquelle tout le corps est nourri.* Quae contra mentem HIPPOCRATIS. Sed hoc de verbis; iam tandem ad res: quid enim per βρογχίην; quid etiam per φλέβα μεγάλην intellexerit Auctor, multum refert, vt vberius paullo hic edoceatur. Puto ergo, per βρογχίην significasse τὴν κοίλην siue *venam cauam*, per φλέβα μεγάλην autem τὴν πύλην, siue *venam portam*, aut *portae*, quam et *ostiariam* vocare solent: προσπεφύκασι γὰρ τῷ ἥπατι αὗται δύο φλέβες μέγισται, ἡ μὲν καλουμένη πύλη, ἡ δὲ κοίλη, h. e. *Adnatae enim sunt Hepati, haec duae insignes et amplae venae, quarum vna porta, altera caua dicitur*, verba sunt Auctoris *Introduct. Anat. cap. XIX.* ex ARISTOTELE, quicum conferatur GALENVS, *Lib. VI. de Placitis Plat.* et *Hippocratis* item *Lib. de Ven. et Arter. Dissect.* Conf. *obs. nostr.* ad laudatum Auctorem Introduct. Anat. in *Addend. Edit.* Cl. BERNARDI. Scio quidem ab his horumque asseclis, venam cauam ordinarie fere vocari φλέβα μεγάλην, *venam magnam*, quia et reuera maxima est et amplissima: sed an ista denominatio iam HIPPOCRATIS aeuo fuerit recepta, aeque potest dubitari, quam affirmari; magis tamen dubitari. Videtur igitur, venam portae hic potius μεγάλην, siue magnam vocatam esse, quia post venam cauam, omnino maxima est in tota corporis machina. Immo et ipse GALENVS eam vel simpliciter μεγάλην, *magnam*, aut cum additione πρὸς πύλας aut ἐπὶ τὰς πύλας, variis in locis, obseruante LINDANO, *Med. Phys. pag.* 807. cauam autem ad illius differentiam, μεγίστην siue *maximam* locis supra citatis, vocavit. Et quid multa? ipse HIPPOCRATES, hic βρογχίην, siue *venam cauam*, πολλὴν h. e. *spatiosam*, *amplam*, *maximam* significanter appellauit, (ita enim hanc vocem hic reddi potius conueniebat, vt a nobis quoque in *versione* obseruatum, quomodo a THVCYDIDE, AELIANO et aliis bonae monetae Auctoribus vsurpatur, πολὺ γὰρ ἀντὶ τοῦ μέγα, exponit HESYCHIVS, quam per *multam*; vid. CASAVB. *ad Dionys. Hal. pag.* 16. HEINS. *ad Max. Tyr. Diss. XII. pag.* 83. WESSELING. *ad Herodot. Lib. VII. pag.* 571. aliosque plures. Sicuti inconsulte factum fuit ab interpretibus omnibus et ipso quoque DAN. CLERICO, vt supra notatum) quod optime respondet descriptioni in *Libro de Carn.* vbi eam venam κοιλοτάτην, *cauissimam* vocat, ad distinctionem videlicet venae portae; quae κοίλη tantum siue caua vocatur. ARISTOTELES etiam scite appellauit πλατεῖαν, siue latam, amplam, spatiosam, ita vt haec vox, quod ad significationem, accurate respondeat voci πολλῇ, vtramque enim *spatiosum* et *amplum* significare notum est. Haec igitur βρογχίη πολλή, eadem vena est, quam Libro *de Ven. Epid. II.* et alibi vocauit Noster Ἡπατίτην, siue *Iecorariam*; vbi enim vena caua ἀΐσσει ἐς τὸ ἧπαρ, ad hepar insilit, vt ibidem loquitur, aut, vt rectius dicam, aliquantisper tantum ad hepar divertit, nomen Ἡπατίτιδος, siue *Iecorariae*, item *Hepatariae*, indipiscitur; quod tamen vna cum abitu ex hepate iterum amittit: videatur GALENVS, *Comm. II. in Lib. de Nat. Hum.* it. *de Foet. Form. de Venar. et Arter. Dissect.* vt et RVFVS EPHESIVS, *Lib. I. cap.* 33. sed nunc difficultas non leuis oboritur, cur nempe HIPPOCRATES Venam cauam hic arteriam; et cur cartilagineam dixerit; et an recte fecerit. Possem hunc nodum statim dissecare,

ſecare, ſi GALENVM hanc vocem βρογχίην haud recte explicuiſſe aſſerere vellem; ſed malo eum ſoluere. Quod ergo ad prius, notum eſt, quam ſaepe Veteres arterias cum venis confuderint, vtrasque ſcilicet συνωνύμως ſumendo, qua de re alibi a me dictum fuit, nempe in *Epiſt. Med. Crit. ad* Cl. IO. FREIND, *p.* 62. Conf. MARSIL. CAGNAT. *Lib. I. Var. Obſſ. Cap.* 16. MARTIAN. *Comment. in II. Praedict. pag.* 512. et paſſim. ASELL. *de Ven. Lact. cap. XI.* GELL. *L. XVIII. cap.* 10. FOES. in *Oecon.* HOFMANN. in GALEN. et alios plures. Verum mittamus hoc, tanquam ad inuoluendum magis HIPPOCRATEM, quam euoluendum, idoneum. Videtur ſcilicet vena caua non inepte inter arterias quodammodo referri poſſe, cum ratione tunicae, tum ratione motus et pulſus. Tunica eam ſatis craſſa ac denſa eſſe indutam, nemo in dubium vocare poteſt: motum autem inteſtinum habere, aut ſaltum quemdam ἀρτηριώδη mentiri, per tranſennam et nebulam quaſi iam viderunt ARISTOTELES *cap.* 20. *de Reſpir.* atque GALENVS, *L. VI. de Vſ. part.* et locis aliis ab HOFMANNO citatis: immo ipſe HIPPOCRATES, Lib. περὶ Σαρκ. et alibi: manifeſte autem patrum noſtrorum memoria, obſeruarunt WALAEVS, ENTIVS, SYLVIVS, aliique BARTHOLINO teſte: vide HOFMANNVM, *Comment. in Lib. VI. cap.* 16. *et* 17. GALENI de *Vſ. Part. n.* 397. Ideoque nihil errauit hic HIPPOCRATES, quum venam cauam arteriae nomine inſigniret, eo ſcilicet reſpectu, quod arteriarum inſtar, et tunicam craſſam haberet, et motum quendam σφυγμοειδῆ referret. Sed nunc ad poſterius: vnde ſcilicet, et vtrum vena caua vocari poſſit χονδρώδης, ſiue *cartilaginoſa*? Hic ante omnia ſciendum, vocem χόνδρον, ſiue cartilaginem, non ſenſu ſuo rigido, ſed paullo *laxiore* eſſe accipiendam, ita nimirum, vt integumentum, ſiue partem corporis membranis ſpiſſiorem et ſolidiorem, cartilaginibus vulgariter ſumtis flexiliorem, et oſſibus denique longe molliorem, hic intelligamus. Et memorabilis in hunc ſenſum legitur Locus §. XVII. περὶ Σαρκ. vbi τὰ βρόγχια ſiue corpuſcula cartilaginoſa, (de qua voce haec ipſa βρογχίη deſcendit, vt ſupra monitum) in ſequentibus explanat HIPPOCRATES per χονδρίον μαλακὸν ὅκωσπερ σπόγγος, *cartilaginem ſpongiae in modum mollem.* Quibus praemiſſis, vocem χονδρώδη hic non ſecus, quam per παχεῖαν ſiue *craſſam* reddi oportere, liquet: Ita enim Noſter *Lib. de Ven.* vt et *de Morb. Sac.* Venam et cauam et arteriam magnam, nempe φλέβας παχείας *venas craſſas*, nuncupat, ſicut et CAEL. AVRELIANVS priorem eodem modo *craſſiſſimam* vocauit: vnde et illud rurſus infertur, HIPPOCRATEM Aortam et Venam cauam pro homogeneis, ſibique inuicem ſimilibus, habuiſſe. His accedit denique, quod HIGHMORO Auctore, *ſtriga quaedam cartilaginoſa in medio venae cauae tranſuerſim emineat in medio oſtii ad cordis ventriculum ducentis aliquantum oblique adſtans*, vt verbis BARTHOLINI vtar, adeo, vt huius reſpectu, vena caua βρογχίη, ſiue arteria χονδρώδης cartilaginea omni iure vocari poſſit. Et haec de vena caua. De *vena porta* nihil dicere attinet; nulla enim hic caligo, praeterquam, quod vtraeque hae magnae venae per tubum quemdam venoſum a BAVHINO primo obſeruatum, qui e portae ſinu in cauam tendit, coniungantur, vt alias huius vtriusque principis venae anaſtomoſes taceam, quas parallelas, cruciatas, mixtas et obliquas BARTHOLINVS vocat, ab HARVEO quidem, RIOLANO aliisque in dubium vocatas; ſed iam olim ab ERASISTRATO atque GALENO obſeruatas, et a LINDANO, inprimis autem laudato BARTHOLINO, vberius aſſer-

tas et eleganti ſchemate delineatas. Vnde lux affunditur iſtis HIPPOCRATIS verbis in noſtro textu: μετὰ βρογχίης φλέψ μεγάλη καλευμένη, vna cum vena caua, vena magna (aut Porta) dicta, hepar ingreditur. Sed iam tempus eſt, vt ad hancce *Portam* ſubſiſtamus. Patere autem ex hactenus dictis confido, HOFMANNVM fruſtra hunc locum tentaſſe; et LINDANVM eam emendationem gratis Textui ſuo intuliſſe. *)

13. Ita ſolenne eſt HIPPOCRATI, DAEDALEAM corporis noſtri machinam eleganter vocare. Sic v. g. *Aph. XVIII. Sect. VIII.* σώματος σκῆνος habet, imprimis autem locus ex *Lib. de Corde* huc pertinet, vbi eodem, ac hic, modo, de venis vniuerſum corpus perreptantibus, ipſique ſalutarem liquorem inſtillantibus, ita loquitur: οἱ ποταμοὶ ἀνὰ τὸ σῶμα τοῖσιν ἄρδεται τὸ σκῆνος, *hi ſunt fluuii per corpus, quibus eius irrigatur tabernaculum.* De quo vid. *Obſſ. noſtr. ad Anonym. Graec. de Anat. Cap. XL. pag. 78. Edit. Bernard.* add. THEODORET. *de Prouid. Orat. III. p. 74.* et *p. 77.* item THEOPH. de *Fabr. Corp. Hum. Lib. IV. cap. I.* Reſtituenda quoque haec vox in altero obſcuriſſimo de ſeptimeſtri partu, Libro, vbi pro monſtroſo σκινσὰ ἑμτάμηνα, certo certius legendum eſt σκήνεα ἑπτάμηνα, vt ex contextus ſerie patet. Sed non HIPPOCRATES noſter ſolum belliſſima hac allegoria vſus eſt: verum et plerique veterum eadem ſaepius vſi ſunt. Sic DEMOCRITVS in *Epiſtola ad Hippocratem*, ὁλομελίην τοῦ σκήνεως obſeruandam eſſe monet, vt et ARETAEVS *Lib. II. cap. 6. de Acut.* Sic et OCELLVS LVCANVS in *Fragment. de Leg.* TIMAEVS LOCRVS de *Anima Mundi* extrem. PLATO *de Morte*, AELIANVS *Hiſt. Animal. Lib. V. cap. 3.* et *Lib. IX. cap. 33.* NICANDER *in Theriac. v. 742.* aliique plures, inprimis Pythagorici, ſimilitudine iſta delectantur. Legi quoque poteſt STOBAEVS *Serm. CXIX de Laude Mortis*, vt et *Serm. CXXII. pag. 612.* item et PHOTIVS *in Bibl. p. 486. ſeqq.* et HESYCHIVS, *pag. 845.* conferatur quoque DAN. HEINS. *ad Max. Tyr. Diſſ. 38. pag. 140.* THOM. GATAKER. *ad M. Antonin. pag. 348.* BARNES *ad Eurip. Herac. pag. 249.* STEPH. MONACHIVS, *Var. Sacr. T. II. pag. 631.* BOCHARTVS, *Hierozoic. P. II. Lib. 4. cap. 10. pag. 503.* et BARTHIVS *Aduerſar. Lib. XLIV. c. 9. pag. 2004.* vt nihil de PHILONE, THEODORETO aliisque, et patribus dicam, vt CHRYSOSTOMO, BASILIO MAGNO, GREGORIIS, NAZIANZENO et NYSSENO, aliisque, apud quos hac expreſſione nihil fere frequentius, prout id pluribus demonſtrabo ad DOVGT. *Analect. Sacr. P. II. Excurſ. LXXXII.* vbi et quaedam de hac phraſi. Dictum vero corpus

*) Sed contra hanc noſtram operoſam non minus, quam veriſimilem, puto, Explicationem Loci huius obſcuriſſimi, decennio poſt, nempe Ann. 1738. ſero nimis, inſurrexit Lipſiae B. GVNZIVS, longa breuique ſimul Commentatione: nempe longa, ſi verba multa inaniaque ſpectes; breui autem, ſi ſolida argumenta et iuſtas dubitandi rationes requiras: In qua nouam et inſolitam plane Viam ingreſſus, pag. 21. ita nunc hic legendum eſſe, ſeuere pronunciat: ἀπὸ δὲ καρδίης ἐς τὸ πᾶν βρογχίη πολλὴ καθήκει, καὶ μετὰ βρογχίης, φλὲψ μεγάλη καλευμένη. Scilicet hoc prorſus erat, modeſte et verecunde bonos Auctores Veteres tractare et emendare: Imo hoc potius erat ipſos corrumpere, non corrigere, lucem auferre, non afferre. Cur enim obſecro, bonus ille Vir haud potius legebat: ἀπὸ δὲ καρδίης ἔσω παρὰ ῥάχιν καθήκει, κ. λ. vt ipſe HIPPOC. loquitur, de *Nat. Hum. pag. 275.* et alibi, item ARISTOTEL. *Lib. III. Hiſt. An. pag. 798.* ARETAEVS, *pag. 20.* et inprimis, *pag. 108.* Quin imo forſan adhuc melius: ἀπὸ δὲ καρδίης ἔσω ὑπὸ βρογχίη καθήκει, vt Hipp. ait, *Lib. de Ven. pag. 368.* et alibi: Conf. EROT. et FOES. Sed haec ſufficiant.

corpus fuit σκῆνος, siue *Tabernaculum*, quoniam est τῆς ψυχῆς οἰκητήριον, *animae domicilium*, vt Auctor *Etymol. M.* scite exponit, qua de re PLATO, EPICTETVS et SENECA eleganter passim loquuti: Hinc et ipse Apostolus PAVLVS II Cor V. 1. 4. corpus nostrum οἰκίαν τῦ σκήνυς ἐπίγειον, *terrenum tabernaculi domicilium* non pie minus, quam venuste appellauit; vbi vid. MAIVS, ELSNERVS, ALBERTI, aliique plures, laudati a WOLFIO in *Cur. Philol.* in hunc loc. *pag.* 601. *Tom. II.* quibus add. STECK, et inprimis WETSTENI in istum loc. *pag.* 189. similiter B. PETRVS *posterioris suae Epist. cap. I.* 14. corpus suum σκήνωμα significanter vocauit, et in *Libro Sapient. IX.* 15. corpus itidem vocatur σκῆνος γεῶδες, ad quem locum vide quae summus GROTIVS ex EVRYSO, siue ECPHANTE et ARISTOXENO Pythagoricis, item PLATONE, et *Lib. Cabal. Zoar* allegauit *T. I Opp. Theol. pag.* 599. et *T. II. Opp. Theol. pag.* 840. ad *Cap. V.* 2. *Ep. ad Corinth.* item *in Notis ad L. I. de veritate Rel. Christ.* §. *XVI. pag.* 34. Videtur autem, ne quid dissimulem, σκῆνος loco τῦ σώματος, vsurpatum, *Hebraismus* esse, quem et τοῖς ἔξω innotuisse probabile est; sicut id in pluribus aliis phrasibus accidit, quod multis posset probari, si hic locus id pateretur. סן enim, aut שן, quod *Tabernaculum* significat, (vnde et Graecum σκῆνος, quanquam et ab altero שכן, quod idem, non incommode deduci potest) pro corporis machina apud Hebraeos sumitur, conf. GROT. ad II *Ep. Petr. I pag.* 1115. *opp. Theol. Tom. II.* descendit autem a rad. סכן siue שכן *obduxit, innexuit, adaptauit, compegit* etc. vnde IOBVS *cap. X.* artificiosissimam sui corporis fabricam coram illius opifice et architecto, Deo, laudaturus, תשככני inquit, בעצמות וגידים secundum LXX. Interpp. optime: ὀστέοις καὶ νεύροις με ἐνείρας, vbi scholion per συνέρραψας verbum תשכבני signate exponit; conf. quoque antecedentt. V. V. 8. et 9. vbi bina verba ab eadem allegoria desumta. Immo *Genes. II,* 22. verbum בנה *aedificare* de Deo ipso vsurpatur, quando, ויבן את-הצלע לאשה *aedificauit costam illam in feminam*, quae LXX. Int. satis accurate ad Hebraea ita expresserunt: ᾠκοδόμησεν τὴν πλευρὰν εἰς γυναῖκα, h. e. ex costa siue latere Adami corpus femellae, ceu aedificium, auguste et artificiose construxit, talem enim significatum verbum בנה adsciscere solet; vnde illud *Genes. XVI.* 2. *XXX.* 3. *Graeci Interpp.* per τεκνοποιεῖν scitissime vertunt; videatur GROTIVS *ad Exod. I. pag.* 28. et *ad Malach. III. pag.* 571. *T. I. Opp. Theol.* it. *ad Epist. ad Hebr. pag.* 1018. *T. II. Opp. Theol.* inde et, quod notes, ipsa vox בן *Ben*, siue *Ven, filium*, et בת *Bath, filiam* denotans, descendit, quasi, quod sint *ex parentibus exstructi*, vt recte exponit SCHINDLERVS *in Lexico pentaglotto*: videatur I. FAES *Comment. in Gyraldi Lib. de vario sepeliendi ritu, pag.* 703. *Opp.* GYRALD. *T. I.* STEPH. MORIN. *de Ling. Primaeua P. I. c.* 13. *pag.* 162. *sqq.* GVSSET *Comment. Heb. Ling. p.* 132. *seqq.* DAV. CLERICVS *Quaest. Sacr. XXII. pag.* 227. *sqq.* et GROTIVS *ad Deut. XXV. pag* 99. Omnium autem maxime huc spectat, quod SALOMO *in Coheleth. cap.* XII. 3. vbi graphica illa corporis humani, morborumque senilium descriptio continetur, (quod caput luculento Commentario Medico-Philologico olim illustrauimus, quem proxime σὺν Θεῷ edituri sumus) corpus nostrum expressis verbis בית siue *domum, aedificium*, οἰκίαν vertunt οἱ ὀ, elegantissime, vocauit; quicum et sequentes versus maxime comparandi, nam in illa allegoria ibidem SALOMO pergit, fenestras, v. g. ostia et similia ad domum proprie pertinentia, recensendo. Sic idem SALOMO corpus elegantissime vocauit עיר *ciuitatem*, siue ornatam vrbem,

bem, *Cant. V. 7.* vid. GROT. *in h. l. p.* 268. *Opp. Theol. Tom.* I. Ex quibus iam satis patere arbitror, figuram istam, σκῆνος pro corpore sumendo, non Graecis, sed potius Hebraeis, originem suam debere. Sed haec hic obiter, bona quidem, vt spes est, optimi Lectoris cum venia. Venam autem, per quam vniuersum hoc corporis Tabernaculum sustentari scribit hic Auctor Noster, posteriorem, siue portae, intelligit. Etsi enim ad priorem referri quoque et melius quidem, potest; respexit tamen potius, vt dixi, ad portam; quia nempe haec in innumeros ramos distributa, omnes fere partes in abdomine contentas peruagatur: inprimis, si et consideramus, venam ymbilicalem, per quam ἀληθῶς τὸ τοῦ παιδίου σκῆνος τρέφεται, reuera infantis corpusculum nutritur, pro venae portae sobole recte censeri, quod tamen ita dictum sit, et ita intelligi debet, vt vena quoque caua subinde non penitus excludatur.

V. Τὸ δὲ ἧπαρ ὁμοιορυσμίην μὲν ἔχει τοῖς ἄλλοις ἥπασιν (14) αἱμοῤῥωδέστερον δέ ἐστι τῶν ἄλλων (15) ὑπερκορυφώσιας ἔχον δύο, ἃς καλέουσι πύλας, (16) ἐν δεξιοῖς τόποις κειμένας (17) ἀπὸ δὲ τούτου, σκαληνὴ φλὲψ ἐπὶ κάτω νεφρῶν ἀποτείνουσα. (18)

V. Hepar autem conuenientiam quidem habet cum aliis iecinoribus; sanguinolentius autem est prae aliis. Protuberantias habet duas, quas vocant portas, in dextris locis sitas. Ab hoc denique obliqua vena deorsum ad renes protenditur.

14. Nostra haec est Emendatio, quam et bona cum Lectoris, vt spes est, venia, ceu valde probabilem, in Textum adoptavimus. Antea in omnibus Codd. legebatur ἅπασι *omnibus*, quod nec verum est, nec sensum conficit. Humanum enim Hepar bouis quidem et ouis, et quorumdam aliorum, non vero omnium animalium iecoribus simile esse, manifestum est; sensus vero quoque claudicat, si illud ἅπασι retineamus. Quare, vt vtrique malo mederemur, leuissima mutatione τὸ ἅπασι mutauimus in ἥπασι; sensu nunc claro et perspicuo: Immo verba sequentia τῶν ἄλλων, hancce emendationem adeo efflagitare videbantur.

15. Et haec vera esse, testantur illa ARISTOTELIS *Lib.* III. *de Animal. part. cap.* 12. Τὸ δ' ἧπαρ αἱματικώτατον μετὰ τὴν καρδίαν, τῶν σπλάγχνων. Τὰ δὲ (ἥπατα) τῶν τετραπόδων, καὶ τῶν ᾠοτόκων, καὶ τῶν ἰχθύων, ἐνωχρά τῶν πλείστων, κ. λ. Hepar, viscerum post cor, sanguinolentissimum: Quadrupedum autem, ouiparorum, et piscium iecinora pallida sunt. Gemina his habet *Auctor Introd. Anat. cap. XVIII.* vbi vid. Cl. BERNARD. *pag.* 36. ARETAEVS *Lib. II. cap.* 7. *de Causs. et Sign. acut. Morb.* inprimis autem GALENVS *Lib. de Vs. part. IV.* et de *Placit. Plat.* et HIPPOC. VI. etc. Sic Orbis piscis hepar lucide-flauum obseruauit BARTHOLINVS, Lampertae autem viride BONFRERIVS, VESLINGIVS aliique, vt de aliis taceam; sunt enim animalium iecinora vt plurimum aut flaua, aut pallida, aut viridia. Quanquam ruborem istum in hepate humano accidentalem potius esse, quam substantialem, recte obseruarunt GORDONIVS, VESLINGIVS

LINGIVS, BARTHOLINVS, MALPIGHIVS aliique: quia sanguineum illud concrementum siue παρέγχυμα, vt vocant, facili negotio, vel bacillo dequassari, vel leui coctura separari possit, ita vt subalbida appareat hepatis moles aut subflaua, quomodo in Embryonibus potissimum obseruatur, vt iidem viri nobilissimi adnotarunt. Interim tamen, cum hepar triplice sanguine, venoso puta, cauae et portae, et arterioso abundare, hincque in recens-natis inprimis, intense rubere animaduerterent veteres: praetereaque ipsi magnum illud sanguificationis munus deferrent, vnde GALENO, ceterisque Medicis priscis αἱματώσεως ὄργανον καὶ τῶν φλεβῶν ἀρχὴ communiter dicitur, (quamuis purpura illa furtiua illud, post structas ipsi iam ab ARISTOTELE insidias, auspicato exuerit BARTHOLINVS, contranitentibus frustra licet RIOLANO, HOFMANNO, BILSIO, ZASSIO, DEVSINGIO aliisque,) factum est, vt Epar pro viscere αἱματικώτάτῳ siue αἱμοῤῥωδεστάτῳ, *sanguinis affluentia ditissimo* haberetur: Hinc ipse Noster HIPPOCRATES *Lib. de Vet. Med.* §. XLI. illud τεθηλὸς καὶ ἔναιμον, floridum et sanguineum, et EMPEDOCLES πολυαίματον, multo sanguine turgidum appellabant, et, quod maxime huc facit, THEOPHILVS *Lib. II. cap.* 11. *de Fabr. corp. hepatis* carnem ἐρυθρὰν, *rubram*, et RVFVS EPHESIVS *Lib. II. cap.* 6. eius colorem ἐπὶ τὸ ἐνερευθέστερον, ad *rubicundius* accedere affirmant. Inde igitur et ipsum Hepatis nomen deriuandum esse harioler, quamquam non sim ἡπατοσκόπος. Videtur enim mihi Graecum Ἧπαρ, ex Hebr. חפר *Hapar, erubuit, rubore perfusus*, item *peruestigauit*, non incommode posse deriuari: et quamuis proprie vox ista de rubore morali, siue pudore vsurpetur; nullum tamen est dubium, quin et ad ruborem naturalem trahi possit. Ceterum haec Etymologia longe videtur probabilior iis, quas apud Etymologos Graecos, item BECMANNVM, VOSSIVM, et ipsum quoque BARTHOLINVM legas. Quid enim magis coactum vel fingi potest, quam vocem Ἧπαρ a פדר, *peder*, aut כבד *Cabed*, deducere, quod BECMANNVS fecit, vt taceam, τὸ פדר *adipem* potius significare, et nunquam pro Hepate sumi, vt visum quidem HIERONYMO atque MVNSTERO: vide BOCHARTI *Hierozoic*, *P.* I. *Lib.* 2. *cap.* 45. *pag.* 472. vbi id pluribus demonstrat. Sed haec alterius sunt loci. Non possum tamen inficias ire ingeniosam esse VOSSII patris etymologiam, qua Ἧπαρ dictum quasi putat ἔπεαρ, *sanguinis officina*, scilicet ab ἕπω, *facio, elaboro*, et ἔαρ, *sanguis*. Sed vnde, quaeso, hepatis nomen prius deriuabatur, quam sanguinis officina credi coepisset? Videtur ergo VOSSII Etymologia ingeniosior, quam verior; nostra contra verior, quam ingeniosior, forte et aeque ingeniosa. Sed iudicet ipse Lector.

16. ὑπερκορυφώσιας supra pulmonum lobos vocauerat: hic autem binas illas protuberantias in sima Hepatis parte conspicuas, quas *portas* vocarunt, vti mox sequitur, ita appellauit: Ordinarie enim humanum iecur integrum, et in lobos discissum non est, vt quidem asserere voluerunt HEROPHILVS, imo ipse Noster, quod mireris, HIPPOCRATES *Lib. de Ven. et Epid.* GALENVS et PLEMPIVS: etsi etiam quandoque id accidisse referunt Piccolhominus, FERNELIVS, SYLVIVS aliique, de quibus, vt et de tota hac controuersia fusius agit HOFMANNVS *Comment. in Galen. de Vs. part. Lib. IV. n.* 208. 209. *pag.* 65. sed de brutis, excepto boue et oue, illud notum est, quorum hepatarios lobos ordinarie *pinnas* aut *fibras* vocabant Haruspices, vt praeter multos alios videre est apud LVCANVM, *Pharsal. Lib.* I. SENECAM *Thyeste*, vt

Mm et

et VIRGILIVM. Hebraei vocant יותרת הכבד *Iothereth Haccabed*, λοβὸν enim τῦ ἥπατος vertunt οἱ ό, vulgo reddunt *reticulum*, siue omentum, vt Hieronymus fecit, a cuius sententia non alienus est. NIC. FVLLERVS *Lib. V. Miscell. Sac. cap.* 14. *pag* 71. 72. quem tamen solide, vt solet, confutauit BOCHARTVS *Hierozoic. P. I. Lib.* 2. *cap.* 45. *pag.* 498. docens, recte יותרת verti per *lobum hepatis*. Vide tamen, quae contra Bochartum monet GVSSETIVS in *Comment. Hebr. Ling. p.* 375. vbi vocem יותרת per *omentum*, explicare contendit. Vocari tamen binas illas maiores partes, dextram puta atque sinistram, in quas dirimitur a nonnullis humanum iecur, lobos posse, non inficior: et de his explicandus est POLLVX *in Onomast. Lib. II. cap.* 4. quando λοβῶν ἡπατίων mentionem fecit. Habet et praeterea lobulum proprie sic dictum, qui in omentum exporrectus hepar a nimio sero euacuare creditus est a SPIGELIO, quanquam alios vsus eidem assignauit GLISSONIVS: de hoc lobo loquitur HIPPOCRATES Noster *L. de Ven. XIV.* et HESYCHIVS λόβιον τὸ ἄκρον τῦ ἥπατος, vt alios taceam. Sunt itaque αἱ ὑπερκορυφώσεις hic carunculae illae vt sic dicam, protuberantes, quas πύλας siue *portas iecinoris portas* latine reddit CELSVS V. 26. 2. vocarunt, ab *importando* scilicet per eas, ope cognominis venae, (de qua supra,) ad hepar, ceu κοινὸν quoddam ὅλῃ τῦ ζώῃ πέψεως χωρίον, vt GALENVS ait, omnem annonam corporis, pro sanguificatione, vt veterum credidit simplicitas; ita cum LINDANO loquor. HESYCHIVS vocem πύλας recte explicat per ἐκτροπὰς *extuberantias*; pro quo perperam, ἐπιτροπὰς aut ἐπιστροφὰς legere mauult idem HOFMANNVS *Lib. sup. cit.* Nescio autem, quis SALMASIO persuaserit, vt πύλας quoque venarum per iecur discursus significare scriberet, *Exercit. Plin. pag.* 91. nam locum potius, in quem mesenterii venae coibant, πύλας etiam vocatum fuisse, testatur GALENVS, de *Admin. Anat. Lib. VI.* Recte vero idem adnotauit HESYCHIVS, vt et RVFVS EPHESIVS, et post hos CASAVBONVS *ad Capitolin. pag.* 560. *Script. Hist. Aug. Tom. I.* it. HOFMANNVS, portarum nomen istis protuberantiis ab harufpicibus fuisse impositum. Vid. et huc IOS. BARNES. ad *Euripid. Elect. v.* 828. *pag.* 425. In iecinore enim antiquissimis temporibus extorum fuisse caput, adnotauit PLINIVS *Lib. XI. cap.* 37. CICERO *Lib. II. de divinat.* LVCANVS, *Pharsal. Lib. I.* 627. et pluribus ad SVETONIVM SCHILDIVS, vt et GROTIVS *ad Ezech. XXI.* 21. *pag.* 426. *Tom. I. Opp. Theol.* immo PLATO hepar μαντικῆς χάριν, siue haruspicinae gratia, fuisse natum, asserit *in Timaeo.* Inde et nomina τῶν σημείων, v. g. mensae, τραπέζης (qua voce, vt id obiter moneam, circumscribunt R. SELOMO, KIMCHIVS, et MARDOCHAEVS in *Concordantiis* vocem יותרת *Exod. XXIX,* 13. de qua supra, scribentes שא פרם *Trapesa*, vide Fullerum loc. sup. all. inprimis autem BOCHARTVM *Hieroz. P. I. L.* 2. *cap.* 45. *pag.* 501.) *Gladii, vnguis*, etc. quae eodem RVFO Auctore, *Lib. I. cap.* 28. aruspices quibusdam hepatis partibus indiderunt, petenda sunt; conf. POLYAENI *Strateg. Lib. IV. pag.* 329. et ibi *Comment.* etsi GALENVS *Lib. IV. de Vs. part.* in ea versatur opinione, hoc nomen a viro quodam veteri δεινῷ περὶ φύσιν, quemque hinc merito HIPPOCRATES, et vniuersus Asclepiadarum chorus essent sequuti, illis hepatis eminentiis fuisse impositum, quod tamen recte confutat HOFMANNVS, *pag.* 59. *Comment.* Aliud vero sunt πυλαία in hepate; aliud πύλαι, quae neutiquam vt fieri solet, inter se sunt confundenda. Πυλαία enim ἡ μέση τῦ ἥπατος ἐνευχωρία παρὰ τοῖς θύταις, *me-*

dium

dium hepatis spatium ab extispicibus dictum est, verba sunt Scholiastae *ad Demosthenis Orat. de Corona:* vocarunt nempe πυλαία rimam illam, siue sinum, per quem vena vmbilicalis profertur, quem et suo vocabulo haruspices eosdem *fissum hepatis* vocasse, ad PLINIVM notauit SCALIGER, et SALMASIVS *Loc. sup. cit.* qui tamen in eo iterum errat, quod πύλην illam εὐρυχωρίαν μέσην dictam putet, quum πυλαίαν scribere debuisset; sicut in eo, quod τράχα eamdem a GALENO vocatam fuisse scribat, quum ἕξικα debuisset: nam licet aliquos priore quoque modo scripsisse adnotet GALENVS, erat tamen θρὶξ plane aliud ac ἕξις, et in hepatoscopia ita vocabatur apparitio venulae augustae perquam nigrae in dextro hepatis lobo notabilis, vt ipse *in Glossis* docet GALENVS, vt taceam, locum ipsum mutilum a SALMASIO fuisse allegatum. Hanc igitur, vt redeam, vnde digressus, vocem πυλαία, pro πύλαι, quae apud HESYCHIVM legitur, substituendam censet MEVRSIVS *Att. Lect. Lib. IV. cap.* 3. *pag.* 172. vbi et ipsum hunc HIPPOCRATIS locum allegauit. Verum hoc sine necessitate facit et sine ratione: HESYCHIVM enim ibi non tam de πυλαία, quam de πύλαις siue portis iecoris, loqui, aperte euincunt ea, quod πύλας per ἐκτροπὰς explicat, vt supra iam memini; quod de πυλαίᾳ dicere non poterat, quippe quae potius τὴν μέσην τοῦ ἥπατος εὐρυχωρίαν indicat, vt flexanimi *Demosthenis enarrator* supra nos edocebat.

17. Si hunc locum a nemine interpretum rite explicatum fuisse dixero, οὐδὲ ὀγκῶδές τι dixero, οὐδὲ μυθῶδες. Omnes enim, quotquot vidi, locum de situ hepatis interpretantur, qui ordinarie (nam et nonnunquam, rarius licet, contrarium obseruarunt GEMMA, PATINVS, SPERERIVS, BARTHOLINVS, et iam ante *Auctor Isagog. Anat. cap.* 18. nec non ARISTOTELES, qui istum situm inter τὰ τέρατα numerabant) in dextro, vt et veteribus notatum est, hypochondrio. Sed de hoc HIPPOCRATI nostro sermonem non esse, ex ipso contextu satis, puto, liquet: loquitur enim ibi non de vniuersa hepatis substantia, de qua iam in antecedentibus aliqua dixerat; sed potius de πύλαις, siue *portis*, quas in dextris locis sitas esse perhibet. Quum vero ipsum hepatis corpus in dextris locis situm sit, vt modo dictum; quid, rogo, de pusillis istis eminentiis id tantum referre opus erat? Si enim dixisset; ἐν μὲν τοῖς δεξιοῖς κεῖται τὸ ἧπαρ, quomodo ARISTOTELES, GALENVS, RVFVS EPHESIVS et *Auctor Introduct.* loquuntur, tunc omnia plana forent, quae iam nobis crucem figunt. LINDANVS igitur, qua est εὐστοχίᾳ scilicet, locum optime se habere autumat, modo τῷ ἐν τόποις, loco, legatur ἐν λόβοις, quam tamen egregiam Emendationem in ipsum textum recipere, quod miror, ausus non est. Sed quid, quaeso eadem HIPPOCRATEM nostrum iuuit, quam vt eum erroris istius studio reum faceret, cuius iam antea erat, vt modo obseruatum, iecur humanum nempe in lobos esse discriminatum? Iam ergo videamus, num nos de *locis his dextris* aliquando *dexterius* sententiam ferre valeamus. Nimirum δεξιὸς τόπος, aeque ac πύλαι, in antecedentibus, est terminus, vt ita dicam, technicus, ex vetustissima Extispicum Schola petitus et ab HIPPOCRATE conseruatus, et significat locum illum, vbi chylum ad receptaculum in hepate, per venam portae, aut ramos, venas nempe mesaraicas, tamquam per portas, quamuis Scaeas, deferri crediderunt Veteres, qui locus illuc est, vbi eminentias portas dictas fuisse, supra modo obseruabamus, adeo, vt δεξιὸς hic non tam *dexter* sit, quam potius *receptorius*, *acceptorius*, scilicet a δέχομαι, vt ita loqui fas sit. Recte

ergo (ex sua certe opinione) adseruit Noster, πύλας ἐν δεξιοῖς τόποις κειμένας, portas in istis locis esse sitas, quae succum chylosum, aut vt malunt, chymosum *recipiant*, et ad hepatis *receptaculum* deponant. Egregium vero eorum, quae hactenus dixi, testimonium est apud HESYCHIVM: Δεξιὸς inquit hic, τῶν ἐν τῷ ἥπατι μερῶν παρὰ τοῖς θύταις καλουμένη δοχή, pro quo *Auctor. Anat.* et GAL. habent ὑποδοχήν: licet ibi contrarium sentiat Cl. BERNARD *p.* 35. a qua *rituali voce* Δεξιὸς, nostrum δεξιὸν esse deducendum, vix prorsus ambigo; sicuti et DEMOCRITVM φλέβας δεξαμενὰς quod scilicet sanguinem suscipiant, dixisse constat. Sic enim HESYCHIVS: Δεξαμεναὶ, αἱ ἐν τῷ σώματι φλέβες Δημοκρίτου, καὶ ἐπισκίαι. Sed quid hic monstrum illud vocis ἐπισκίαι? SCALIGER quidem olim legebat ἰξίαι, quod tamen nec literis priscis satis respondet, nec sensui ipsi. Quid vero his obseruarit ALBERTI, me fugit, quia ipsius noua Editio mihi iam non ad manum. Forte ergo hic scribendum fuerit πισκίναι, quae vox Latina ad recentiores medii aeui scriptores graecos transiit, vt patet *ex Lib. XIX. Basilic.* et aliunde, vberius docente CANGIO, in *Gloss. Graec. pag.* 1172. item *pag.* 1679. et *p.* 204. scribitur enim etiam βισκίνα, item et φισκίνα, Vid. et huc LABBAEI *Gloss. Vett. in Basil. pag.* 89. vbi nempe haec: πισκίνα, κιστέρνα, κολυμβήθρα. Iam vero cuiuis, opinor, notissimum, vocem hanc nostram ipsam δεξαμενὰς haec omnia significare, scilicet κολυμβήθραν, seu πισκίναν et κιστέρναν, vti et abunde iamiam docuit DAVID HOESCHELIVS, *in Not. ad Phrynich. pag.* 142. *Edit. nou. Pauw.* Ipsum autem HESYCHIVM perquam multas eiusmodi voces Latinas, aut Latino-Graecas, vt sic loquar, Glossario suo intulisse, aut passim explicationis gratia, adiecisse, nemini doctorum ignotum esse arbitror; vid. tamen, si lubet, ea de re, *Obseruat. nostr. crit. Lib. II. cap. 7. pag.* 88. et CANG. *in Glossar.* passim, item ALBERTI, *ad Hesych.* saepius. Ceterum, quod obiter adhuc hic adiicere liceat, haec ipsa vox δεξαμενὴ reddenda omnino videtur Fragmento illi, de colore sanguinis, ex Medicina perf. quod antea ineditum, psello de Lapidum Virtutibus, primum adiecit Cl. BERNARD. vbi nempe pro verbis corruptissimis: αἷμα ἔχον λῶρια μέσον ὀστρακώδη ἐξαμήνου, legendum haud dubie fuerit: μέσον ὀστρακώδους δεξαμενῆς, hoc est, *in medio Vasis fictilis*, sensu manifestissimo atque vnice vero. Sed leuia haec sunt; a nemine tamen, quod sciam, obseruata.

18. Per σκαληνὴν φλέβα, siue venam obliquam intelligit Noster truncum venae cauae descendentem, quod et obseruatum fuit LINDANO; inprimis vero venas emulgentes dictas, quas magna illa mater in vtrumque renem breui et obliquo ductu inserit; inde σκαληνὴν vocat, h. e. obliquam. HESYCHIVS σκαληνὸν exponit σκόλιον, πολύγωνον, GALENVS *Lib. de Ven. et Arter. Dissect.* et alibi, eamdem λοξὴν appellat, quod idem. Emulgentes autem venas intellexisse Nostrum, testantur manifeste verba in Textu mox sequentia: ἐπὶ τὰ κάτω νεφρῶν ἀποτείνουσα.

VI. Νεφροὶ δὲ ὁμοιορυσμοί, τὴν χροιὴν δὲ ἀναλίγκιοι μήλοισιν (19) ἀπὸ δὲ τουτέων ὀχετοὶ σκαληνοειδέες (20) ἐς ἄκρην κορυφὴν κύστιος κεῖνται. (21)

VI. Renes aequali inter se figura sunt, colorem autem similes pomis. Ab his aquaeductus obliqui in summum vesicae verticem incumbunt.

VII. Κύστις δὲ νευρώδης, ὕλη, καὶ μεγάλη. (22) ἑκάσταθε κύστιος μετοχὴ εἴσω πέφυκε. (23) καὶ τὰ μὲν ἓξ ἀνὰ μέσον ἐντὸς φύσις ἐκοσμήθη. (24)

VII. Vesica, qua neruosa, constrictiua est et expansiua: qualibet autem vesicae parte capacitas intus efformata est. Et has quidem sex partes in medio occulta Natura affabre fecit.

19. Ita hunc locum esse interpungendum, vt fecimus, recte iam monuit illustris MENAGIVS ad *Diog. Laërtium Lib. IX. Segm.* 47. *pag.* 415. In omnibus fere Editionibus Graecis sic concipitur: Νεφροὶ ὁμοιοργυσμοὶ, τὴν χροιὴν δὲ ἀναλίγκιοι μήλοισιν: quae sicut perperam scripta; ita et perperam versa sunt ab CORNARIO, quod non mirum, sed et, quod mirum, a FOESIO quoque, et a LINDANO ita etiam temere recepta: *Renes colore consimiles, malorum speciem prae se ferunt*; quam vtriusque versionem merito improbat is, quem laudaui MENAGIVS. Ita enim distinguenda potius verba: Νεφροὶ ὁμοιοργυσμοὶ, τὴν χροίην δὲ ἀναλίγκιοι μήλοισιν, tumque vertenda: *Renes aequali inter se figura sunt, colorem autem pomis similes*, vt ita iam vertere liceat. Quae enim *poma* hic intellexerit Noster, quibus renes colore rubello adeo respondeant, dictu est perquam difficile. *Dauus hic non Oedipus sum*, inquit LINDANVS, *Med. Phys. cap. V. Art. VII.* §. 131. *Quis enim in tanta malorum varietate, quae tellus quaeque, quae ars profert, vel ausit, vel possit dicere, ad quae ille respexerit? ex nostratibus tamen Orthomastiis et Amerinis* (*ita nam Stapelius noster Comment. ad Theophrast. L. IV. Hist. de Plant. cap. VI. pag.* 399. *quae vulgus rabauwen et Paradysappels.*) *color* φακώδης καὶ ποσῶς ὑπότεφρος, *lenteus, et quodammodo subcinereus est, quem Rufus Lib. II. cap.* 12. *renibus assignat*: *Intelligibilius vero Aretaeus Lib. II. de Sign. Chron. c.* 3. Νεφροὶ χροιὴν δὲ ἐρυθρότεροι, ὁκοιον τι ἧπαρ μᾶλλον, *colore rubicundiores, aliquanto magis, quam hepar.* Haec ille scite non minus, quam vere. Th. igitur BARTHOLINVS, accerrimi aeque iudicii ac foecundissimi ingenii vir, quum HIPPOCRATEM pomis lusisse, iisdemque nobis illusisse non crederet, aliam longe viam est ingressus, ita nimirum locum explicando *Anat. Ref. Lib. I. cap.* 17. *Hippocrates renes pomis comparauit, sine dubio latioribus et rubris: nisi per* μήλοισιν, *similitudinem quoque cum aliis brutis, indigitauerit.* Quo nihil sane aptius et ingeniosius fingi poterat, aut excogitari. Notum enim est, HIPPOCRATEM, vbi Anatomicum agit, in id potissimum incumbere, quo tam conuenientiam, quam discrepantiam hominum inter et animantium viscera sedulo adnotet, vti vel ex ipso hoc Libello, vbi de Corde, Hepate, etc. sermo, item *Lib. de Venis VI. Epidem.* et aliunde luculenter patet: Conf. huc dicta a nobis, in Notis ad Anonym. de *Anat. cap. LIV. p.* 121. Add. IO. FRANCIS. VAN LEEMPOEL *Specimen de Anatomes origine et progressu, pag.* 59. *sqq.* vbi plura de HIPPOCRATIS studio anatomico singulari. Vid. et BERNARD, *ad Hypat. de part. corp. hum. pag.* 148. *sq.* inexpugnabili sane argumento, eum vel humana dissecuisse cadauera, quod alibi contra Cl. DAN. CLERICVM frustra contrarium propugnantem, planius pleniusque sum demonstraturus.

rus. *) Μῆλον itaque, quum et *pomum*, et *animal quadrupes* in genere, in specie vero *ouem* et *capram*, vt et *bouem* (sic enim Simonides taurum Dorice μᾶλον dixit) significet, vt clare HESYCHIVS; Μῆλα κοινῶς μὲν πάντα τὰ τετράποδα, κατ' ἐπικράτειαν δὲ τὰ πρόβατα καὶ αἶγες, quicum concordat Eustathius, ad Il. Α. *pag.* 828. adde et Soping. ad Hesychium *pag.* 785. item SPANHEMIVM *ad Callimachum p.* 78. in quo significatu haec vox ex Arabico מאל *Mal, armentum*, certo certius descendit, prout recte obseruauit summus vir BOCHARTVS, *Chan. Lib. I. cap.* 27. *pag.* 578. non autem a μέλομαι, aut τοῦ τὸν μηλώδη καρπὸν ἔδεσθαι, vt pro more, veteres nugantur Grammatici: posterior autem sensus huic nostro loco concinnius longe conueniat, prae priore illo ludicro et caduco de pomis petito; praeterea quoque re ipsa humani renes cum horum animantium renibus colorem obscure rubentem, conspirent, vt et notatum est ARISTOTELI; ita, ac voluit BARTHOLINVS, hunc locum esse explicandum, nullum mihi relinquitur dubium, praeter hoc vnum, quod tum cum BARTHOLINO non sit legendum μήλοισιν; sed potius leuissima mutatione, μηλείοισιν, qua voce saepissime vsus est Noster, adnotante *in Oeconomia* FOESIO. Prius enim est a substantiuo μῆλον, quod hic locum habere nequit: renes enim humani non ipsis animalibus, (quae Μῆλα sunt) sed animalium renibus similes sunt; posterius vero est ab *adiectiuo* μήλειον, *ouinum*, *caprinum* et in genere, quod ad animalia spectat, aut de iis dici potest; et hoc huc apprime facit. Interea tamen, quum et pristina illa Lectio μέλοισιν, quae omnes iam occupauit libros, aliquem fundat sensum; nouam illam nostram, aut, si mauis, Bartholinianam, quamuis probabiliorem et aptiorem, in Textum recipere ausi non sumus.

20. Σκαληνοειδέες ὀχετοὶ sunt bini illi canales vreteres vulgo dicti, qui ex renibus obliquo ductu prodeuntes, ac liquorem excrementitium vehentes, vesicae lateribus inseruntur. Significanter eos ὀχετοὺς, siue *aquaeductus* appellat: ὀχετὸς enim HESYCHIO et SVIDA Auctoribus, est σωλὴν, aut, vt SALMASIVS *ad Stephan. Byzant.* recte ex SVIDA emendat, σωλὴν, ἀγωγὸς, ῥύαξ ὑδραγωγεῖον, κ. λ. plura de hac voce nostro HIPPOCRATI, notante FOESIO, perquam familiari, collegit TH. BARTHOLINVS in de *Hepate defuncto pag.* 576. Loco τοῦ ὀχετοὶ, ARISTOTELES, RVFVS, EPHESIVS, THEOPHILVS, *Auctor Introduct. Anat.* vbi vid. *Obs. nostr. in Addend. Edit. Cl. Bernardi*, et POLLVX πόροι, siue *meatus*, ponunt, ita enim apud postremum pro corrupto τόποι legendum, bene monet LINDANVS, qui plura de hac re. ARETAEVS autem sequutus est, vt solet, nostrum HIPPOCRATEM, qui tamen ipse *L. de Ven. VIII.* canales hos vriniferos antiquo loquendi more, φλέβας, siue *venas* appellauit; quod etiam imitator HIPPOCRATIS, CELSVS *Lib. IV. cap.* 1. per *venas colore albas ad vesicam latas* apprime expressit; sequutus et in hoc Nostrum ARISTOTELES, adnotante LAVRENTIO. Σκαληνοειδέες quid sit, supra iam explicatum. Cur autem vreteres sint

*) Quod maximam quidem partem, postea a me iam praestitum fuit in *Dissertatione, de Hippocratis studio Anatomico singulari*, impressa Wittebergae, Ann. 1754. vbi verba quidem sunt B. Respondentis, vt ex diuersa scribendi ratione Cuiuis legenti, spero, facile patebit; res vero ipsae et singularia illa loca et argumenta Hippocratica, paene omnia, nostra et a nobismet ipsis tum suppeditata; vti tum publice quoque monuimus in Epistola prosphonetica, isti nempe Dissertationi in Calce, adiecta. Vnde et factum, vt eam ipsam Dissertationem, pace, vt speramus, manium ipsius B. Respondentis, acerbo funere eheu! rapti, siue foedo inhonesti plagii crimine, huic nostrae opusculorum medicorum Syllogae insereremus.

ſint obliqui, tortuoſi et Σιγμοειδῶς, omnium optime exponit THEOPHILVS *Lib. II. cap.* 12. *de corp. Hum. Fabr.* et *de Vrin. cap.* 11. ſcilicet, ὥστε μὴ παλινδρομεῖν τὸ οὖρον εἰς τὰ ὀπίσω, ne vrina, inflata v. g. veſica, renes verſus regurgitet, qua de re plura apud Anatomicos. Videtur ceterum HESYCHIVS hunc HIPPOCRATIS locum indigitaſſe, allegando alicubi τοὺς σκαληνιεῖς ὀχετοὺς, quanquam, eos ſatis frigide et generaliter per ἔντερα ſiue inteſtina explicuit.

21. Ita legunt Codd. Vett. quod et retinuit recte FOESIVS; at LINDANVS de ſuo penu addit ἐς, ἐς κορυφὴν κεῖνται, ſine vrgente neceſſitate, nam eſt ellipſis τοῦ κατὰ, ἢ ἐπὶ, quales multae in HIPPOCRATE. Κεῖσθαι hic idem eſt ac *propendere* aut *dependere*, prout HOMERO, APOLLONIO, et aliis poëtis in vſu: poëtas enim ſequitur Noſter, vt ſupra et alibi dictum. RVFVS EPHESIVS binis in locis δύο ſcribit πόροι κατὰ κορυφὴν κύστεως συνάπτουσι, quae propius ad hunc noſtrum locum accedunt. Ne quid tamen diſſimulem, concinnius hic legeretur τείνονται pro κεῖνται, ſeruata illa LINDANI additione: hac enim voce frequenter vtitur HIPPOCRATES, vbi venarum et neruorum proceſſus deſcribit: hic modo dixit: ἡ σκαληνὴ φλὲψ ἀποτείνουσα; et in *Lib. IV. de Morb. IX.* πολλαὶ φλέβες εἰσὶ ἀποτείνουσαι, it. *ſeq. X.* Παχεῖαι φλέβες τείνουσιν, imprimis autem huc ſpectat §. XXVIII. dicti Libri: ἔχει παιδίον τὰς φλέβας, τὰς ἀπὸ κοιλίης ἐς τὴν κύστιν τεινούσας: omitto plura congerere, quae in *Libb. de Ven. Nat. Hom.* et alibi in hunc ſenſum occurrunt, vt et nihil de ARISTOTELE et GALENO dicam, vide tamen *Anonym. Iſagog. Anat. cap. XV.* Et ita vel in hoc noſtro loco legit iam olim CORNARIVS, vt ex verſione eius patet, quae in hunc modum: *canales obliqui in ſummum veſicae apicem tendunt*: etſi vox *triangulares*, quam addit, nec in textu adeſt; nec in verſione adeſſe debet, licet, id ceterum ex BORRICHII obſeruatione verum ſit. Per ἄκρην autem κορυφὴν intelligit regionem prope veſicae collum aut verticem; in quo HIPPOCRATEM ſequitur, vt ſolet, RVFVS EPHESIVS, cuius locum ſupra adſcripſimus. THEOPHILVS autem pro eo τράχηλον κύστεως ponit ſiue collum: ARETAEVS vero ὤμους τῆς κύστιος veſicae humeros ſatis eleganter, et exacte quae et notata LINDANO. EPITHETON denique ἄκρη hic non παρέλκει, vt videtur; ſed nititur auctoritate ipſius HOMERI Il. N. 12. et alibi, DIODORI SICVLI, *Lib. XVII.* etc. HERODOTI, Arati et Dicaearchi in fragmento deſcriptionis montis Pelii, alios vt taceam: adeo, vt expungendum non videatur, vti cuidam animus fuit.

22. Ita interpungendum atque vertendum eſſe hunc locum, prout a nobis factum, perquam probabile eſt: res enim ipſa id poſtulat, quod tamen huc vſque nemini obſeruatum. Nam veſicam totam eſſe neruoſam, vt vulgo vertitur, a veritate oppido alienum, quod nec veteres latuit, vt ex CELSO, GALENO, THEOPHILO reliquisque veteribus Medicis perſpicue patet. Nimirum οὖλον ſignificat quidem *totum*, *integrum*, et ipſi noſtro HIPPOCRATI ſaepiſſime ita ſumitur: ſed ſignificat etiam οὖλον *contractum*, *conſtrictum*, *complicatum*: HESYCHIVS οὖλος, συνεστραμμένος, et PLVTARCHVS *Lib. de Garrulitate pag.* 338. οὖλα et συνεστραμμένα pro ſynonymis habet. Videatur autem inprimis Graecus Interpres ad ARISTOPHANIS *Ranas Act. IV. Sc.* 2. quo etiam annotante, tum vox οὖλον a verbo εἴλειν, aut εἰλεῖν, *coarctare*, *complicare*, et in *anguſtum cogere*, deriuanda eſt. Hunc igitur ſenſum vox οὔλη, et hic vel maxime habet, in oppoſitione videlicet τοῦ ſequentis μεγάλη: etſi boni Interpretes primum illum obuium, vt ſaepius, infeliciter arripuerunt.

puerunt. Vesicam enim ita esse natura comparatam, vt sese ad capiendam affluentem vrinam dilatare atque extendere; eadem vero exonerata, iterum constringere et corrugare possit, nemo est Anatomicorum qui nesciat. Recte ergo, mea quidem opinione, verba Graeca: κύστις δὲ νευρώδης, ὅλη καὶ μεγάλη vertimus; *vesica nervosa existens, siue dum ex neruis compacta est, constrictiua simul est ac expansiua,* siue *constringi aeque potest ac dilatari.*

23. Hic iterum errarunt et Interpretes et Commentatores; sed errore quasi necessario, et quod aiunt, invincibili, deprauatis quippe codicibus vsi. Ἑκάσταθε enim omnia legere Exemplaria MSSta adnotauit FOESIVS, qui huius loco mallet ἑκάστοτε, vt scil. ἑκάστοτε κύστιος sit *passim et vbique per totam vesicam:* sed iterum fluctuat, pro more, atque etiam ἑκαστάτω κύστιος, h. e. *longissime distenta vesica,* legi posse asserit: reliqua ibi legi possunt, nos enim nihil iuuant. Sed neutra harum Emendationum mihi placet, quia sensum aut nullum, aut durum admodum efficit; etsi priorem ἑκάστοτε puta, temere, pro more, in textum intulit LINDANVS. Nam vesicam capacem esse et amplam, iam Auctor dixerat: abhorret ergo a breuitate HIPPOCRATI consueta, crambem bis coquere. Ego mihi veram forsan Lectionem reperisse videor. Scribit enim idem FOESIVS, quosdam Codd. antiquos habere hoc loco ἔκαθε, ex quo, quum hic nihil plane valeat, facili mutatione exsculpo: ἐγκὰς δὲ κύστιος, h. e. *in imo, siue profundo vesicae,* ἐγκὰς enim GALENO in Glossis est: ἐν βάθει, vnde et sequens in nostro textu ἔσω, pro interpretamento huius ignotioris ἐγκὰς habendum esse, asserere vix dubitem. Hanc igitur vocem antiquam et solam fere Hippocraticam multis in locis diuino Seni esse restituendam, optime obseruat in Oeconomia FOESIVS. In *imo* autem *vesicae* hic est in ceruice aut collo vesicae: ampla enim eius pars fundus vulgo dicta, quae peritonaeo, et interuenientibus Vracho et arteriis vmbilicalibus, sursum versus vmbilico alligatur, reuera ceruix potius dici debet aut caput: altera autem angustior et carnosior, quae deorsum in vrethram hiat, et vulgo collum, aut ceruix audit, meliore sane iure fundus et imum vesicae nuncupari debet. Haec tantisper notentur: Nodus enim adhuc soluendus restat in voce μετοχή, quam idem ac μέτεξιν, siue perceptionem hic significare autumat falso FOESIVS, qui eundem errorem in versionem transplantauit suam: Magis tamen adhuc errauit CALVVS, quando μεσοχὴν legeret, et *medium locum* verteret, quod huc plane nihil facit. Dicam igitur verbo: Μετοχή hic est *ambitus, septum, circulus; orbiculus;* sic enim SVIDAS: μετοχή, ὁ περίβολος; et significat musculum constrictiuum, vesicae ceruicem oblique ambientem, sphincterem dictum, cuius ministerio vrinae fluxui catarrhacta ponitur, ne nobis inscius, effluere possit, quod SALOMONEM in *Coheleth. XII. 6.* per כד על-המבוע per *Hydriam super fontem,* expressisse putat GROTIVS ad illum *loc. pag.* 266. Vertendum igitur posthac praesens erit tmema: *in ima autem vesicae parte siue ceruice, orbiculus quidam, siue orbicularis et ambiens quidam musculus a natura formatus est.* Vix enim credere par est, HIPPOCRATEM, vesicae mentionem quum faceret, musculi huius constrictorii, qui magnam vtique merebatur admirationem, plane fuisse oblitum. De quo vid. inprimis THEOPHIL. Protospath. *Lib. II. de Corp. Human. Fabric. cap.* 14. *pag* 832. apud FABRIC. *Bibl. Graec. T. XII.* Nihilominus tamen, quia haec nostra emendatio et Lectio nimium recedere videtur a recepta, eam, quamuis prioribus multis parasangis praeferendam, in textum adsciscere subdubitauimus.

24. Sex

24. Sex illae partes hic, ceu in ἀνακεφαλαιώσει quadam repetitae sunt: *aspera arteria*, *pulmo*, *cor*, *hepar*, *renes*, et denique *vesica vrinaria*. Sequens ἐντὸς non construendum est cum verbo ἐκοσμήθη, vt omnes fecerunt Interpretes: quid enim opus erat adnotare, haec viscera intus fuisse condita, quum id nemini non iamiam constaret? Sed cum ipsa potius voce φύσις, ita vt sit ἡ ἐντὸς φύσις, Natura occulta, tecte et sine strepitu quodam sua munia in corpore obiens: atque idem hic est, quod φύσις ἀφανὴς, vt Noster loquitur *Lib. I. de Diaet. XXXVII.* aut, vt Auctor Libelli de Natura Hominis, DEMOCRITVS vulgo creditus, id expressit: ἡ ἀσώματος ἐν μυχοῖς φύσις, quod inepte, vt reliqua fere omnia, explicuit temerarius iste Gladiator, qui ipsi venerando nostro HIPPOCRATI foedum *Atheismi* crimen imprudenter impudenterque obiecit: in qua tamen futili et indecora prorsus Accusatione, nusquam ferme apparet ἀθεϊσμὸς; vbique vero ματαϊσμὸς. Conf. FABRIC. ad *Steph. Theol. Hipp. cap. 7. pag.* 235. De tacita hac et nobis abstrusa Naturae in corporibus animatis Operatione et Mechanismo plura notatu digna leguntur apud GALENVM *Lib. II.* et *XVII. de Vs. part. Lib. IX. de Plac. Hipp. et Platonis*, et locis aliis bene multis, alibi iam a me productis: meretur tamen prae aliis, locus hic *ex Lib. VI. de Vs. part.* circa finem legi, qui inprimis huc spectat: Ἡ φύσις ἄνευ θορύβου καὶ βοῆς αὐτοῖς τοῖς ἔργοις δείκνυσι τὴν δικαιοσύνην. Ceterum quid sit φύσις, quid διακοσμεῖν et κοσμεῖν, it. quid δικαιοσύνη, vberius explicui in ea, quam pro *Hippocrate Atheismi falso accusato*, applaudentibus viris magnis et illustribus; ringentibus vero pusillis et obscuris, ante aliquot annos, edidi, *Apologia*, de qua modo dixi, vbi, cui volupe, legat, *pag.* 97. *sqq.* Hic ἐκοσμήθη idem est, ac quod in huius Libelli calce διετάξατο, cuius loco GALENVS saepissime, *Lib.* inprimis *de Vs. part.* et *Administ. Anat.* ἐδημιούργησε ponit, item παρεσκεύασε, διέπλασε et ἐμηχάνησε, quo et delectatur in Libris φυσικῶν aliquoties ARISTOTELES. Vid. huc inprimis SALMASII *Comment. in Epictet. et Simplicium*, *pag.* 168. et *pag.* 177.

VIII. Ὀισοφάγος δὲ (25) ἀπὸ γλώσσης τὴν ἀρχὴν ποιεύμενος, ἐς κοιλίην τελευτᾷ, ὃν δὴ καὶ ἐπὶ σηπτικῆς κοιλίης, στόμαχον καλέουσιν, (26)

IX. Πρὸς δὲ ἀκάνθης ὄπισθεν ἥπατος φρένες πεφύκασιν. (27)

X. Ἐκ δὲ πλευρῆς νόθης, λέγω δὲ ἀριστερῆς, σπλὴν ἀρξάμενος ἐκτέταται, ὁμοιορυσμὸς ἴχνει ποδός. (28)

VIII. Gula porro a lingua initium faciens, in ventriculum desinit, quam etiam vbi in concoquentem ventriculum hiat, os ventriculi apte appellant.

IX. Ad spinam retro Hepar septum transuersum formatum est.

X. Ex latere spurio, hoc est sinistro, initium capiens extenditur, figuram plantae pedis similem repraesentans.

25. Nihil in his obscuritatis: Oesophagum enim canalem illum cibiuorum cibiferumque vocari, vel lippis et tonsoribus notum. Errat autem GALENVS quando HIPPOCRATI Oesophagum γαστρὸς στόμαχον, siue ventriculi orificium dici, in Glossis asserit, quod et notatum MERCVRIALI. Gulam enim siue canalem istum cibarium

cibarium a principio suo h. e. linguae radicibus, eo vsque, vbi ventriculo inseritur, vocari potius Oesophagum, post insertionem vero στόμαχον, siue osculum ventriculi, clare hic pronunciat HIPPOCRATES. Κοιλία nempe, aut γαστὴρ, aut Νηδὺς ipse est ventriculus, siue aqualiculus, in quo alimenta digeruntur: οἰσοφάγος autem fistula illa oblonga, per quam alimenta in illum feruntur; hic, vbi ἐνστομοῦται ipsius ventriculi orificio sinistro, nomen mutat, et vocatur tunc στόμαχος, vulgo etiam καρδία: στόμαχος enim τὸ τῆς κοιλίας στόμα siue ventriculi orificium, vt exponit HESYCHIVS, et pluribus GALENVS v. g. *L. II. de Loc. affect. Comment. ad Aph.* 56. *L. VII. Comment. I. in Lib. de Rat. Vict. in morb.* et aliis locis a FOESIO solerter adnotatis: quanquam καταχρηστικῶς postea et aliis aperturis, aut orificiis id nomen fuit impositum, inprimis ab ipso nostro HIPPOCRATE, apud quem v. g. στόμαχος κύστιος, μήτρας, αἰδοίου, ὑστερέων, et alia FOESIO adnotata. Haec est differentia, quam tamen ipsi veteres non semper obseruarunt, ita vt stomachus nunc gula, nunc ipse ventriculus fuerit vocatus, vt ex GALENI *Lib. V. de Loc. affect. c.* 4. (non 5. vt falso allegat MERCVRIALIS) et aliunde constat; contra quem tamen varia disputat MERCVRIALIS Loco infra allegando. Notandum vero, vocem Oesophagum nostro HIPPOCRATI esse δὶς εἰρημένην, siue bis tantum dictam. Hic nempe, et in *Lib. de Loc. in Hom.* Videatur de his MERCVRIALIS *Var. Lect. Lib. I. cap.* 1. MARSIL. CAGNATVS, *Var. Obs. Lib. I. cap.* 15. HOFMANNVS in *Lib. IV. Gal. de VS. part. n.* 188. *pag.* 59. et FOESIVS, in *Oeconomia*, vocibus Οἰσοφάγος, et στόμαχος.

26. Ita in omnibus Codd. legi testatur FOESIVS, etsi asteriscum suo exemplari praefixit ALDVS. CORNARIVS tamen, cui cornea interdum est fibra, vt sic loqui liceat; mauult ἐπισήμως, et vertit *significanter:* sed *significanter errat*, obseruante quoque FOESIO. Salua enim antiqua est lectio, et hinc ne quidquam sollicitanda. Scilicet ἡ σηπτικὴ (aut, vt etiam coniunctim legi posset ἐπισηπτικὴ,) κοιλίη *ventriculus* est *coctorius*, vt ita dicam, aut, vt Mercurialis non inepte vertit, *putrefactorius*, cuius cibos digerendi actionem in σήψει quadam, siue putrefactione, constare crediderunt Veteres, vt ex PLVTARCHI *Quaest. II. de Caus. phys.* (non *Lib. II.* vt allegat FOESIVS) constat, vbi ἡ δὲ πέψις, inquit, ἔοικεν ἔνοι σῆψις. Eorum ergo stylo et hic Noster loquutus est HIPPOCRATES et alibi. Hinc ipsi *Lib. de Affect. XXV.* σιτία ἄσηπτα, cibi sunt crudi et nondum digesti, siue ἄπεπτοι, *incocti*, vt ipse exponit *Lib. III. de Diaet.* §. *XXIV.* vbi et *sqq. XXV.* et *XXVI.* διαχώρημα ἄσηπτον et σεσηπὸς, excrementum est non putrefactum, h. e. non ex recrementis digesti cibi constans, et putrefactum, h. e. ex cibi digesti et concocti residuis comparatum. Τὸ ἄσηπτον vero CORNEL. CELSVS egregie reddit per *inconfectum, Lib. IV. cap.* 16. quod immerito reiicit Cl. FACCIOLATVS, apud illust. MORGAGN. *Epist. III. in Cels. pag.* 54. Sic enim PLINIVS *Lib. XXVI. cap.* 8. et AVREL. VICTOR, *Epitom. cap.* 20. *pag.* 103. *Cibum conficere*, probe dixerunt, et ipse LIVIVS, *Lib. II. cap.* 32. *Cibus confectus.* Inde iuste et scite CELSVS his opposuit *Cibum inconfectum*; quem pari fere elegantia, CAES. AVRELIANVS, *Lib. II. de Morb. acut. cap.* 32. *pag.* 149. vocauit *immutatum* et *indigestum*, h. e. ἀκατέργαστον, et δυσκατέργαστον, vt alias Graeci eleganter dicunt, vid. NEMESIVS, de *Nat. Hum. cap. XXIII. pag.* 202. plura vero apud WETSTEN. *in Comment. ad Ioann. VI,* 27. *pag.* 878. *sqq.* Sed haec obiter. Omnium autem optime de hoc antiquo loquendi more GALENVS agit *Hypomnem. VI. Aph. I. pag.* 302. vbi hos ipsos locos

locos a nobis hactenus citatos allegat et explicat: Δηλονότι, ſunt eius verba, παλαιά τὶς ἦν συνήθεια τούτοις τοῖς ἀνδράσιν, ἄσηπτα καλεῖν, ἅπερ ἡμεῖς ἄπεπτα λέγομεν: ſcilicet vetus quaedam erat conſuetudo his viris, (de quibus in antecedentibus, v. g. PRAXAGORAE, ERASISTRATO, POLYBIO etc.) imputrefacta ea vocare, quae nos indecocta dicimus. Plura de hac re in ſuis HIPPOCRATIS adnotationibus monſtraſſe ſe aſſerit MERCVRIALIS, *loc. Sup. cit.* vbi et quaedam ex ARISTOTELE et PLVTARCHO allegat. Videatur et ipſe FOESIVS in *Oeconomia*, vocibus: ἄσηπτα, *pag.* 63. et σήπειν, *pag.* 339. item et CASAVBONVS, *Animaduerſ. in Athen. Lib. VII. cap.* 1. *pag.* 475. vt et CLAVD. SALMASIVS in *Exercitat. Plinian. pag.* 252. et WETSTEIN. *loc. cit. pag.* 879.

27. Ἄκανθαν, aut Ἀκάνθην dorſi ſpinam HIPPOCRATI vocari, negabat olim diffuſae lectionis Senex CASP. HOFMANNVS II. *Inſtit. Med. LXVII*, 4. cuius tamen ἀβλεψίαν merito retudit LINDANVS *Med. Phyſ. cap. XIV. art. I. pag.* 585. clariſſimum locum in contrarium allegans ex *t. XLII. Lib. de Articulis:* cui ego praeter huncce noſtrum, qui ſub manibus, addo ſex alios ex *Lib. de Ven.* et vnum ex *Lib. de Nat. Oſſ.* vt alios taceam, etiam in *Libb. Epidem.* ni fallor, occurrentes. Quid? quod ipſe GALENVS ἀκάνθας vertebrarum proceſſus, totamque ſimul ſpinam ἄκανθαν vocari docet III. *Artic.* 29, 2. prout idem HOFMANNVS tacite Heautontimorumenus, obſeruat *Comment. in L. XII. Galen. de VS. part. cap.* 15. *n.* 921. *pag.* 288. Verum nec HIPPOCRATES ſolum hac voce vtitur; ſed et HERODOTVS et EVRIPIDES, vterque Noſtro ἰσόχρονος, immo quodammodo χρονιώτερος: hic quidem *Troadibus*, v. 117.

Καὶ διαδοῦναι νῶτον, ἄκανθαν
Τ' εἰς ἀμφοτέρους τοίχους μελέων.

Ille vero *Melpomene*, ſiue Muſa quarta *p.* 244. *Edit. recentiſſ. Gronou.* loquens de quinquaginta illis iuuenibus, quos ſtrangulatos totidemque equis exenteratis paleaque ſuffertis, et iterum conſutis, impoſitos circa regum ſuorum tumbas in ſingularem ſplendorem, ſed deteſtando ritu, collocabant multiuagi Scythae. Etſi id HOFMANNO lubens concedo, ῥάχιν, loco τοῦ ἄκανθαν, et HIPPOCRATI et ARISTOTELI, reliquisque veteribus eſſe in frequentiore vſu.

28. Ποδὸς, ſupple ἀνθρωπίνου, pedis humani, quod ſignificanter additum a RVFO EPHESIO *Lib. II. cap.* 7. (dubium enim erat cuius? vt notat LINDANVS, *Med. Phyſ. cap.* 5. *Art. II. pag.* 68.) haud dubie ad hunc locum reſpiciente. Κεῖται, inquit, ὁ σπλὴν κατὰ τὸ εὐώνυμον ὑποχόνδριον παρεκτεινόμενος (ita enim legendum loco τοῦ παρεκτεινόμενον recte iam vidit LINDANVS) ἐπὶ μῆκος ἀνθρωπίνῳ ἴχνει. Quem locum, quum in mendo cubet, hac occaſione vt emendem, par eſt. Senſum enim hiare viderat iam LINDANVS, acutior hac in parte FOESIO, qui in notis hunc allegans locum, mendi ſuſpicionem indicat nullam: Verum vti ſaepius infelix admodum eſt Criticus: ita et hunc locum pari felicitate adortus eſt. Intrudit enim temerario auſu, vocem ὁμοιορυσμὸς, legendo: παρεκτεινόμενος ἐπὶ μῆκος, ὁμοιορυσμὸς ἀνθρωπίνῳ ἴχνει. Mihi autem longe facilius legendum videtur: παρεκτεινόμενος ἐπὶ μῆκος, ἐπεοικὼς ἀνθρωπίνῳ ἴχνει; ita vt propter ὁμοφωνίαν vocum ἐπὶ μῆκος, et ἐπεοικὼς, poſterius ſit inter ſcribendum, vt fieri ſolet, omiſſum: Immo, quando verbum παρεκτείνεσθαι, iam per ſe *in longum protendi*, ſignificat; loco ἐπὶ μῆκος, ἐπεοικὼς potius legendum eſſe, probabile videtur. Tum vero ſenſus clarus: ſplen ſecundum longitudinem extenſus, ſimilis eſt humano veſtigio.

Verum animo ſatis haec veſtigia parua ſagaci.

 XI.

XI. Κοιλίη δὲ ἥπατι παρακειμένη, κατ' εὐώνυμον μέρος, οὐλομένη ἐστι νευρώδης. (29)

XII. Ἀπὸ δὲ κοιλίης πέφυκεν ἔντερον ὁμοιορυσμὸν, μικρὸν, πηχέων οὐκ ἔλασσον δώδεκα, ἑλικηδὸν ἐν κόλποις ἐνειλουμένον, (30) ὃ καλέουσι ἔνιοι κῶλον, δι' οὗ παραφορὰ τῆς τροφῆς γίνεται.

XIII. Ἀπὸ δὲ κώλου κέφυκε ἀρχὸς λοίσθιος, σάρκα πολυπληθέα ἔχων, ἐς ἄκρον δακτυλίου (31) τελευτῶν. Τὰ δὲ ἄλλα ἡ φύσις διετάξατο.

XI. Ventriculus hepati adiacens quoad ſiniſtram partem, totus eſt nerueus.

XII. A ventriculo vero procedit inteſtinum, ſimilis conformationis, paruum, cubitorum non minus duodecim, orbiculatim in ſinus implicitum, quod nonnulli colon vocant, per quod propulſatio digeſti cibi procuratur.

XIII. A colo denique inteſtinum rectum extremum incipit, copioſam carnem habens, et in ſupremum orbiculum deſinens. Quae reſtant eodem modo Natura ordine adornauit.

29. Sic in omnibus Libris Scriptum invenitur, et repraeſentant omnes fere Editiones, praeter Lindenianam, quae οὐλομελίη exhibet, quia HIPPOCRATES hac voce ſaepius vſus eſt, vt ex FOESII *Oeconomia* patet: ſed fruſtra eſt, et audax facinus. Idem autem ille FOESIVS, hanc vocem ita in *Oeconomia* explicare inſtituit: οὐλομένη *hic pro* οὔλη *aut* ὅλη, *aut* οὐλομελὴς *poſitum videtur*, οὖλον *enim pro* ὅλον, *et* οὔλη *pro* ὅλη, *Ionice eodem libello ſcribitur, vt* οὐλομένη *idem, quod* οὐλομελὴς, *aut* οὐλομελίη *indicet. Sic ap. Heſych.* οὐλομενὲς, ὁλομενὲς *exponitur, ſi modo recte ſcribatur*; Hactenus ille. Verum οὐδὲν ἐν τούτοις ὑγιὲς, nec quidquam huc faciunt; nam aut HESYCHIVM, aut HIPPOCRATEM, aut vtrumque ſimul hic deprauatum eſſe, oppido liquet. Putem ergo leviſſima mutatione germanam Lectionem ita me eruiſſe, ſubſtituendo nimirum loco nihil ſignificantis οὐλομένη, vocem huic loco conuenientiſſimam οὐλουμένη, quae eſt ἀπὸ τοῦ οὐλοῦσθαι, aut οὐλόω, *cicatricem*, ſiue *ſulcum duco*: vnde hic κοιλίη οὐλουμένη erit *ventriculus cicatricatus* h. e. *cicatriculis obductus et rugis* ſiue *plicis ſulcatus*. Neminem autem etiam anatomes ſacris tinctum modo, non imbutum, opinor, fugit, Tertiam ſiue intimam ventriculi tunicam, quae *neruoſa* eſt, eſſe ita οὐλουμένην, ſiue rugis et ſulcis inciſam. Nam ventriculum totum non eſſe neruóſum, et ex hac quidem vulgari verſione colligi poterat, nec veteres latuit, vt ex GALENO, CELSO aliiſque patet, quanquam THEOPHILO, RVFO et plurimis aliis falſa iſta inſedit opinio. Vertendus igitur poſtea hic noſter erit locus in hunc modum: *Ventriculus hepati iuxta ſiniſtrum latus adiacens, ea, qua cicatriculis et rugis ſignatus eſt, parte, neruoſus eſt.*

30. Haec non de vniuerſo inteſtinorum volumine, quippe quod ſexies plus minus, vt plurimum ſuperat hominis, cuius eſt, longitudinem; quam potius de inteſtinis ſic dictis tenuibus tantum eſſe accipienda, recte obſeruat LINDANVS

Med.

Med. Phys. cap. IV. Art. v. 49. et probat ipsius RVFI EPHESII verbis, quibus hunc HIPPOCRATIS locum παρέφρασε, *Lib. II. cap.* 17. *de Part. Hom.* Ἑξῆς δὲ κεῖται τὰ λεπτὰ καλούμενα ἔντερα, ἐπιμήκη καὶ πολυείλητα τρὶς καὶ δέκατεσ πηχῶν τὸ μῆκος τυγχάνοντα: in ipso textu HIPPOCRATIS, ἐν κόλποις legitur, vt et repraesentauimus, pro quo tamen temere et sine necessitate ἐς κόλπους substituit LINDANVS. Verba textus sequentia ibidem ita transcripsit candidus ille RVFVS: Ἀπὸ δὲ ταύτης γαστρὸς ἐμφύεται τὰ ἔντερα ἑλικηδὸν εἰλούμενα πρὸς ὑποδοχὴν τῶν τῆς κοιλίας ὑποβιβαζομένων σίτων, (falso legitur in quibusdam exempl. σίσμων) et Latinus HIPPOCRATES, CELSVS *Lib. IV. cap.* I. huc quoque respexisse videtur hisce quidem verbis: *Tenuius intestinum est, in sinus vehementer implicitum*; quibus verba ἑλικηδὸν ἐς κόλπους ἐνειλούμενον eleganter expressit, vnde et in versionem nostram recepimus. *Vnum autem facit intestinum Hippocrates ex antiquorum disciplina, quod vnum et idem sit ab ἐκφύσει, ad sedem ipsam iter, totumque sit sibi continuum, idemque Colon vocant, quod aluus inferior veteribus, vt Erasistrato, dicitur, velut testatur etiam Gellius Lib. XVII. cap.* II. (non inuerse, vt allegat FOESIVS) ὁμοιοργυσμὸν *autem dicit, quod vnum sit similitudine, substantia, et natura sibi cognatum, aut quod intestini substantia non multum a ventriculi natura diuersa sit, vt scribit Galenus cap.* 17. *Lib. II. de VS. part.* haec FOESIVS. An denique κῶλον, aut κόλον sit scribendum, alii viderint, quibus plus superest otii: MERCVRIALIS, LINDANVS, RIOLANVS, SALMASIVS *de Ann. Clim. p.* 732. et alibi, et alii posterius probant, vid. inprimis huc OBERTI GIFANII Indicem Lucretianum, *p.* 313. add. HEVSINGERI *Emendat. Lib. II. cap.* 3. *pag.* 192. prius autem ipsi ARISTOTELI, GALENO, RVFO EPHESIO, THEOPHILO, NEMESIO aliisque veteribus placuit. Videtur vtrumque posse defendi. Sed tanti non est, vt ei diutius immoremur.

31. Δακτύλιον hic vocat in extremo ano musculum illum *orbicularem constrictorio-patefactorium* vt sic loquar, sphincterem vulgo dictum, anoque annuli instar satis lati, circumiectum, quem Hebraei eundem in modum, גלגל *Galgal*, siue Rotam, ob figuram σφαιροειδῆ, vocarunt, vt in *Coheleth. XII*, 6. הגלגל אל הבור *Hagalgal el habbur, Rota super cisternam*, h. e. caste et aenigmatice, stylo Hebraeorum, *sphincter ani orbicularis*: Conf. GROTIVS in h. l. *pag.* 266. *Tom.* I. *Opp. Theol.* propius vero adhuc illud huc spectat, quod Scriptoribus Thalmudicis et Rabbinis Podex vocatur פי טבעת h. e. *os annuli*, seu στόμα δακτυλίου, obseruantibus BVXTORFIO, SCHINDLERO, GVSSETIO et aliis, similem musculum in vesica vrinaria supra μετοχὴν vocauerat, vt ibi explicuimus. Est autem Δακτύλιος vox Attica, vt plures aliae in HIPPOCRATE, et idem est ac διαστέλλον, *diducens, aperiens*, vt exponit HESYCHIVS: inde apud ARISTOPHANEM *Equitibus, Act. V. S.* 2. extrema: καταδακτυλικὸς in σχολ. explicatur per συνουσιαστικὸν κατὰ τοῦ δακτυλίου τοῦ πρωκτοῦ, h. e. *qui hesternae coenae occurrit*, vt Satyricus loquitur; sed praestat de infanda hac obscoenitate penitus tacere. Sumitur quoque vox ista δακτύλιος, pro annulo, vt notum, quod ille *ambiat* quasi et *constringat* digitum. Verum iam non in hoc sed alio gratiore purioreque circulo,

NOSTRI COMMENTARII
ESTO
FINIS.

DE
MIRA NATVRAE SOLERTIA
IN REPARANDIS DAMNIS
CORPORI ANIMATO ILLATIS.

§. I.

Quod de ſtatis anni temporibus, ac conſuetis coeli mutabilis conuerſionibus, eleganter quondam dixit HORATIVS [a]).

Damna tamen celeres reparant coeleſtia lunae.

Id ipſum ſane potiore iure ſenſuque magis proprio, de vniuerſa rerum creatarum, et corporum praeſertim viuentium natura, affirmandum eſſe, nemo forſan, vt arbitror, niſi in phyſicis medicisque diſciplinis plane fuerit hoſpes, inficiabitur.

§. II. Tanta enim vtique eſt prouidae naturae, ſoſpitatricis, vigilantia, tamque indefeſſa induſtria, vt omnia perquam ſolicite circumſpiciat, ne corpus animatum, cui praeeſt, detrimenti quid capiat: quod ſi autem aut fortuito caſu, aut vi illata, aut denique morbo immiſſo, illius quid ceperit; vt quantocius, remotis illis impedimentis ac periculis, in integrum reſtituatur; quantum nempe ipſius vires, ab ipſo ſummo creatore certis limitibus circumſcriptae, permiſerint.

§. III. Inde recte olim in hunc ſenſum pronunciauit ipſe noſter HIPPOCRATES [b]) Νούσων φύσιες ἰητροὶ, *morborum medicatrrices ſunt ipſae naturae,* et mox ibidem: ἀπαίδευτος ἡ φύσις ἐοῦσα καὶ οὐ μαθοῦσα, τὰ δέοντα ποιέει, *non edocta natura, nec vllo magiſtro vſa, ea tamen facit, quae conuenientia ſunt, et quibus opus eſt*: vbi videndus eſt in Comment. GALENVS, praeſertim autem in libris iſtis plane aureis, *de vſu partium.* Ex ipſo autem HIPPOCRATIS fonte vberrimo iſta hauſit

DEME-

a) Od. VII. Lib. IV.

b) Lib. VI. *Epidem.* Sect. V. pag. 809. conf. *Apol. Hippocrat. noſtra* pag. 84. et PETIT. ad ARETAEVM pag. 288. item ill. *van* SWIETEN, *Comment.* Tom. I. pag. 4. inprimis autem vid. huc, in hunc ipſum HIPPOCRATIS locum, doctiſſimam VALENTINI *Epiſtolam,* ad DOLAEVM, *Diſſertat. Epiſtol. III.* pag. 140. *ſqq.*

DEMETRIVS PEPAGOMENVS c): ἡ φύσις ἄλογος ὅσα, τὰ κατὰ λόγον ποιεῖ; *natura ratione fere carens, facit tamen sua opera secundum rationem.* Inde alibi apud ipsum HIPPOCRATEM, vocatur ἀδίδακτος, αὐτοδίδακτος, αὐτομαθὴς, αὐτομάτη, αὐτότεχνος, αὐτοκίνητος, αὐτοξύνετος, et similia, ab aliis etiam, vt ARISTOTELE, ANDRONICO RHODIO, PLOTINO, ALCINOO, PLVTARCHO, MARCO ANTONINO, *Lib.* VIII. *pag.* 240. vbi vid. GATAKER, et reliquis, πάντεχνος, πανεπιστήμων, μυριότεχνος, πολυδαίδαλος, et παναίολος, d), de quibus autem diuersis attributis et elogiis, non nihil inter se, vt primum quidem videtur, pugnantibus, quomodo ista rectius intelligenda, explicanda, comparanda, atque inter se se apte sint concilianda, iam olim data opera, paulo diligentius tractatum a nobis fuit e). Quorsum et denique, vel maxime spectat eximius iste PALLADII f) locus: ἡ προνοητικὴ φύσις ἔνδον ὅσα, ὥσπερ ἰατρὸς ἀγαθὸς, προνοουμένη τοῦ σώματος, ἐπινοεῖ τὸν πυρετὸν, κ. τ. λ., *prouida natura, intus quum sit, veluti optimus medicus, prouidens corpori, excogitat febrem* etc. vnde simul patet, vt id obiter hic, data commoda occasione, adiiciam, STAHLIVM in sua sic dicta *noua febrium theoria*, nihil quidquam noui protulisse; quod et ex multis aliis veterum medicorum locis, item ex CAMPANELLAE, HELMONTII, imo SYDENHAMI, et aliorum scriptis liquidissime demonstrari posset; si de hoc quidem controuerso admodum argumento, hic proprie vberius tractandi locus esset g). Quare hoc tantum veluti in transitu.

§. IV.

c) Libr. *de Podagra*, Cap. I. pag. 8. Edit. Clar. BERNARD.

d) vid. GRAEVII *Lect. Hesiod. cap. XIIX. pag.* 90.

e) In citata nostra *Apol.* pro *Hippocr. Atheismi* falso accusato, scripta, pag. 17. seq. 25. seq. et inprimis, pag. 84. seq.

f) Lib. de *Febr.* cap. XXVI. pag. 86. vbi vid. in *Not.* Clar. BERNARD. et ad Cap. XXIII. pag. 80. Conf. PETR. PETIT. *Comment. ad* ARETAEVM, p. 147.

g) Interim vid. si placet, BARCHVSEN *Hist. Med.* Dial. XIX. pag. 605. sep. vt plures alios aduersarios iam taceam, a GOETZIO in operosa *Scriptorum Stahlianorum Recensione*, *Norimb.* 1729. diligenter collectos et allegatos.

§. IV. Ex hac igitur cauſſa, vt pergamus, haec ipſa natura deplet ſuperflua, replet deficientia, et ſupplet denique ac reſarcit damna corpori hinc inde, diuerſo modo, varioque caſu, illata: quoniam ipſa nempe eſt iuſtiſſimae ſemper menſurae et aequiſſimi ordinis obſeruantiſſima mater et ſtudioſiſſima ſectatrix, vnde vere et acute plus ſemel hoc ſenſu, mathematico nempe, geometrico aut mechanico denique magis, quam ciuili aut politico, ab HIPPOCRATE noſtro [h]) vocatur δικαίη et δικαιοτάτη, h. e. *iuſtiſſima*, ſeu *aptiſſima, accommodatiſſima*, et *iuſtae Symmetriae tenaciſſima*, prout hic ipſe vocis huius ambiguae ſenſus liquidiſſime, opinor, ipſi HIPPOCRATI a nobis, vindicatus fuit quondam [i]). Quam ipſam prouidam ac ſollicitam ipſius naturae curam in conſeruando et cuſtodiendo corpore, perpetuam validis quidem argumentis luculentisque exemplis quam plurimis, vberius omnino probare facile hic poſſemus; ſi nempe neceſſitas nobis impoſita magnopere vrgeret; hinc ex iis pauca tantum ſequentia, ſed ſelectiora, et primum quidem de animalibus, producere iam placet, lectoribus, vt ſpes quidem eſt, veluti guſtus gratia, ſuffectura.

§. V. Sic igitur ramoſa viuacis cornua cerui ſtatis vernantis anni temporibus, decidua eſſe conſtat, aſſurgentibus ſubinde nouis, teneris ac molli plumata lanugine conueſtitis tuberibus, in priſtinam oſſeam duritiem ſenſim ſolideſcentibus. Ita pariter gelidi ſerpentes, renato egelidis teporibus, vere, rugoſam aridamque ſenectutem ſuam exuunt, et noua vernatione, laevam floridamque iuuentam contra induunt, ſpecioſa pelle decori, et ſquallentibus annis liberi, reddito vigore, laetis herbis minaces interuirent, vt PAPINIVS STATIVS eleganter loquitur. Similem fere in modum, aereis etiam volucribus, ſingulis annis, pictae pennae defluunt, novaeqne nitidiores iucundo ſpectaculo, reflorescunt.

§. VI.

h) Scil. Libr. de *Fracturis*, *Articulis*, et alibi, vid. EROTIANI, GALENI, HESYCHII et SVIDAE *Gloſſaria* it. FOESII *Oeconomiam*, et alios.

i) In ſupra citata *Apologia* contra falſo imputatum HIPPOCRATI Atheiſmum, pag. 40. ſeq.

§. VI. Retrogradis quoque cancris, seu gammaris, non solum sua testacea operimenta, seu crustacei thoraces, quotannis excidunt, nouis mollioribus vestimentis, quasi in amissorum locum, laete succedentibus; sed et insuper, quod tanto magis iure mirandum, ipsa adeo bina eorum brachia, denticulatis forcipibus, seu forficibus, armata, chelae vulgo dicta, siue resecta fuerint, siue abrupta, siue denique alio violento casu deperdita, sua sponte, sensim regignuntur, adeo, vt in vno eodemque cancro, chelam vnam grandem, latam ac perfectam, alteram autem exiguam, exilem et modo quasi inchoatam simul deprehendere liceat, vt cuiuis nempe notissimum: de quo singulari naturae solertis miraculo, inprimis videndus diligentissimus SACHSIVS, in *Gammarologia* k); praesertim autem nostrae quidem aetatis, perspicacissimus rerum naturalium indagator, REAVMVRIVS l) et ex eo illustr. libr. Bar. VAN SWIETEN ll), quibus potissimum addendae singulares, hanc in stupendam naturae foecunditatem, obseruationes, item experimenta in cancris maioribus, marinis, saepius iterata PETRI COLLINSONII et BENIAM. COOT m) vt et ex nostratibus, ROESELII n), ex quibus euidentissime apparet, portentosam hanc chelarum amissarum redintegrationem a nonnullis eruditorum frustra olim ad meras aniles fabulas et rudis plebeculae deliramenta fuisse relatam et immerito derisam.

§. VII. Pari fere modo, polypis πολυτρόποις, piscibus istis rapacibus ac tenacibus, in prouerbia quoque translatis, ceu notum, renasci subinde corrosa a Congris brachiorum flagella, seu cirros, post ipsum ARISTOTELEM o) refert PLINIVS p) et OPPIANVS

k) Lib. I. cap. 21. pag. 471. seq. et cap. 20. pag. 453. seq. vbi de crustae Gammarorum depositione.

l) In Memor. Acad. Scient. Paris. Anno 1712. pag. 296. seq.

ll) In *Comment.* in *Aphor.* BOERHAAV. T. I. p. 310.

m) In *Transact. Angl.* et in sic dicto Penar. Hamb. Vol. II. P. IV. Sect. VIII. pag. 478. seq.

n) In splendido Opere de *variis insectis*.

o) Lib. VIII. *Hist. Anim.* cap. 4. pag. 871.

p) Lib. IX. cap. 29. ibique HARDVIN. in Not. pag. 516. T. I.

NVS q) cum aliis; nec recentiores naturae ſcrutatores id negare audent. Colotis etiam ac lacertis, item ſerpentibus et lumbricis, caudas abſciſſas, alioue modo amiſſas, ſingulari naturae beneficio, ſenſim redire, obſeruarunt iidem auctores veteres, item recentiores, vt OLAVS MAGNVS, MAIOLVS, ALDROVANDVS et alii r). Imo ipſa eorum corpora recens in partes diſſecta ſibique mox propius admota, rurſus, illaeſa vita, coaleſcere et arctius vniri, adnotauit cum aliis, CAMERARIVS s). Quin etiam, quod magis mirum, ipſos ſerpentes amiſſam caſu linguam recuperare, tradidit OSWALD. CROLLIVS ss). Sed omitto plura.

§. VIII. Ecquis vero hac noſtra inprimis tempeſtate, neſcit ingens illud et ſtupendum plane naturae polydaedalae miraculum in polypis, vermibus, vt plurimum aquatilibus, conſpicuum, tot iam egregiis ſcriptis, et praeſertim HENR. BAKERI, viri praeſtantiſſimi, *naturali polyporum hiſtoria*, ſolidiſſime ſcripta, tantopere, ſummo quidem iure, celebratum? vt ipſum REAVMVRIVM, FOLKES, TREMBLEY, et ex noſtratibus, ROESELIVM iam ſupra laudatum, et alios clariſſimos viros iam taceam, quorum curioſiſſimae circa polyporum illorum polybiorum palingeneſiam et ſubitam reſurrectionem, obſeruationes, in *anglicanis* potiſſimum *transactionibus* ſumma cum admiratione leguntur t). Quis ergo hodie, inquam, ignorat aeternam quaſi illam polyporum ſine prole gentem, quae ferae ſuae poſteritati viua ſemper intereſt? quae, inexhauſta veluti foecunditate, toties ſe ipſam regenerat, quoties propius admota horridi lethi vis exitium, tan-

q) Lib. II. *Halieut.* 246. vbi vid. in *Comm.* RITTERSHVS. p. 238. ſeq. copioſe.

r) Apud SACHS. Lib. I. *Gammaralog.* cap. 21. pag. 472. vbi in ſeq. plura, quae huc ſpectant.

s) *Memorabil. Med.* Cent. IX. Sect. 22. pag. 657. T. I.

ss) Lib. de *Signat. Rerum*, p. 96. conf. SACHS. l. c. p. 476.

t) Vid. huc inprimis *Bibliothec. Britann.* de anno 1744. T. XXII. Part. I. p. 159. ſq. et pag. 177. ſeq. vbi et ipſorum polyporum diuerſae figurae nitide expreſſae vid. et eiusd. *Bibl.* T. XX. P. II. pag. 187. ſq. et T. XXI. pag. 350. ſeq. Add. nouiſſime Cl. CAROL. BONNET, in eximio et perquam curioſo Libro, *de Contemplatione Naturae*, Amſtelod. 1766. vbi plura de hoc ſtupendo polyporum veluti immortalium miraculo, lectu ſane digniſſima et iucundiſſima.

tanquam periturae, minatur? quae per innumeras quasi mortes reuiviscit, atque per damna, per caedes, ab ipso adacto ferro opes animumque ducit, *caede se reparans sua*, vt de foecunda illa capitum Hydra Lernaea, eleganter ait SENECA, in *Medea.* Animal! tot vitarum animarumque capax, in quot particulas minutissimasque atomos ipsius quidem corpusculum dissecari et separari potest; vbi nempe

primo auulso, non deficit alter
Filius, et simili succrescit corpore vermis.

§. IX. Sed haec quidem breuiter, de animalibus. Veruntamen vel in ipsorum humanorum corporum damnis apte reconcinnandis, non minus sedulam opiferamque auxiliatricem esse ipsam naturam; permultis quoque exemplis experimentisque admodum luculentis et prorsus admirandis, vbiuis affatim constat: ex quibus pauca tantum eaque potiora, amico brevitatis studio hic delibare placet.

§. X. Ita nimirum resectos pilos vnguesque mox sua sponte renasci, cuiuis notissimum. Mirandum vero huius rei exemplum vid. apud LOTICHIVM, *Obs. med.* Lib. IV. cap. XI. obs. 2. p. 42. de sene octogenario, barbam et capillos imo et lasciuiam recuperante, paene in iuuenem rursus mutato. At rescissis digitorum apicibus, in secundo tamen, imo tertio eorum internodio, eosdem vngues ab officiosa natura restitutos fuisse, tanto magis mirum; quod tamen stupentes, quondam viderunt bini isti Medici graues et eleganter docti, TVLPIVS nempe u) atque PECHLINVS w), qui et ibidem, mirandum plane exemplum de integra cuticula, ad instar vernantium serpentum, quotannis exuta et denuo renata, refert; quale quid etiam de ipsius capitis cute a furente vrso detracta, et a benigna natura de integro reddita, memoriae prodidit PETRVS de MARCHETTIS x). Sic et omnem fere

 late-

u) Lib. IV. *Obs. med.* cap. 56. p. 370.
w) *Obs. med.* 42. Lib. II. pag. 315. sq. add. GARENGEOT. apud ill. VAN SWIETEN, Tom. I. *Comment.* p. 306. et BORELLI *Obs. med.* 70. Cent. II. pag. 167. item CAMERARII *Memorab. Med.* 36. Cent. X. p. 764. Tom. II.
x) *Obseru. rar.* XVI. p. 33. cf. SACHSII *Append. Gammarol.* p. 903.

lateris carnem, ictu tormenti bellici, ablatam, et ab eadem solicita natura restitutam descripsit THOM. BARTHOLINVS y), vt et scrotum, a foeda luis venereae labe penitus absumtum, putridumque factum; postea vero sua sponte pulchre renatum, et ad ipsos testes hactenus nudos, rursus blande inuoluendos ac profanis visibus subducendos, peropportune productum z): quale mirandum exemplum quondam etiam obseruaui ipse Argentorati, in Nosodochio. Pariter omoplatas cum tota dorsi carne, saeua machinae bellicae violentia, vsque ad ossa ablatas, singulari prouidae naturae beneficio, regeneratas vidit BORELLVS a).

§. XI. Porro aqueum ipsius oculi humorem, aut inflicto vulnere, aut alio casu effusum, sensim per se reparari, post ipsum CELSVM b) ac GALENVM c) a multis obseruatum fuit medicis praestantissimis, vt MARCELLO DONATO d) LAVRENTIO e) HILDANO f) RIOLANO g) PLATERO h) aliisque pluribus, magna copia laudatis hanc in rem a SACHSIO i) et IO. RHODIO k) qui ipse tale exemplum in duodecim annorum puero annotauit: quibus potissimum addendae sunt eximiae illae hoc in singulare naturae miraculum, obseruationes celeb. OLAI BORRICHII l) et magni THOM. BARTHOLINI m) item PLEMPII, et BRIGGS n) nec non DIEMERBROECKII o) et recentiorum nostrae aetatis opthalmiatrorum, HEISTERI, ANTONII, de SAINT YVES, RATHLAVW, et aliorum. Conf. *de* FRANCKENAU Differt. *de Restitutione in Integrum*, p. 500. sq. *Satyrarum medicarum.*

§. XII.

y) *Hist. anat. rar.* 59. Cent. VI. pag. 295.

z) Ibidem *Hist.* 69. eiusdem. Cent. pag. 320.

a) *Obs. med.* 20. Cent. III. pug. 213.

b) Lib. VI. cap. 6. §. 39.

c) Lib. I. de *Sympt. caussis* cap. 2.

d) Lib. V. *Med. Hist.* c. 4. p. 567.

e) Lib. IV. *Anat.* cap. 16.

f) *Obs. chir.* 26. Cent. I. p. 94. seq.

g) *Enchir. Anat.* L. X. C. 3.

h) *Prax. med.* T. I. p. 258.

i) Lib. I. *Gammar.* c. 21. p. 473.

k) *Obs. med.* 82. Cent. I. p. 53.

l) *Act. med.* Hafn. Vol. I. Obs. 69. pag. 151. seq.

m) Ibid. *Obs.* 132. p. 262. seq.

n) Vterque in *Ophthalmographia.*

o) Lib. III. *Anat.* cap. 17. p. 409.

§. XII. Dentes quoque edentulis vetulis, decrepitisque viris, in summa senectute, denuo bis, aut ter, regeneratos esse, saepe memoriae proditum est. Ita *Zanclen Samothracenum ciuem, cui renati essent dentes post centum et quatuor annos, ipsum Mutianum vidisse et in commentarios retulisse*, annotauit PLINIVS p). Sed similia plura exempla diligenter collegerunt IO. SCHENCKIVS q), MARCELLVS DONATVS r), AMBROS. PARAEVS s), BORELLVS t), SEBIZIVS u), SENNERTVS noster v) quo merito gloriamur, aliique plures, copiose laudati a RHODIO w), SACHSIO x) aliisque passim: res enim nota.

§. XIII. Sed parua loquimur; longe maiora enim iam adhuc dicenda sunt, nisi forte rectius reticenda, quoniam adeo vsque portentosa videntur, vt omnem paene fidem excedant: quam tamen Viris honestis, et de nulla fraude suspectis, arroganter detrahere, aut in discrimen adducere, illiberale prorsus esse videtur facinus. Quis enim obsecro, facile crediderit, ipsam quoque linguam morbo penitus deperditam, singulari praepotentis naturae beneficio, denuo integram reparari potuisse? et tamen eiusmodi linguam a dira variolarum lue vsque ad radicem, prorsus absumtam ac frustatim eiectam, postea vero sensim sua sponte renatam, in puero septem circiter annorum, ipse attente vidit et candide descripsit IAC. HORSTIVS, Medicus olim celeberrimus, et magnae auctoritatis ac fidei y), qui nempe infelicissimum istum puerum mutilum ac mutum, prius miseratus, paulo post vero eundem rursus felicissimum, loquentem scil. deumque cum laetissimis parentibus, merito laudantem miratus est, quod diuino veluti miraculo, ἄγλωσσος subito factus esset εὔγλωσσος. Quam ipsam

p) Lib. XI. c. 37. ibique HARDVIN. p. 622. T. I. Opp.
q) *Obs. med.* 408. L. I. p. 305. T. I.
r) *Hist. med.* Lib. VI. c. 2.
s) *Chirurg.* Lib. XXIV. c. 19.
t) *Obs. med.* 81. Cent. II. p. 176.
u) Disput. de *Dentibus* II. §. 94.
v) *Prax. med.* Lib. II. Part. I. c. 10.
w) *Obs. med.* 94. Cent. I. p. 62. seq.
x) *Gammar.* Lib. I. c. 21. p. 475. vbi plura, add. inprimis CASPAR. a REIES, ELYS. *Camp. Quest.* XXVI. p. 289. seq.
y) *Comment.* in HIPPOCR. Lib. περὶ παθῶν

ipsam historiam rarissimam et stupendo miraculo proximam inde etiam summo iure, doctissimae suae *memorabilium medicinae Syllogae* inseruit IO. RVDOLPH. CAMERARIVS [z]).

§. XIV. Grande denique foret omnino nefas, hic quoque, tam opportune, non meminisse simul, noui illius Promethei, ac curtorum curatoris et reparatoris, olim celeberrimi, CASPARI nempe TALIACOTII, qui per naturam ipsam, arte sua ingeniose audaci adiutam, partes narium, aurium et labiorum, inhonesto vulnere truncas, sic, plus semel, felicissime restituisse, narratur; pluribus quidem chirurgis, quos inter ipse noster HEISTERVS, faustum istius artificii successum negantibus; multis tamen etiam auctoribus grauissimis et testibus oculatis, veluti HILDANO [a]), FALLOPPIO [b]), PARAEO [c]), FIENO [d]), VALENTINO [e]), et aliis, contra affirmantibus, ad quos inde merito prouocant STOLLIVS [f]), SACHSIVS [g]), KESTNERVS [h]) et alii, quibus splendidissima auctoritate ingens omnino pondus adiicit, praeeunte Cel. chirurgo, GARENGEOTO [i]), perillustris *Liber Baro* VAN SWIETEN [k]). Praesertim, quum iam olim de hac ipsa curtorum chirurgia, veteribus medicis, vt GALENO [l]), PAVL. AEGINETAE [m]), CORN. CELSO [n]) aliisque, quidquam suboluisse, ipse diligenter docuerit TALIACOTIVS [o]). Licet

z) Cent. VI. Sect. XXXIX. p. 373. seq. T. I. add. et SACHS l. c. p. 476.

a) *Obs. Chirurg.* 31. Cent. III. pag. 150. seq. et *Epist.* 64.

b) de *Decorat.* c. XI. et MERCVRIAL. de eodem Argumento, c. XVIII.

c) *Chirurg.* Lib. XXIII. c. 2. p. 574.

d) Lib. XII. *Chirurg.* c. et 2. p. 100.

e) *Chirurg. med.* p. 74.

f) *Hist. med.* Part. II. c. 3. p. 837. sq.

g) *Gammar.* loc. cit. p. 474.

h) *Bibl. med.* T. II. c. 8. p. 688. Add. FRANCKENAV, Differt. de *Restitutione in integrum*, in *Satyr. Medic.* pag. 501. seq. item B. SALZMANNI, amici olim nostri coniunctissimi, Differt. *de chirurgia Curtorum*, Argent. 1712. denique etiam B. PLATTNERI *Institut. Chirurg.* p. 379. seq. vbi tamen ipsius GARENGEOTTI fidem, nescio quare, et an satis iuste, eleuare contendit. Huc et vid. BORELLI *Obs. med.* X. Cent. I. p. 16.

i) *Operat. Chirurg.* T. III. p. 55.

k) T. I. *Comment.* in *Aph.* BOERHAAV. p. 306.

l) Lib. XIV. de *Meth. med.* c. 16. et 18.

m) Lib. VI. c. 26.

n) Lib. VII. c. 9. p. 440.

o) *Chirurg. Curtor. nou.* Lib. I. c. 19. pag. 203. seq.

cet interea non nesciamus, fuisse quosdam aut emunctae naris, aut nimis forsan obesae, qui mirandum istum de Nare renata, aut sensim adglutinata, casum aperte falsum esse, seuere pronunciarent. Quasi vero illa vera esse non possint, quae ipsi forte in angusto suae experientiae spatio, nunquam obseruarint, sibique hinc incredibilia et incomprehensibilia plane videantur. Si ergo nihil vsquam fuerit verum, nisi vulgare, quotidianum, lippisque ac tonsoribus notum; actum sane tunc plane erit de sancta grauissimorum Auctorum Medicorum fide, qui nobis plures eiusmodi casus rariores subinde consignarunt. Imo tum omnis paene fides historica simul periclitabitur. Si enim libere negare id licet, quod nobis incredibile videtur, quia ipsi rebus olim actis non interfuimus; ecquid obsecro, veritatis historicae tum remanebit? Sed placide iam sinamus eiusmodi praecoces ac feroces dictatores isto suo aut iudicio, aut praeiudicio, abundare. Litem enim istam nostram nunc non facimus, qui relata hic potius obiter retulimus, quam seuerius examinata tradidimus. Maximi interim merito est ponderis ipsa grauissima *auctoritas Swieteniana.*

§. XV. Sed de his hactenus! quibus quidem longe adhuc plura, quae in promtu sunt, certe non minus notatu digna, commode hic adiungi possent; nisi temporis spatiique ratio potius habenda esset. Haec autem cuncta, huc vsque in medium allata, aliorum potissimum nituntur fide atque industria, non quidem sublesta, aut dubia; at interim tamen aliena. Quae vero nunc proxime sequentur, bina ista miranda prorsus exempla, singularem illam semperque indefessam ipsius prouidae naturae solertiam in reparandis, praesertim ossium, damnis et iacturis, liquidissime declaratura ipsi nostrae potius fidei, et quidem praesenti et oculatae, debentur, adeo, vt inde, isti quidem maximi momenti veritati luculentius probandae, non exiguum forte pondus adiectura videantur.

HISTO-

HISTORIA PRIMA.

§. I.

Anno igitur CIↃIↃCCXXX. *Argentorati*, in Valetudinario maiori, attonitus paene, conſpexi militem veteranum, prouectae iamiam aetatis, annorum videlicet LV, qui quondam, in caſtris martiis, maiore forſan cum gloria militauerat, quam quidem venereis, ex quibus quippe peſſime mulctatus euaſerat, neque ipſa vaſa ſatis ſalua retulerat; ſed vlcera potius foeda membrorum ſcabie putrefacta: haud bene relictis, nempe in ſordida illa palaeſtra, naſi palatique oſſibus, foediſſima immundae veneris labe, terribili plane viſu forma, ambeſis ac ſenſim eiectis.

§. II. At longe tamen inſignius oris dehoneſtamentum ſpectantibus praebuit ipſa miſerrimi frons, cuius nempe honori crudeliſſima illa labes nihil quidquam pepercerat; quin potius eam adeo vsque exederat, vt abſumto ipſo illo alias duro, oſſe frontali, per turpiſſimum hiatum oui fere magnitudinem ſpatioſo ſuo ambitu adaequantem ipſa illa ſacra et humanis viſibus negata animae interioris ſedes, cerebrum nempe, ſuis membranis intectum, profanis nunc quaſi oculis liberius pateſceret, palpitansque per interualla, et leuiter motitatum, ad acceſſum inprimis ſubito irruentis aeris, cum maximo adſtantium ſtupore, conſpiceretur, et hinc apte ſatis illud poetae locum hic haberet.

Nulla viro ſpecies, decorisque et frontis egenum
Corpus.

Adeo, vt hinc omnes merito in ſummam admirationem abriperentur, quo ſcilicet modo, inhumatum hoc quaſi, et male viuum cadauer ſpiritum tam tenui limine haerentem, et iam ſua ſponte emigraturum, in hoc vsque tempus, aegre prolatare potuiſſet. Ceterum par fere huic exemplum de vetula quadam ſimili edaci ſincipitis frontisque carie miſerrime affecta, retulit nuperrime ILL. MORGAGNVS, in ſplendiſſimo opere nouo p) vbi et aliam non diſſimilem hiſtoriam ex FALOP-

PIO

p) De *Sedibus et cauſſis morb. per Anat. indagatis* T. II. Lib. IV. Epiſt. 58. p. 368.

PIO q) addidit: conf. huc etiam SPINDLERI *Obſ. med. I.* ibique inprimis adiecta RAYGERI *Scholia*, item HELWIGII *Obſ. Med.* 18. *pag.* 54. *ſeq.* ibique ſubiuncta ipſius *Scholia* et obſeruationes vt et BORELLI *Obſ. med.* 18. Cent. II. pag. 118. Praeſertim autem huc ſpectat memorabilis illa IDONIS WOLFII *Obſeruatio Chirurgica* XI. Lib. I. pag 42. ſeq. de *maiore oſſis frontis parte poſt grauiſſimam vulnerationem, ablata, et in eius locum ſuccreſcente callo,* digniſſima omnino, quae diligenter huc conferatur et prudenter expendatur.

§. III. Licet igitur hic omnia iam quidem deplorata et conclamata viderentur, quoniam dirum illud Virus venereum per omne vbique corpus late diffuſum, mali velocitate plurimum anteibat remedia, quantumuis generoſiſſima; tentare tamen nihilo minus viſum fuit ſolertioribus Medicis atque Chirurgis, ſi quid adhuc praeſidii vel in Natura ipſa, vel in arte ſalutari ſupereſſet, quo Vitium illud imis medullis, et vniuerſae praeſertim pinguedini penitus infuſum, quaſi excoqueretur, inutilisque humor funditus exſudaret.

§. IV. Quod ſaluberrimum conſilium quum per varios fotus, vapores, ſuffitus, balnea, frictiones, ſudationes, potionesque inprimis corruptum ſanguinem repurgaturas, e Radicibus Chinae, Sarſaparillae, et Ligno Sancto atque Saſſafras, aliisque eiusdem Virtutis remediis paratas, plurimum profeciſſet; potiſſimum autem per vberrimos ſaliuae large fluentis riuos, penetrantiſſimi argenti viui miniſterio, apertos et excitatos, eousque, vel ſupra vota, ſucceſſiſſet; id tandem eo ipſo effectum fuit, vt omnis illa corporea peſtis teterrima radicitus excederet, concreta diu labes emundato iam corpore, eximeretur, certiorque aliqua ſalutis, hucusque ambiguae, ſpes laetiſſime affulgeret.

§. V. Namque effoetus ille hactenus, atque aetate morboque iuxta feſſus Miles, Aeſonis cuiusdam rediuiui ad inſtar, quaſi recoctus, repubeſcere ſenſim coepit, atque nouam veluti viridemque carnem induiſſe viſus eſt, ſordidis nempe, omnia late depaſcentibus atque inhone-

q) Tract. de *Vlceribus* cap. XLVII.

honestis vlceribus nunc sua sponte exsiccatis et persanatis, quae antea et vniuersum ipsius corpus, et obscoena potissimum inguina immunda illuuie deturpauerant.

§. VI. Quin etiam singulari Naturae creatricis prouidentia id demum procuratum fuit, quod sane ingenti miraculo proximum videtur, et fidem paene superat, vt teterrimus ille frontis carie exesae hiatus cartilagineo, aut calloso quasi velo, fere ad instar duplicatae membranae pergamenae, crasso, lateque oppanso, concinne circumvestiretur et apte obduceretur, vt tensi propemodum tympani faciem repraesentaret. Huc autem vel maxime referenda simillima paene IDONIS WOLFII *obseruatio chirurgia* XII. iam supra laudata, *de maiore ossis Frontis parte ablata, et Callo in eius locum, succrescente.*

§. VII. Exinde igitur optime et athletice per aliquot adhuc annos, valuit Miles ille, ab inferis quasi resuscitatus; donec et senio, et febre lenta confectus, fatis tandem cederet: post quae, exemtum illud frigido cadauere mirabile frontis os, denuo veluti renatum, Viri cuiusdam Celeberrimi Museo, complurium eiusmodi insolitorum Naturae miraculorum iam feracissimo, merito illatum fuit, vbi cum summo visentium et contrectantium stupore, vel in hunc vsque diem, quantum equidem memini, adseruatur.

Sed nunc, ordine nempe naturali, a capite descendamus ad pedes, consimile ibi attente visuri naturae miraculum, in reparanda amissa tibia, strenue feliciterque occupatae.

HISTORIA SECVNDA.

§. I.

Quidam principis Nassou. aerario praefectus, qui quondam sub gloriosissimis diui nunc Imperatoris Caroli VI. auspiciis, tanquam Centurio, in Hispania, haud inglorius, militauerat, vulneraque plura non indecora, aduerso corpore, acceperat, Vir praesentis et intrepidi animi, praeualidi corporis, augustae staturae et ingenii feruidi vividique; is inquam, ex improuiso, in tam saeuam calamitatem incidit, vt, cum recens conscripto milite, ad ipsius copias properaturus,

rus, in via ipſa, igne ſacro, ſiue eryſipelate, in dextro quidem crure, ſubito corriperetur.

§. II. Quum igitur nec negotium iſtud, cito expediendum, vllam lentitudinem ſuſtineret, nec ipſe ſuapte natura, longae morae patiens eſſet; arceſſito mox chirurgo caſtrenſi ſerio imperabat, vt ſibi ſubitam medelam adferret, quo coeptum ſemel iter ſine vlla cunctatione, properare poſſet. Qui, quum, more iſtius gentis, imminentium periculorum ignarus, praepoſtero obſequio obtemperaſſet, variaque hinc humida frigidaque epithemata cruri feruido rubore correpto, repetitis ſaepius vicibus, impoſuiſſet; id tandem temerario ſuo auſo, et inſanienti ſapientia effecit, vt aeſtum quidem dolorisque acris ſenſum aboleret; ſed ſimul eo ipſo, Vitam quoque partis laeſae ipſam adimeret, gangraenamque atque ſphacelum paene letalem, deteſtabili et poenitendo lucro, induceret. Qualia perquam funeſta exempla plura de eryſipelate ſimilem in modum, male et imperite tractato, etiam occurrunt, apud SCHELHAMMER de *Natura*, part. II. cap. VII. pag. 302. FABRIC. HILDAN. *obſ. Chirurg.* 82. Cent. I. pag. 225. RIVIN. diſſ. de *Morbo retrogrado*, pag. 742. Syllog. vt et STAHL. Diſſert. de eodem argumento, alibique paſſim, item in noſtra Diſſertat. de *Veritate parodoxi Hippocrat.* etc. §. VIII. p. 9. vbi et haec ipſa noſtra Hiſtoria paucis enarrata legitur, et ſimul vberiore eiusdem explicatio promittitur, quod iam abunde a nobis praeſtatur, niſi forſan fallimur.

§. III. Quod quum ab ipſo aegroto, vitae ſalutisque ſuae nunc curioſiore, ſtatim deprehenſum eſſet; confeſtim alios Medicos Chirurgosque, hoc ipſo peritiores, acciri iubet. Qui ab vndique advolantes, remque plane conclamatam attoniti pallidique, ſpectantes, triſtem ipſi decretoriamque ſententiam vnanimi ſuffragio, moeſti denunciant, nimirum in ſolo nunc ferro ipſius ſupremam ſalutem ſtare, hincque aut citiſſime amputandum eſſe id ipſum crus, iam ſphacelo corruptum, letalique frigore praemortuum, ſi diutius adhuc viuere velit; aut ferro intactum relinquendum, ſi citius mortem oppetere malit.

§. IV. Vitae ergo diuturnioris magis cupidus, quam mortis, praesertim tam ignauae, et animam illaudatam tacite erepturae, infausto hoc nuntio nihil prorsus exterritus, nec duris cedere suetus; quin potius indignissimum casum sapienter tolerans, ferrum oblatum intrepide sibi exposcit, in subitam nempe atrocis mali, nullius iam dilationis amplius patientis, medelam. Quod quum interea allatum, irretortis siccisque plane oculis, attente spectasset, eiusque aciem ipse admoto resecto vngue, solicite pertentasset, quasi nempe non suum, sed alienum potius, negotium curaret; nihil aduersus praesentem asperam fortunam mollitus, et inter tot gemitus aliorum, immobilis, spectantique tantum similis, Crus illud suum, iam Corpus deserturum, fortiter praebuit rescindendum.

§. V. Interea autem, dum feralis ille apparatus omnis curatius explicatur, dum ligamenta necessaria, eaque Remedia, quibus sistitur prorumpentis sanguinis impetus, aliaque arduo huic negotio profutura parantur, et comportantur; meliore tunc fato, forte superueniens Chirurgus quidam Veteranus, retorridus, longoque artis, per aetatem, vsu probe exercitus, strictum iam in amputationem, ferrum admoturis remoram iniicit, monetque sensu quidem incomto; sed valido et vero, facilius quidem Crura amputari posse, quam reparari, ceu ipse probe iam agnouit GALENVS, *Lib.* IV. *de Method. Med. cap.* 4. *p.* 87. *Tom.* X. item THEMISTIVS, *Orat.* I. *p.* 14. et *Orat.* VII. *p.* 94 [r]) ideoque nihil hic iusto properantius agendum, quod aliquando, re praefestine peracta, et irreparabili damno admisso, poenitere frustra possit: quin potius probe et sollicite circumspiciendum, num

r) Apponere hic forte iuuabit in gratiam Lectorum elegantiorum, ipsa illa THEMISTII verba, huc quidem apprime facientia: σώματος ἑνὸς τὸ μέρος τὸ ἀῤῥωςῆσαν ὁ θεραπέυειν ἐνὸν Φαρμάκοις, ἀποκόπτειν προαιρȣ́μενος, ȣ̓κ ἰᾶται τὸ σύμπαν, ἀλλ᾽ ἀσθενέςερον ποιεῖ τῷ ἐλλείποντι: *Corporis morbidum membrum qui cum medicamentis persanare possit, mauult abscindere, non toti corpori remedium adhibet; sed hoc ipso, quod deest, imbecillius facit.* vbi vid. si placet, in *Notis*, p. 430. PETAVIVM, similem fere locum ex DIONIS CASSII Lib. LV. p. 789. Tom. II. opp. opportune huc adferentem.

num quid in Arte Chirurgica adhuc praesidii sit repositum, quo praemortuus iam vitalis vigor reddi felliciter queat cruri isti exitio suo, immo funerationi suae iamiam destinato. Quo fere modo adornatam iam amputationem etiam inhibuit, crusque mox periturum, sua arte seruauit PETRVS MATTH. ROSSIVS, *Obseruat. Chirurg.* I. *pag.* 94. seqq.

§. VI. Pernegantibus igitur indignantibusque licet cunctis praesentibus; ille tamen instituti peruicax atque interritus, membrum ipsum sollicite contrectat pertentatque, et impressa altius scalpelli acie, ductisque inde per carnem putrem iam et cadauerosam, profundioribus in longum latumque, sulcis, tam ex leui ipsius contacti cruris motu, quam ex ipsa quoque aegroti spem inter metumque ancipitis, querula confessione, laetus tandem comperit, nondum omnem partis affectae sensum prorsus intermortuum esse, hincque nihil adhuc desperandum, aut dubitandum, quin elapsum illud in prauum crus, si salutaris vis adhibeatur, integrari, nouaque quasi Vita redire aliquando possit membro isti, pro emortuo quidem omnique vitali sensu vacuo, ab omnibus hucusque, sed frustra, habito.

§. VII. Mox ergo sine mora, salutaria epithemata ex diuersis herbis ac radicibus amaris acribusque, vt Absinthio, Centaureo minore, Carduobenedicto, Scordio, Ruta, Marrubio, Saluia, Alliaria, Gentiana, similibusque putredini fortiter resistentibus medicamentis, vino atque aceto, cum Sale Ammoniaco, potissimum incoctis, postque expressis, parata, indefesso studio, applicat nouus illae nouae quasi vitae haud vanus promissor: quibus per noctes atque dies, sine vlla intermissione, frequentissime frigido cruri praeferuide impositis, id demum per dei gratiam, mirantibus cunctis, effectum fuit, vt partes carnis putridae in foedum iam tabum resolutae, sensim sua sponte, exciderent, atque a sano sinceroque adhuc corpore abscederent. Simul tamen graui animi aegritudine obseruatum fuit, ipsum denudatae Tibiae os nigra olidaque carie iamiam esse peresum, proximeque hinc, nisi sese ipsum a sano adhuc corpore dissociaret, ad maius nempe atrociusque malum, quod iure metuendum esset, prae-

cauendum, immiſſis inſtrumentis, iſti quidem negotio aptis, fore eximendum.

§. VIII. Sed anxia iſta ſolicitudine exſoluit demum ancipitem metu chirurgum mira ipſius Naturae opiferae ſolertia: paucis enim poſt diebus, non expectato minaci ferro, ſua ſponte, excidit os illud Tibiae carioſum, ad quatuor fere pollices transuerſos, quod vtique mirum, longum, quaſi ſingulari arte ſtudioque reſectum aut extractum eſſet. Quod ipſe ſaepius longo poſt tempore, mirabundus vidi et contrectaui. Exinde enim ſemper fere ſecum circumferebat iſte Centurio disiunctam hanc ſui partem oſſeam, ceu manifeſtum perfuncti feliciter letalis periculi, et praeſentiſſimi diuini auxilii documentum, quod ipſe cum gratiſſima et viuaciſſima ſummi accepti beneficii recordatione, toties laetus monſtrabat, quoties id commode ſuppeditata occaſio paſſim tuliſſet.

§. IX. Futuri igitur euentus dubii metuentioribus cunctis praeſentibus, et ipſo praeſertim chirurgo admodum ſolicito, quo tandem euaſurum eſſet ambiguum illud Naturae negotium, in reformanda inſtaurandaque iſta Tibia mutila et veluti dimidiata; accidit demum praeter omnem ſpem et expectationem, vt ſingulari ipſius Naturae ſoſpitatricis beneficio, duriſſimus quidam denſiſſimusque Callus ibidem, per vacua ſpatia ſenſim internaſceretur, qui elapſi iam oſſis carioſi vicem in poſterum commodiſſime expleturus eſſet.

§. X. Ita enim euenit, vt enato vix illo ſalutari callo, tanquam mendaci quodam ipſius oſſis amiſſi ſimulacro, ipſum illud vulnus latiſſime hians, noua mox carne circumueſtitum, pedetentim ſolideſceret, ipſaque illa informis hactenus Tibia priſtinam rurſus formam ita quidem indueret, et ab altera adhuc ſana et integra, hac tantum exigua differentia, diſtaret, vt illa generatim, non nihil exilior, anteriore autem ſui parte, aliquantum planior, latior ac depreſſior animaduerteretur.

§. XI. Ceterum enim vtroque pede iuxta valebat ipſe, vt nihil quidquam infirmitatis, aut doloris, perſentiſceret, quaſi pedis debilitate inualidus; ſed omnia potius munera iſta commode exſequeretur,

quae

quae a ſani hominis pedibus, nulla vnquam labe infectis, vllo modo expectari, aut deſiderari poſſent. Tantus nempe nouus vigor debiles auxerat artus.

§. XII. Hinc complures adhuc etiam viuentes, nobiscum ipſis, ſaepiſſime viderunt non ſine iuſta admiratione, illum ipſum quidem Centurionem ambulantem, currentem, adſcendentem, equitantem, imo ſaltantem, foſſas ipſas latiſſimas rapidiſſime tranſilientem, aliaque plura eiusmodi exercitia ludicra voluntariosque labores, mira prorſus pernicitate, peragentem, qualia vix ab homine pedibus valentiſſimo, vigentique agilitate et corporis dotibus praeſtantiſſimo, ex ipſa aequitate, poſtulari poterant. Sed de his quidem hactenus.

§. XIII. Ceterum autem non deſunt etiam paſſim alibi huiusmodi ſingularia exempla, hanc ipſam noſtram memorabilem Hiſtoriam luculentius illuſtratura et validius confirmatura: ex quibus tria tantum in medium iam adferre lubet, ipſi huic noſtro exemplo hactenus accuratius enarrato, vtique ſimillima et conuenientiſſima, quae ipſa, quam potero, in verba nunc conferam pauciſſima, ne profuſa nimis loquacitas Lectoribus, legendo, iam forte feſſis, moroſum pariat faſtidium.

§. XIV. *Primum* ergo depromtum eſt e THOMAE BARTHOLINI, Viri ſummi, *Actis medicis Hafn. Vol.* III. *Obſ.* I. *pag.* 2. Anno 1670. *Filius ruſtici cuiusdam decennis, exulceratam ſenſit Tibiam, magnisque mox doloribus, Os ipſum Tibiae excidit, et prorupit, a genu, ad pedem extremum, quaſi ſecuri, diſſecto pede, morbido. Tentaui emplaſtro quodam, quo vtor, curationem, deo ſecundante, felicem. Extracta ſunt iſtius emplaſtri beneficio, fragmenta oſſium omnia reſidua, vt digitis euelli poſſent. Nam conſolidato vulnere, ex vno foramine, quod relictum fuerat, oſſicula excluſa. Puer exinde pedibus ſanis inceſſit, Callo, ad manus meae craſſitiem, enato, et vacuum Oſſis Tibiae ſpatium occupante, vixque claudicantem aduertas.* Vbi ipſe BARTHOLINVS ſequens acutum ſcholium ſapienter ſubiungit: *Carie exeſam Tibiam et ſphacelatam, a ſana parte reliqua ſeparari poſſe et excludi, alias vidimus. Natura quippe, in iunioribus praecipue, vegeta, amoliri a ſe conatur, quidquid corpori vel inutile,*

inutile, vel noxium. At callum eius magnitudinis ſuccreſcere potuiſſe, vt Tibiae defectum suppleret, rarioribus exemplis adnumerandum. Sed quid non a Naturae ſollicitudine expectes, quae ſupra expectationem noſtram et fidem, ſaepe exſurgit? Haec ille: Ceterum Tibiae oſſa denigrata et ſphacelo corrupta, ſic ſua ſponte excidiſſe, etiam obſeruauit ipſe HIPPOCRATES *Lib. de Artic. pag.* 835. *Tom.* II. vbi videndus inprimis in *Commentario*, GALENVS, *pag.* 448. *Tom.* XII. *opp.* Conf. et *Oribaſ. de Fractur. pag.* 74. *ſqq.* et *pag.* 113. *ſqq.* in Collectione noua Veterum Chirurgor. NICETAE, per ANTON. COCCHIVM, Florent. Anno 1754.

§. XV. *Alterum* porro huic ſimillimum, deſumtum eſt ex STALPART. *van der* WIEL, *Obſ. Chirurg. rarior. XCVI.* Centur. I. pag. 391. *Praeſtantiſſimus Chirurgus la Marche, retulit mihi, opiferas ſe manus applicuiſſe quatuordecim annorum adoleſcenti, cui diutius caries Tibiae os exediſſet, ita, vt longiore mora, totum os corruptum ſuſtulerit Chirurgus; cuius in locum, ſenſim accreſcens Callus tandem ita ſucceſſerit, vt absque fulcro, adoleſcens ille poſtea inceſſerit.* Vbi in ſubiectis ibidem ſcholiis, varia exempla paria ex diuerſis Auctoribus, praeſertim autem ex CAROLO BATTO, huc maxime ſpectante, peropportune ſimul adducit ipſe STALPARTIVS VAN DER WIEL, quae ibi legantur.

§. XVI. *Tertium* denique, idque nouiſſimum, ex *Actis Edinburgenſibus medicis, Tom. I. No.* 23. *pag.* 238. petitum, nobis ſuppeditat perilluſtris *Lib. Baro van* SWIETEN, *Tom. I. Commentar.* in *Boerhaau. Aphoriſ. pag.* 924. *Puellae ſeptenni oſſis Tibiae tota ſubſtantia abſceſſit, ſic, vt circa genu, oſſis ſani pars relicta aequaret tantum trium digitorum transuerſorum longitudinem; prope malleolos autem, vix dimidium huius longitudinis ſupereſſet. Renato tamen Callo, tanta oſſis iactura reſtituta fuit eo vſque, vt affecto crure currere, ſaltare* etc. *potuerit, absque vllo impedimento.*

§. XVII. His vero non diſſimilia varia exempla alia etiam relata leguntur apud SCVLTETVM, *Armament. Chirurg. Part.* II. *Obſ.* 83. *pag.* 196. *ſqq.* DIEMERBROECKIVM, *Anat. Lib.* IX. *cap.* I. *pag.* 519. quod maxime huc facit, et merito inde repetitum a CLOPTO-

NE

NE HAVERS, *Osteolog. nou. pag.* 150. porro apud LINDANVM, *Medicin. Physiolog. cap.* XVI. *pag.* 874. BONETVM, *Tom.* II. *Med. septent. pag.* 352. ex BARTHOLINO, quem et vid. ex parte, *Hist. anat. rar.* 85. *Cent.* III. *pag.* 171. *sqq.* item BALLONIVM, *Lib.* II. *Epidem.* et *Ephemerid. pag.* 273. BORELL. *Obs.* 18. *Cent.* II. *pag.* 119. aliosque plures, quos singulari industria collectos simul exhibet B. IO. BENIAMIN BOEHMER, clariss. nostri Professoris et Fautoris honoratissimi dignissimus quondam Frater, sed praematuro nimis acerboque fato vtilitati publicae subtractus, in erudita Commentatione *de Ossium Callo*, *Lips.* 1748. *pag.* 17. *sqq.* vbi inprimis notatu sunt dignissima bina illa recentiora exempla, huc potissimum spectantia, quae *pag.* 22. et 24. descripta leguntur. Plures vero eiusmodi mirandas Historias enati per ipsam Naturam, felicissime Calli, post elapsa, aut exemta ossa, praesertim brachii, adnotauit nouissime Celeb. CAIETANVS TACCONVS, in *Dissertat. de nonnullis Cranii ossiumque fracturis, eorumque coniunctione* etc. *Bononiae*, 1751. ne quid iam dicam de CAESARE MAGATO, qui in egregio opere *de rara Medicatione Vulnerum*, *Tom.* I. *Lib.* I. *cap.* 15. *pag.* 80. *sqq.* vt et in altero Tomo, passim, de eiusmodi salutari Callo, loco elapsorum ossium, Naturae beneficio, opportune internato, docte ac perite tractauit.

§. XVIII. Ex quibus cunctis hactenus a nobis strictim breuiterque disputatis, nunc satis euidenter, opinor, patebit, quam *mira* omnino sit *ipsius Naturae solertia in reparandis quidem damnis corpori animato illatis*, quod demonstrandum nempe supra susceperamus, adeo, vt inde omni arte longe sit superior, recte quoque pronunciante veteri illo Comico: ἡ φύσις ἁπάντων τῶν διδαγμάτων κρατεῖ, *Natura superat omne doctrinarum genus.* Eo certius autem ac manifestius exinde concludere licebit, quanto magis mirae virtutis et infinitae potentiae ipse sit supremus iste Naturae Conditor, director ac conseruator, qui per ipsa illa miranda Naturae opera, se quasi ipsis humanis sensibus ingerit, inculcatque, et conspiciendum, imo fere palpandum praebet, si ita quidem cum SENECA et CICERONE, dicere liceat. Adoremus ergo ante omnia, religiosissimo semper animi cultu, istum

 poten-

potentissimum Naturae dominum; deinde obseruemus quoque quam diligentissime, ipsius fidissimae seruae, nimirum Naturae, mirabiles et reconditas vias, easque, quantum per indicata subinde signa, licebit, circumspecte modesteque persequamur, quoniam, recte iudicante SENECA, *summum operae pretium est, Nosse Naturam.* Namque *mala est Medicina, vbi aliquid Naturae perit,* vt pulchre ac sapienter monet PVBL. SYRVS, in *sententiis ethicis, pag.* 16. Non enim Naturae a Medicis est imperandum, sed potius parendum, non obloquendum, sed obsequendum s). Audiamus igitur, si placet, hic immortalem nostrum BOERHAAVIVM, ipsum illum obsequiosum potius Naturae ministrum, quam imperiosum magistrum, in diuina illa Oratione, *de Honore Medici, seruitute,* quae tota quanta huc spectat, ad instar veridici cuiusdam Oraculi, grauissima haec verba, adytis paene digna, profundentem: *Omnis Medici scientia, omnis inquam, doctrina nititur solius Naturae. Hanc sedulo obseruet ille erudientem Magistram; infelix, vbi tumidus se effert, quasi suo ex promtuario nata hic cognitione saperet: Natura hac in parte disciplinae medicae, vnice docet, casta vtens Anatome ministra,* et mox ibidem, nonnullis interiectis: *In sanandis tandem morbis, principatum obtinet Natura, quae vulnera pura cito consolidat, et ossa fracta, si minister Medicus peregrina sustulit, separata in situm naturalem reposuit, atque aptata, quiescentia, et humecta, detinet. Vlcera depurantur solo genito pure, solius Naturae sobole. Quid sanat inflammata? sola Natura febre resoluens, suppurans, aut separans. Natos tumores vitalium humorum circuitu, si sanabiles, discutit, aut digerit. Ars Naturae propositum sequendo, calore, emollitione, et fricatione, adiuuat. Ars vias Naturae calcans, exercitata dextra, situm reddit pristinum disiunctis, et dum caute retinet quieta,*

s) Vt enim Graeci Medici veteres acute, vere et argute passim dicunt, ἰατρὸς φύσεως ἐστὶ οὐραγὸς, οὐκ ἀρχηγὸς, δεσμώτης, οὐ δεσπότης, ὑποτακτικὸς, οὐκ ἐπιτακτικὸς, ὑπασπιστὴς, οὐχ ὑπερασπιστὴς, μιμητὴς, οὐ μωμητὴς, ὑπηρέτης, οὐ κυβερνήτης, βοηθὸς, οὐ πορθητὴς, et similia plura: vnde et ab iisdem, scitissime in eundem sensum, dicitur: ἰατρεία τῆς φύσεως ἐστὶ λατρεία h. e. *Medicinae Virtus ipsius Naturae est Seruitus:* quanquam Latinae Linguae egestas satis facunde et grauiter exprimere vetat hanc ipsam foecundam et vberem paronomasiam graecam.

ta, ceterum deinde Natura ſola perficit; qua deficiente, reponit fruſtra Artifex: fractum ſemel os in cadauere non vnitur, et quae ibi ſequuntur in hunc ſenſum plura, plane aurea et cedro digna: Quibus adde B. WEDELII *Exercitat. Medico-Philolog.* IX. et X. *de Naturae Miniſtro Medico*, et *de Natura Morborum Medica*; *Decad.* V. *pag.* 44. *ſeqq.* vt et ſupra laudatam cel. VALENTINI, de eodem argumento, *Epiſtolam.* item, ſi placet, *poëmat. noſtror. Tom.* II. *pag.* 216. *ſq.* in *Not.* vt et nouiſſime grande noſtrum *poema* contra diram *Variolarum Inſitionem, pag.* 137. in *Not. et pag.* 109. paſſimque alibi in iſto Opere, contra nouos illos temerarios φυσιομάχους, imo et Θεομάχους, non ſine fructu, vt quidem ſperamus, nuperrime publicato.

Haec ergo memori mente ſemper repoſita teneant prudentiores Medici, et ſolertiores chirurgi. Interea, humaniſſime Lector,

Haec ſi pernoſces, parua perfunctus opella,
(Namque aliud ex alio clareſcet) non tibi caeca
Nox iter eripiet, quin vltima Naturaï
Peruideas; ita Res accendent lumina Rebus.



EXCELLENTISSIMI ET EXPERIENTISSIMII

VIRI

CHRISTOPHORI MOLINARII,

AVGVSTALIS AVLAE MEDICI CELEBERRIMI,

ET

DAN. WILHELMI TRILLERI

EPISTOLAE MVTVAE

DE

VERA EXANTHEMAVM MILIARIVM DIFFERENTIA, DIVERSOQVE EORVM EFFECTV ET EVENTV.

ILLMO ET AMPLISSIMO

VIRO,

DAN. WILH. TRILLERO,

MEDICO CELEBERRIMO,

CHRISTOPHRVS MOLINARIVS

BENE AGERE.

Ea eſt TRILLERE doctiſſime, verae ſolidaeque ſcientiae ad quorumcumque hominum mentes percellendas, vis, vt, qui et longe poſiti ſunt, et obſcuri, continere ſe nequeant, quin animi ſui erga illam, ſenſa ratione aliqua patefaciant. Non eſt igitur, vt mireris, ſi luculenta mea de ſingulari Tua doctrina, opinio ex ingenii Tui praeclaris orta monumentis, mortaliumque generi vtiliſſimis ſcriptis confirmata, eo me adduxerit, vt Te Virum laboribus medicam artem illuſtrantibus, impeditum audeam litterulis hiſce interpellare. Nec debes exiſtimare, eſſe hoc vulgaris alicuius officii genus, quo tantum obſeruantiam noſtram Viris bene de Republica meritis ſignificamus. Nam, etſi id iamdiu vehementer optabam, tanta nihilominus non teneor

neor arrogantia, vt religioni mihi non ducam, ſpectatae ſapientiae Profeſſoribus moleſtiam creare.

Quod itaque Te adire non dubitem, efficit libellus *de miliarium exanthematum indole, et Tractatione*, quem in argumentum meae erga Te obſeruantiae, iudicio Tuo ſubiicio; ſiquidem ille tanti ſit, vt mereatur a Te legi.

Equidem fateor diſquiſitionem iſthanc leuem eſſe, ſi cum lucubrationibus, quas ſoles publici iuris facere, comparetur. At quoniam argumentum, ni fallor, eſt grauiſſimum, praeſertim, poſtquam acres ortae hinc inde concertationes reddiderunt Tironum mentes in huiuſce modi morbo tractando, fluctuantes; ſpero, me hanc ab humanitate Tua relaturum gratiam, vt non ſolum opellam oculis vſurpes; ſed etiam mihi candide ſignifices, ſi quid aut experientiae, aut artis praeceptis repugnans in ea offenderis. Intereſt enim Reipublicae quam plurimum, ne, qui profitetur, ſe laturum Ciuibus opem, ſit illis detrimentoſus. Atque eo magis, quod ad ſcribendum non eo animo acceſſi, vt vel famam mihi compararem, vel diſputationibus, quae inter nos feruent, me implicarem, cum, quantum a contentioſis litibus abhorream, ratio ipſa ſcriptionis, qua vſus ſum, ſatis indicat; ſed vt trepidis Tironibus, quod expertus fueram, patefacerem. Eoque ſum animo, vt, ſi monear, me erraſſe, non recuſem, errores meos ſcripto fateri. Neque enim ita ſuperbe de me ſentio, vt putem, in me cadere errorem non poſſe, aut ita contentioſum obfirmatumque animum nactus ſum, vt, quae ſemel pronunciaui, contendam, debere eſſe veriſſima. Quin gloriae mihi ducam, vt in arte faciunda, ſic hac quoque in re, me Diuini ſenis imitatorem profiteri.

Si itaque ſententiam Tuam haud grauaberis mihi aperte prodere, rem facies et ſtudioſorum populo vtiliſſimam, et mihi gratiſſimam, vtpote qui nihil antiquius habeo, ac e Magiſtrorum Oraculis pendere.

Vale! Vindobonae, Pridie Kalend. Ianuarii CIↃIↃCCLXV.

MONITVM D. W. TR.

Hanc ipſam Celeb. MOLINARII *Epiſtolam* ideo hic praemittere viſum fuit, vt ſequens noſtra *Reſponſio* vberior, tanto melius ac facilius intelligeretur. Tributa ceterum illa larga nimis manu, mihi Elogia ita mecum conſideret velim aequus et humanus *Lector*, quaſi non de me ipſo; ſed quouis potius alio, qui iſta meliori iure mereatur, ſcripta ſint: quoniam *rarum*, monente SYMMACHO, *in amante ſolet eſſe iudicium.* Lubentiſſime quidem, candorem meum ac fidem hic ſancte teſtor, cunctas iſtas inuidendas laudes, tanquam ad me nihil plane pertinentes, omiſiſſem: niſi rem altius perpendens, religioni mihi duxiſſem, in alienis quidem Litteris, quidquam meo arbitratu, audacter nimis, immutare. Quam modeſtiam, aut verecundiam, nemo, ſpero, aequitatis amantiorum Lectorum, mihi vitio verterit. *Improbe facit, qui in alieno Libro ingenioſus eſt,* inquit MARTIALIS; addo ego, *qui in alieno Libro, vel alienis Litteris, licentioſus eſt,* et inſcio, forte et inuito, ipſarum Auctore, ſuopte tantum ingenio, propriaque auctoritate, aut inconceſſa libertate, quidquam ex iis demit, aut iisdem addit. Suum potius cuique tribuendum, et integrum intactumque relinquendum.

Hoc vero noſtrum monitum hic ſubiunctum, vix neceſſarium nobis viſum fuiſſet, niſi maligni et inficeti Saeculi noſtri moris ſatis gnari, iure metuiſſemus, vel hoc ipſum factum innocentiſſimum, patere tamen in calumniam forſan poſſe nonnullis aſperis et vitio creatis Cenſoribus, quorum hodie plus eſt fere, *Quam olim muſcarum, cum caletur maxime,* vt PLAVTVS ſerio iocatur.



ILLV-

ILLVSTRI ET EXPERIENTISSIMO
VIRO
CHRISTOPHORO MOLINARIO,
MEDICO AVLAE CAES. CELEBERRIMO,
S. P. D.
DANIEL WILHELM. TRILLERVS.

Accepi nuper humanissimas Tuas literas, vna cum eximio dono literario illis adiecto. Summus hinc Tibi merito ago gratias, pro tam luculento singularis tui in me, vix Tibi cognitum, fauoris documento. Nimis vero benignum de mea ingenii mediocritate tulisti iudicium. Licet enim mihi nunquam per vitam, defuerit promta voluntas, omnes bonas et elegantes artes, praesertim autem nostram salutarem, iuuandi atque ornandi: saepius tamen, quod doleo, ipsa me defecit facultas, ob vagum nempe meum plerumque Vitae genus, multa longinqua itinera, copiosam praxin, aliaque plura impedimenta, etiam priuata atque domestica, ne de publicis iam dicam. Tantum interim, aut tantillum rectius, praestiti, quantum potui, quod omni aequo rerum arbitro, et Tibi inprimis aequissimo, spero, satis certe erit. Quod vero iam potissimum ad ipsum Tuum Libellum elegantissimum attinet; plus semel illum totum perlegi, summa quidem attentione, nec minore profecto voluptate, ac fructu, nihilque, quod bona hic fide sancte Tibi testor, in eo vsquam deprehendi, nisi, quod ipsi sanae rationi, prudenti methodo medendi, solidaeque demum fidaeque experientiae vbique exacte responderet. *In toto nusquam corpore menda fuit!* dicebam tum laudans laetusque, perlecto illo Tuo opusculo venustissimo, nullisque prorsus mendis contaminato. Dum enim praestantissimos in arte nostra duces presse vbique sequeris, nempe SYDENHAMVM, MEADIVM, FREINDIVM, BAGLIVVM, PROSP. ALPINVM, quem ego *dimidiatum* HIPPOCRATEM vocare soleo, sicut olim Caesar TERENTIVM acute appellabat *dimidiatum* MENANDRVM, item HOFFMANNVM denique nostrum, et ipsum praeser-

tim

tim HIPPOCRATEM, quem ego non hominem, ſed *Naturam* potius *loquentem*, vocare conſueui: Inde igitur de recta medendi via aberrare neutiquam potuiſti. Omnibus ergo in poſterum Medicis egregius iſte Tuus Libellus praeclaro erit exemplo, quomodo ſcite, candide et exacte conſcribenda ſit Morborum Hiſtoria. Neque enim, crede mihi ingenue loquenti, ſolis hic Tironibus ſcripſiſti, quae Tua eſt modeſtia, ſed paene nimia; verum ipſis potius in Arte Viris, quin et adeo ſenibus et Veteranis Medicis: Quare Te hic ſimul, quantum equidem poſſum, rogo et obteſtor, ne diutius intra priuatos parietes premas, quod in publica commoda, iam dudum moliris opus practicum, non huic tantum ſaeculo noſtro, ſed et venturis in poſterum ſaeculis plurimum haud dubie profuturum, ceu ex hoc quidem ſpecimine prorſus eximio, luculentiſſime patet; adeo, vt hinc ab hac ipſa pulcherrima parte, ad perfectiſſimam totius Operis pulchritudinem ac praeſtantiam ſecuriſſime veriſſimeque concludere omnino liceat. Tecum igitur in omnibus lubens prudensque hic conſentio, atque hinc vehementer miror, repertos eſſe olim, et quod tanto magis mirum, vel hodie etiam reperiri Medicos, qui purpuram vtramque, ſiue ita dicta exanthemata miliaria, pro meris ſymptomaticis et arte violenta quaſi factis, potius habeant, quam pro criticis. Licet enim experientia ipſa ſaepius edoctus, vltro largiar, calido nimis Regimine, Medicamentisque ſic dictis alexipharmacis et bezoardicis, violenter euocari interdum poſſe contra ipſam Naturam, illam ipſam purpuram aliaque id genus exanthemata vulgo miliaria dicta; inde tamen nequaquam ſequitur, nullum prorſus dari in rerum natura, exanthematum genus criticum, et peculiarem ſui generis aut rectius ſpeciei ſuae morbum, ſicut nempe ſunt ipſae Variolae, Morbilli, et ſimilia exanthemata mere critica, nec vlla arte producenda; ſed hic non loquar de dira illa duraque et temeraria prorſus arte inſerendi corporibus ſanis virulentas Variolas, quam quippe ex iudicio, non praeiudicio, atque ſcientia et conſcientia, non foedo obloquendi ſtudio, ſemper deteſtatus fui, ac deteſtabor merito, cum ill. Tuo HAENIO, cuius argumenta inuicta omnino ſunt, donec viuam. Sed haec quidem hic obiter, data occa-

ſione,

ſione, ex pio nempe zelo, iuſtaque indignatione, pace, vt ſpero, Tua, interiecta ſunto. Ipſi vero perito in Arte ſua Medico ingens protinus vtriusque differentia in oculos manusque ipſas incurret. Melius enim plerumque ſeſe habent aegroti, poſt opportunam exanthematum criticorum eruptionem (excipio tamen hic tantum purpuram ſic dictam albam, frequentiſſime nempe gangraenoſam, hincque letiferam, atque etiam petechias vulgo ſic vocatas,) peius contra, vt plurimum ab exanthematibus ſymptomaticis, arte inepta ſeu peruerſa medendi methodo, extrema quaſi violentia, extortis. Illa nimirum leuant morbum, ipſamque febrim minuunt; haec contra illum plus gravant, et hanc magis augent, quod frequentius olim a me animaduerſum. Patere igitur, vt Tibi, hac quidem opportuna, opinor, occaſione, accuratius referam Hiſtoriam, ante hos quadraginta fere Annos, in aula magni cuiusdam principis, iamiam beati, a me diligenter obſervatam.

Degebat ibi tum Medicus quidam veteranus, vultu triſtis, moribus aſper, aliorum contemtor, ſui amator vnicus et admirator nimius, aſſiduus ſemper furni ſui chemici nunquam frigentis, cuſtos ac cultor, et inde nihil, niſi arcana neſcio quae, chemica, aut portenta Theſſala crepans iactator. Is praeter alias prodigioſas opiniones ſingulares, quas in omnibus paene morbis, fouebat, illi inprimis pernicioſiſſimae inhaerebat haereſi, omnes nimirum febres, quae non intermitterent, originem ſuam potiſſimum ducere ex latente intus purpura, exanthematibusque occultis, quae Natura nempe clanculum parturiret. Vt igitur parturienti ſic Naturae, (Sed deforme ſcilicet monſtrum pariturae,) ceu fida nempe, aut fatua potius, obſtetrix, ſuccurreret; omnes ſuos aegrotos calida, imo feruida, medendi methodo crudeliter tractabat, et paene enecabat, ingerendo nempe, prater continuum Theae potum calidiſſimum, eſſentias alexipharmacas ſpiritusque Bezoardicos et pulueres cordiales dictos, copioſiſſime, omnem liberiorem aerem, etiam feruente Coelo et vrente Sirio, arcendo, et denique miſerrimos illos iniectis multis denſisque ſtragulis paene ſtrangulando. Qua crudeliſſima, per deum immortalem! tortura quum

Rr ſic

ſic vel ex arido pumice aquam, aut ex dura ſilice oleum exprimere potuiſſet; mirum profecto tanto minus erat, ſi vna cum ſudoribus copioſiſſimis, etiam quaedam exanthemata purpurea ſimul tandem erumperent. Quod ſummo cum gaudio animaduertens artifex ille, niſi rectius, carnifex, tanto magis in ſuo iam praeſumto errore grauiſſimo confirmabatur, et hinc pertinacior reddebatur, quaſi nempe prognoſin veriſſimam ſic ſapientiſſime formaſſet. Sed erat hic omnino principii petitio, aut fallacia non cauſſae, vt cauſſa, vt in ſcholis quidem loquuntur. Non enim ille Medicus, aut Medicaſter, a Natura factam accipiebat purpuram; ſed faciebat potius ipſe illam, contra Naturam, calido nempe ſuo, non callido ac prudenti, Regimine. Accidebat igitur aliquando, media quidem aeſtate, vt graſſantibus tum febribus catarrhalibus, aliisque anomalis, ex vario Coeli inconſtantis ingenio, vt fit, ſubito obortis, dum ſcil. dies mox feruidi eſſent, mox rurſus nimboſi, ventoſi ac frigidi, vt quidam ex primariis ſplendidae illius Aulae proceribus, ſtrenuus Venator, ſed et ſtrenuus potator, plethoricus, obeſus corpore ac ventroſus, et ſtaturae paene giganteae, eadem quidem febri ſubito corriperetur. Sine mora ergo, bonus iſte, aut malus meus homo in auxilium ſalutare aduocatur: qui compoſito in quandam philoſophicam quaſi grauitatem vultu illico ſeuere pronunciat, purpuram hic malignam ſubeſſe, quae niſi mox arte ſua a corde preſſo et obſeſſo fortiter euocaretur, ipſum breui aegrum in ſummum vitae diſcrimen haud dubie eſſet praecipitatura. Ille vero Vitae adhuc ſuae perquam cupidus, iuuenis quippe erat et opibus praeterea, honoribusque abundabat, ipſius ſe imperium in omnibus ſubmiſſo obſequio obſeruaturum, et opimam pro praeſtita quidem opera, mercedem proxime ſoluturum, ſanctiſſime ſpondet. Conſueta ergo Methodus illa calidiſſima protinus adhibetur: oppanſis quoque velis feneſtrae ita occluduntur, vt nec aura, nec dies fere ipſe intrare poſſit: potiones feruentiſſimae affatim ingeruntur, vna cum Mixturis Bezoard. atque Tincturis alexipham. ne vnica quidem guttula frigida, etiam cum acerbiſſimis lacrymis, aridiſſime deſiderata, interim, ex rigido nimis tortoris medici imperio, conceſſa: ſtragulae corpori iam nimium aeſtuanti iniectae, ſiue lateres, duplicantur,

tur, atque ſic miſerrimus ille aeger, vel vt in ignito Perilli tauro, probe, aut improbe, torretur et excoquitur, ita, vt ſudoribus foetidis tenacibusque totus quantus, vndique diffflueret. Inexorabilis vero noſter afflictor, per duos tresue dies ac noctes, aegrotum ſic crudeliter excrutiatum, diligenter ſaepius, contracta fronte, vndique inſpicit, num alicubi, fauſta illa Helenae quaſi ſidera lucida appareant, ſperata nempe iſta et ſumma tandem vi extorta purpurea exanthemata? aliquando demum impii ſui voti compos, laetus quaſi ouansque, videt in corpore vaſto, raras quasdam hinc inde, maculas rubellas, circa pectus, coxendices, et in tergo praeſertim, exortas. Sed haud diuturnum profecto iſtud fuit gaudium; aeger enim tum ſubito e lecto proſiliens, in tantum quidem furorem abripiebatur, vt vix a quatuor viris robuſtiſſimis contineri, atque in lectum derelictum reduci poſſet. Ceſſante vero nonnihil furore illo, animo ſtatim linquebatur, atque omnibus viribus fractus, protinus animam tot malis feſſam redditurus videbatur. Pergebat interim pertinax ille Medicus hac ſua methodo peſtifera, ignem nempe igne eſſe hic extinguendum, in vaniſſimam ſcilicet et abſurdiſſimam opinionem illam inductus, dira illa ſymptomata vnice eſſe tribuenda intus adhuc latenti, nec ſatis copioſe expulſae purpurae. Sed quum interea, ſingulis fere momentis, omnia in peius ruerent, et aeger etiam conuulſionibus ſubinde tentaretur; iubente praeſertim quodam ſummo aulae Miniſtro, agnato ipſius aegroti proximo, ego quoque, tum Medicus admodum iuuenis, ringente licet fruſtra et multum indignante Medico illo Veterano, in Conſilii ſocietatem aduocor. Exponenti ergo illi longe lateque, magna cum grauitate, mihi ſuam medendi methodum, et quod in ſola purpura proxime proditura, omnis adhuc ſalus ſit repoſita, ſimul confidenter nimis aſſeueranti, ego blande ſubridens, modeſte regerebam, mihi quidem iſtam purpuram non tam videri criticam, quam potius ſymptomaticam, ſola vi extortam, atque inde, mea certe opinione, plus exitii, quam auxilii, ſperandum; niſi calida nimis medendi ratio in hoc quidem corpore vaſto, ſanguinis, ſucci et vini quoque, pleno, in mitiorem, et aliquanto frigidiorem protinus mutetur. Ille vero elato me ſupercilio ſeuere increpans, et

canae fuae iam barbae nimium confidens, me propter iuuentutem, eiusmodi febrium exanthematicarum ac miliarium nondum fatis gnarum effe, arroganter pronunciabat. Ego autem ad haec nihil contra dicens, prudenti filentio, generofe contemnebam frigida haec calidi nimium fenis dicteria atque fcommata. Inde ergo re infecta, et lite quafi non diremta, tum a nobis difceffum. Aegroti interim Agnatus ille, de quo modo dixi, aliique nonnulli, ex aulicis, qui noftrae confultationi interfuerant, meas tum propofitas rationes non omni quidem ratione carere, mitius, ac ille Medicus, vt ita dicam, caldarius, exiftimabant. Neque difplicebat ipfi aegroto Methodus noftra contraria, fcilicet refrigeratoria et fubacida, quippe qui infernalibus quafi flammis fatis diu, hucusque vftulatus, ad inftar opulenti qvondam heluonis illius, iam dudum guttulam tantum frigidi potus, anxie quidem, fed fruftra omnino, defiderauerat. Quid plura? ad inftar fere ANTONII illius MVSAE, abfit vana hic ceterum ineptae comparationis iactantia! Methodum protinus immutaui, vela feneftris detraxi, ipfas feneftras blando fudoque coelo, aliquantulum, per vices, aperiri iuffi, potiones egelidas, nitrofas, acidasque, maximo aegroti folatio, liberalius conceffi, aluo iufto diutius claufae clyfmata quoque refrigerantia iniicienda praecepi; grauiora pariter ftragula remoui, ipfique aegroto, vt per breuiora interualla, aliquoties, per diem, extra inuifum tantopere lectum, in commoda fella confideret, lubens permifi: Vnde Vires mirum in modum fenfim refocillatae funt, fomnus et appetitus ciborum cum voluptate, redierunt; purpura illa imaginaria mox fua fponte iterum euanuit, et febris denique ipfa, adhibitis opportune idoneis Remediis, mitefcere paullatim coepit, tandemque penitus fopita, conquieuit, adeo, vt poftea, per complures adhuc annos, faluus incolumisque, viueret et biberet quoque, Vir ifte generofus, ad inftar iam femiufti fere titionis, ex mediis quafi faeuis flammis, a me, per Dei gratiam et auxilium, ereptus.

Similes ergo triftes hiftoriae quamplurimae paffim occurrunt, et nullum credo facile repertum iri Medicum practicum, praefertim annofum, qui non faepius, aut certe aliquoties per vitam, idem obfer-

varit.

varit. Sed ſufficiat iam hanc ipſam in rem, potiſſimum laudaſſe hic BÜCHNERVM, TRALLES, ipſum HOFFMANNVM noſtrum, atqque STAHLIVM, praecipue autem ipſum veſtrum perilluſtrem SWIETENIVM, *Tom.* II. *Comment. p.* 403. ſeqq. vt et praeſtantiſſimum HAENIVN, qui nempe, in opere ſuo egregio et bonae frugis ſapientiaeque medicae pleniſſimo, *de Ratione Medendi*, inſcripto, diverſis locis, ceu ipſe noſti, plurima iſtius quidem rei exempla et argumenta prorſus ſingularia, in medum attulit. Quin immo, nec ipſum noſtrum HIPPOCRATEM iam olim latuerunt plane eiusmodi exanthemata, ſymptomatica, ex immodicis ſudoribus quidem prognata, quae ſcilicet *Aph.* 21. *Sect.* III. ab ipſo ſcite vocantur ἵδρωα, ſiue et ἰδρῶα, quae hinc recte GALENVS in *Comment.* cxplicat per τὰ κατ' ἐπιφάνειαν, ἐξανθήματα χολώδη, ſeu per *Exanthemata bilioſa, in cute ſumma per nimios ſudores et calores, ſuſcitata:* Male vero et obſcure CELSVS II, 1. per id, *quidquid ſudore hominem reſoluit:* ſed melius contra PLINIVS, *Lib.* XXIII, *c.* 4. per *ſudorum papulas.* Perperam iterum reddidit GORRAEVS, per *puſtulas genitalium partium ſummam cutem exulcerantes*, ſed felicius interpretatus iſta ἵδρωα eſt FOESIVS et DIETERICVS, GALENVM qui potiſſimum tutius ſequuti; omnium optime vero vertebat optimus HIPP. interpres, IO. HEVRNIVS, per *puſtulas miliarias.* Sed et non male prorſus IVL. POLLVX, in *Onomaſt.* per ἐξανθήματα θέρινά, quanquam ipſo, melius, THEOPHRASTVS ERES. in eximio, *de Sudoribus*, Libello, per τὰ ἕλκη σμικρὰ καὶ τὰ φύματα, item ἐπάρσεις ἰονθώδεις, quod inprimis notandum, vbi et docte ſimul et diſerte docet, quomodo eiusmodi exanthemata parua miliaria per nimios corporis calores atque ſudores, generentur, atque per latius tum aperta cutis ſpiracula, verſus externam ſuperficiem, vehementiore ſanguinis aeſtuantis motu, propellantur. Verum haec obiter, data hic commoda occaſione, commodiore vero, proxime accuratius et vberius; ſolius tantum HIPPOCRATIS noſtri in gratiam, cui, vti vel ex hoc ipſo exemplo, denuo luculentius pateſcit, in pathologicis, ſemioticis et prognoſticis, vno verbo, in ipſa Medicina practica ſolida et rationali, nihil quidquam fere, iam ſua aetate,

 igno-

ignotum aut inexploratum fuisse, confidenter asseuerare haud vereor, cum ipso GALENO, ARETAEO, CELSO, CAEL. AVREL. item et PROSP. ALPINO, BALLONIO, FIENO, LOMMIO, SENNERTO nostro, et, vt innumeros alios iam studio praeteream, cum ipso BOERHAAVIO, atque cum ipsius anima, siue genio, vt sic loquar, SWIETENIO inquam vestro, quem propitia fata quam diutissime adhuc seruent in summum Artis nostrae decus et incrementum, ac publica humani generis commoda! Interim tamen, vt ad superiora iam reuertar, haec ipsa symptomatica purpura, aut vi extorta, non tollit plane veram illam purpuram criticam, hoc est, peculiarem, vt supra monui, sui generis et naturae propriae morbum. Quando nimirum saepius olim obseruaui, etiam ignorato adhuc morbo, quod nempe purpurea illa exanthemata essent expectanda, atque hinc Methodo mere antiphlogistica adhibita; statis tamen diebus criticis, effloruisse ipsam purpuram. Vnde nunc liquido, opinor, patet, symptomaticam quidem oriri saepius posse, ab inepta et inconuenienti Medendi methodo, ac regimine nimis calido; ast criticam et, vt ita loqui liceat, originariam, neque methodo refrigeratoria impediri, neque calida, ante tempus statum, facile, vt equidem puto, euocari. Praesertim, quum saepius iam compertum sit, exanthemata illa miliaria mere epidemica fuisse, et ad instar variolarum ac Morbillorum, certis tantum temporibus, multas magnasque regiones subito infestasse, ipsoque pernici suo ac perniciali contagio infecisse securos tum mortales. Sicut nempe Annus inprimis 1729. item ex parte, sequens 31 et praecipue 32 eiusmodi febrium exanthematicarum epidem. feracissimus fuit: quo scilicet funesto tempore, istae intra perbreue tantum quinque mensium spatium, non solum vniuersam Germaniam; sed et adeo, per vniuersam paene Europam, ingenti vbique cum hominum strage, rapidissimo veluti cursu, peruagabantur: In quibus purpura vtriusque generis, aut bene, aut male, erumpens, pro diuersa cuiusuis corporis aegri natura, aetate, conditione, sexuque, nunc morbum finiebat, nunc vitam; neque enim tum vel ipsi criticae purpurae satis tuto semper erat fidendum, nisi praesentibus simul ceteris

teris ſignis ſalutaribus: quod ipſi tum ſaepius vidimus, eodem quoque morbo, in ipſo itinere, ſubito tentati. De quibus Febribus catarrhalibus ac miliaribus, egregie prorſus et accuratiſſime peculiari Libello, vti noſti, tractauit magnae meritaeque adhuc vel poſt ipſa praematura fata, famae Medicus Sileſ. ſcil. HAHNIVS, meus olim, ante hos quinquaginta annos, *Lipſiae*, ſuauiſſimus ſtudiorum ſocius, et amicus coniunctiſſimus; ſed nunc eheu! deſideratiſſimus: vbi plura iſtius rei, praeſertim autem, circa fallacem criſin, enarrantur exempla ſingularia et notatu digniſſima. Quod ſi ergo Exanthemata illa miliaria ſint epidemica, vt reuera ſaepius ſunt; ſequitur tum exinde validiſſime, nulla quidem arte humana, nulloue errore humano, eadem vnquam produci poſſe: quum nempe ſolum originem cauſſamque ſuam debeant ſingulari nobisque plane abſtruſae coeli nocentis conſtitutioni, aut aeris vitiati intemperiei, quam ipſe θεῖος HIPPOCRATES τὸ θεῖον, ceu notum, vocat, pie non minus, quam modeſte ac prudenter, de quo alibi, iam ſaepius, plura dixi. Quod maximum, et inuictiſſimum prorſus, vt mihi certe videtur, argumentum, ſi paullo attentius conſideraſſent nonnulli clariſſimi noſtrae praeſertim aetatis, Medici; haud tam generatim, credo, affirmaſſent, iſta quidem exanthemata, paene omnia, mere eſſe factitia, et vi quaſi extorta; non vero ab ipſa natura coelique conſtitutione vitiata, producta, hincque neutiquam pro morbo ſui generis peculiari haberi iure poſſe. Certe enim in iſtis quidem febribus exanthematicis epidemicis, de quibus modo dixi, ſat ſcio, ipſam methodum medendi purpuram haud intempeſtiue, aut violenter prouocaſſe. Illa enim, quam tum duce ipſa ratione et experientia, adhibebant omnes paene Medici prudentiores, mere erat antiphlogiſtica et temperatiſſima: quum ſcil. iſti aegroti, praeſertim pauperes, qui vel ſuopte ingenio, vel alieno ſuaſu, calidis nimium remediis, v. g. eſſentiis alexipharmacis, theriacalibus, crocatis, ſuccinatis, et id genus aliis, frequentius tum vſi erant, omnes male habebant, et vt plurimum delirabant: quidam etiam ex illis, inprimis autem ſenes et foeminae debiles, ſtertentes, atque auram fruſtra captantes, ſubito moriebantur. Atque ego

ego ipſe, qui plures tum in Aula, tractandos habebam eiusmodi aegrotos febri iſta miliari epidemica correptos, ſedulo ſerioque ſemper caui, ne calidum nimis regimen eſſet, ſed moderatiſſimum potius et humaniſſimum, adeo, vt nec ratione ſtragulorum, nec ipſius conclauis, aut Camini, multo autem minus, ipſorum medicamentorum, aut ciborum denique ac potionum, quidquam alicubi temere peccaretur, aut ignis igni periculoſe adiiceretur. Ad haec ſingularis quoque cura munditiei in vniuerſum, fuit vbique habita; neque vnus lectus vnquam cepit binos aegrotos; nec vnum conclaue, etſi ſatis ſpatioſum, vltra duos: multi quoque, ex honeſtioribus praeſertim, et nobilioribus, ſeparatim cubabant: Et tamen omnibus hisce perquam ſolicitis cautionibus ac prouiſionibus non obſtantibus, prodibant tum cum copioſis et anxiis plerumque ſudoribus, ipſa illa exanthemata miliaria, alba, aut rubra, aut vtraque ſimul, nunc ſerius, nunc ocyus, nunc quidem cum leuamine, aut ſolutione ipſius morbi; nunc autem, cum malorum augmento et reſolutione virium, immo nonnunquam etiam ipſius Vitae. Non enim ſemper, vt iam ſupra adnotaui, iſta quidem eruptio purpurae critica, inprimis iuſto ſerius facta, certam ſalutis viam monſtrabat; ſcilicet ipſis humoribus iam nimium intus corruptis et putridis, partibusque nobilioribus ab iſta tetra materia miliari altius obſeſſis, atque gangraena edaci foede correptis, viribusque demum ipſis nimis iam fractis et exhauſtis; vt vel ſingulare illud exemplum *Sileni*, cui die demum octauo, eiusmodi exanthemata parua rubra, critica, vt videbantur, erumpebant, apud ipſum HIPPOCRATEM noſtrum, liquidius teſtatur et euidentius confirmat, *Lib.* I. *Epidem. Sect.* III. *p.* 674. vbi legi omnino meretur GALENVS, in *Comment.* III. *pag.* 102. *Tom.* IX. *Opp.* vt et VALLESIVS, in ſuo egregio ad eundem Librum, *Commentario, pag.* 67. item BALLONIVS, *Lib.* I. *Epid. p.* 66. ſeqq. add. HIPP. *de Loc. in Hom. p.* 389. Quo et cum primis pertinent illae φλύκταιναι περὶ τὴν ἐπιφάνειαν ὅλην τοῦ σώματος, τοῖς πυρετοῖς ἐπιγενόμεναι, *puſtulae per totam corporis ſuperficiem, febribus ſuperuenientes*, apud DIODOR. SIC. *Lib.* XIV. *p.* 697. Atque eo ipſo ancipiti aegrotorum ſtatu, perquam ſane periculoſum erat,

ipſos

ipſos propius accedere, aut tractare: viroſum enim ipſorum contagium celerrime proſerpebat ad ipſos ſanos, illis propiore loco aſſidentes, homines quoque fortes, validos atque intrepidos, militares etiam, animae ingentis prodigos, laetosque venturi lethi contemtores. Tum ſane nemo fere immunis erat a contagionis periculo, adeo, vt inde aegrotorum numerus quotidie fere magis increſceret. Ex his igitur omnibus, nunc luculentiſſime, opinor, vndique patebit, vt aliquoties ſtudio monui, Febres illas miliares, aut purpureas, eſſe omnino peculiarem prorſus ſui generis, ſuaeque naturae et indolis, morbum, ſicut nempe ipſas variolas, aut morbillos; quem ipſa parturit ex ocultis nobis cauſſis, Natura; Medici vero ipſi nec promouere poſſunt, nec prohibere: ſicut neutrum pariter in variolis ipſis, aut volunt, aut valent. Efficiunt quidem interdum, quod iam ſaepius vltro conceſſi, et luculente, ni fallor, exemplo, illuſtraui, nolentes licet ſaepius, et imprudenter, calido ſuo nimis regimine, eiusmodi exanthemata, veris et naturalibus illis nonnihil analoga et, vt ita dicam, quaſi mimica; ſed haec ipſa non ſunt critica, aut ab ipſo morbo producta; ſed mere potius ſymptomatica ac ſymbiaſtica, ſeu peregrina, aliunde inuecta, ex accidenti fortuito nata, atque inprimis violenter extorta. Verum haec nunc ſufficiant! iuſto diutius enim longiusque iam euagatus, nolo plura, quae quidem in promtu ſunt, in medium adferre; praeſertim, quum dudum hoc ipſum arduum de febribus miliaribus, argumentum doctius longe meliusque tractauerint HAMILTON, HOFFMANNVS noſter, atque ALLIONIVS: Tu vero poſt hos omnes, tempore quidem poſtremus, ſed ordine et praeſtantia, merito primus, in elegantiſſima Tua et bonae frugis pleniſſima Diſquiſitione, *de Miliarium Exanthematum Indole et Tractatione;* qui ſane Libellus, mole quidem exiguus, ſed ipſius tamen argumenti dignitate et vtilitate, vtique magnus, per longius aeuum, quod voueo, imo fere ſpondeo, viuet, et ſecure vitabit Libitinam. Verum ohe! iam ſatis eſt, imo plus ſatis! neſcio enim, qui factum fuerit, vt, quum exiguus tantum vrceus a me primum inſtitui coeperit, nunc tamen currente rota ſiue calamo, ventroſa adeo amphora exierit. Sed noſti, Vir ill.

ſenes plerumque eſſe garrulos; ideo pro Tua ſingulari humanitate, tanto facilius lubentiusque, ſpero, ignoſces tinnulae meae et diffuſae nimis loquacitati. Vale igitur praeſtantiſſime MOLINARI, qui, vt poeta ait, *nihil moliris inepte*, viueque quam diutiſſime in publicam ſalutem, vna cum illuſtri Tuo SWIETENIO, et Celeberrimo HAENIO, Viris arte et facundia plane inſignibus, quos impenſe veneror et colo; me vero, iam per Dei ſingularem gratiam, Septuagenarium ſenem, quousque per feſtinantia eheu! fata, adhuc forſan licebit, amare, quaeſo, perge. Scribebam raptim, inter plura negotia, Wittebergae, d. x. Febr. Ann. CIϽIϽCCLXV. ipſo die Natali meo LXX. feliciter exacto.

Adieci hic, pace quidem, vt ſpero, Tua, opuſcula quaedam academica, leuia quidem, ingenue fateor, ea, et ſubito potius feſtinanterque effuſſa; quam cum cura et otio elaborata. Ipſa quoque illa Diſſertatio, *de mortifero Violarum odore*, inter circumſtrepentia violenti Martis arma, veluti, illa PROTOGENIS tabula, *ſub ſtricto gladio*, trepidanter, et moeſto cum corde, vtcunque fuit compoſita. Quare, pro Tuo in me amore et humanitate, facilem ſpero, veniam dabis mendis hinc inde forſan occurrentibus. Leue, fateor, imo leuiſſimum eſt ἀντίδωρον, pro egregio plane munere, atque reuera permutatio quaedam Glauco - Diomedea, ſcil. χάλκεα χρυσείων, vilia enim arma aerea a me nunc accipis, pro aureis Tuis, a Te mihi benigne donatis, pro quibus iterum ſummas ago gratias.

Valde equidem miror, (quod mihi interponere liceat, non, vt a Te exquiram, quid Tibi de acerrima iſta lite videatur; ſed vt candide potius aperiam, quid mihi), ipſa dira Venena hodie a nonnullis, in tanta quidem Veneratione eſſe, vt et ipſis praeſtantiſſimis ac ſecuriſſimis Medicamentis hucusque cognitis, et diuturno per tot ſaecula, vſu probatis confidenter nimis praeferantur. Quum tamen ſaepius magnae de illis expectationi laetior defuerit euentus, ſplendidaque de iisdem, elogia incaſſum plane fuerint profuſa. *Cicutae* certe, in coelos fere hodie euectae, fidem dubiam, imo ſubleſtam prorſus nuper reddidit Cel. Helmſtad. Medicus, LANGIVS, multis funeſtis exem-

plis,

plis, experimentis infauſtis, et argumentis validis, opinor, ſolidisque in medium allatis; quod et pari argumentorum pondere praeſtitit alius, vti noſti, Vir celeb. et praeſertim nouiſſime Cl. HIRSCHELIVS, in *Obſeruat. de hodiernis Remediis Venenatis*, nempe *Mercurio ſublimato*, et *Cicuta*, quam quippe interius adhibitam ſemper nocuiſſe, nunquam vero profuiſſe, multis argumentis et experimentis perquam luculentis, egregie ſolideque docet. Quia et nobiſmet ipſis ſimilia quoque exempla perquam triſtia a fide dignis Viris relata ſunt: quae tamen certis de cauſſis, iam premere praeſtat; quam promere; quum paene pro capitali crimine habeatur, in ſacram illam *Cicutam*, profano veluti ore, quidquam paullo liberius dixiſſe. Τὸ ἀληϑὲς γὰρ ἀηδὲς, καὶ τὸ πινυτὸν μισητὸν, qui ergo *Cicutam* damnat, fere ad *Cocytum* a nonnullis damnatur. Cum diro autem *Colchico*, cuius miras laudes nimia fiducia traditas meras eſſe fabulas et fallacias, multis allatis exemplis, notatu dignis, demonſtrare ſtuduit Cl. CAROL. KRATOCHVILL, in Diſſertat. Chymico-Medica, *de Colchico*, nuper in vicinia aliquot experimenta inſtituta ſunt, quae nonſolum plane non ſucceſſerunt; ſed et inſuper male quoque ceſſerunt. Ego hinc grandaeuus iam ſenex factus, miror vehementer ac valde doleo, inventis iam frugibus, veſci nonnullos glandibus adhuc malle, atque intuta infidaque Venena, praeter vllam neceſſitatem, praeferre tutis fidisque remediis, et pluris denique aeſtimare deleteria, quam alexeteria. *Ceu vero Remedia deſint, vt ſcelera contrectent Medici: Sed iſta praetexunt noxio inſtrumento; tantumque impudentiae eſt, vt Venenum Artis eſſe perſuadeant. Quis autem quaeſo prudentior Veneficia innocentiora effecit, quam ipſa Remedia?* Ita merito quaero et queror cum PLINIO. Ego autem iam ſub ipſum fere Vitae meae finem, ſero nimis, nunquam incipiam ambigua experimenta quaſi per mortes, facere, et dira venena ſub ancipiti funeſti euentus metu, in vſum, aut rectius, abuſum, temere vocare: multo minus vero tetrum variolarum virus ſanis Venis, inaudita proteruia, infundere morbumque certum periculoſum, data opera, deteſtabili arte, ideo facere, ne forſan aliquando ſerius, morbus adhuc incertus, imo forte nunquam venturus, ab ipſa natura ſu-

scitetur; quod, mea certe opinione, nihil aliud est, quam *daemonia expellere per ipsum Beelzebub*, et remedium adhibere ipso malo deterius ac damnosius. Contra quod insanabile fere huius aeui cacoethes ipse, proxime, deo iuuante, iustae molis, iustique, ni fallor, iudicii et solidae confutationis Tractatum publicabo, iam ante hos sex fere annos, prelo paratum; sed ex caussis quibusdam politicis, hucusque intra priuata scrinia asseruatum.

Sed haec obiter, pace Tua, ex ingenuo meo et ingenerato mihi candore.

Quae circa generalem nimis ac promiscuum Cantharidum vsum, contra Cel. FREIND. monuisti, iusta omnino sunt, solida, Teque ipso digna. Noxium quoque illarum vsum ipse saepius obseruaui, vbi scil. spasmi ac conuulsiones, aut iam aderant, aut proxime imminebant. In lenta contra, aut nimis retardata ab imbecilli natura, Variolarum eruptione, vel ipsis conuulsionibus iam praesentibus, optimo saepe cum successu, easdem in suris, adhibui. Licet enim tum, nonnihil intenderentur per istas, ipsi spasmi; tamen paullo post, penitus remiserunt; prodeuntibus mox copiose Variolis; Natura scil. ipsa hoc externo Cantharidum stimulo, sic opportune adiuta, et ab ipso praegraui variolosae materiae onere, quo ipsa oppressa iacebat, viribusque ad expellendum virus actius impactum, deserta, ita tandem feliciter liberata. Sed maxima vtique in his circumspectione et acuto inprimis periti Medici iudicio opus est, ne vbique, et in omnibus fere sine discrimine, morbis, v. g. Epilepsia, Vertigine, Ischuria, Melancholia, artuum tremore, Febribus comatosis, affectibus pectoris conuulsiuis ac inflammatoriis, Vomitu et diarrhoea, Lue Venerea, capitis vulneribus, pleuritide, aliisque similibus affectibus, Vesicantia, minus tempestiue, adhibeantur: Qua de re varia luctuosa exempla a se ipso frequentius obseruata, diligenter adnotauit praestantissimus Anatomicus, ANTONIVS PACCHIONVS, in *Epistolis Physico-Anatomicis*, *pag.* 207. *sq.* sub Titulo: *Vesicantium damna, in multis Morbis, prout constantissime obseruauit Auctor in Xenodochio St. Mariae Consolationis, nuncupatae.* Licet in contraria opinione hic versatos esse videam Viros

cete-

cetera clarissimos, DOMIN. TERILLVM, laudatum FREINDIVM, et inprimis GVIL. CLINCH, in adiecta RVFI EPHESII opusculis, Dissertatione, *de vsu Vesicantium idoneo in morbis curandis*, ne de aliis iam Anglis dicam; apud quos quippe Vesicantia ipsa frequentissimo potissimum in vsu habentur. Sed et hic, vel maxime, sit modus in rebus, et diligentissime semper obseruetur acutissimum illud poetae graeci effatum:

Τὸ μηδὲν γὰρ ἄγαν ἄγαν με τέρπει.

Hinc studio nolo nunc hic ea repetere, quae cum in Libello *de pleuritide*, tum nuper admodum, alibi, in Opere nempe pharmaceutico, *de cauto Cantharidum vsu*, iam a me monita sunt: praesertim, quum iam mihi, sed forsan nimis nunc sero, religioni omnino ducam, pretiosa Tua tempora publicae hominum saluti vnice dicata, diutius morari, atque importuna mea loquacitate, tacere fere nescia, oculos Tuos auresque legendo audiendoque iam dudum fessas, vlterius obtundere. Vale ergo iterum Vir doctissime et simul humanissime, Tuique TRILLERI nunquam quaeso, obliuiscere, qui ipse vicissim, per exiguum illud, quod ipsi forte de Vita, maximam quidem partem, iam elapsa, adhuc restabit, spatium, nunquam, crede mihi, obliuiscetur sui MOLINARII. Vnum adhuc sub finem, Te rogo, vt scilicet mihi proxime, vel binis tantum Verbis, haud grauatim significare velis, an has ipsas meas literas recte acceperis? nolim enim illas, tanquam incassum scriptas, perire; quoniam ipsum earum autographum ad Te misi; quum moris mei non sit, de illis vllum mihi seruare apographum: sed velim potius, Tibi primum innotescere, deinde et forsan aliis; fortasse enim, nisi vehementer fallar, nonnihil conferent, ad litem istam, in schola Vestra, per orbem celeberrima, haud ita pridem, aliquanto animosius, ac ego quidem Vellem, cum aliis, pacis amantioribus, agitatam, placide dirimendam, pacemque ipsam postliminio quasi, reducendam, aut certe ad placabiles quasdam inducias sensim faciendas: Praesertim, quum vere ac seuere pronunciante TACITO prudentissimo, *collegae inter se discordes, bonum publicum priuatis simultatibus vbique impedire soleant*: Quae vero praua admodum

 consue-

confuetudo, integrae famae, bonis moribus litterisque et publicis denique commodis plurimum nocitura, praecipue in ipfis Academiis, vbi illa interdum iufto liberius ac pertinacius regnare, imo faevire, folet, fummopere vitanda eft atque vetanda. Deus ipfe, dux et auctor omnis pacis haec quidem pia mea ac fincera Vota habeat! Sed nunc manum tandem de Tabula!

EXERCITATIO
PATHOLOGICO-PHILOLOGICA,
DE
FEBRE MILIARI, POTISSIMVM FOEMINARVM, PRISCIS MEDICIS GRAECIS HAVD INCOGNITA
AD
QVAEDAM HIPPOCRATIS LOCA ILLVSTRANDA.

Febres illas exanthematicas notiffimas, vulgo quidem *purpuratas*, aut *miliares* dictas, molliori praefertim ac venuftiori fexui admodum familiares, faepius etiam fatales, in nouorum et antea in noftris certe oris, incognitorum morborum claffem, relatas fuiffe; nemo fere ex Medicis, opinor, hodie ignorat, perlectis inprimis illorum praeftantiffimorum Medicorum, WELSCHII nempe HOFFMANNI atque SALZMANNI a) fcriptis, in quibus earum Originem, progreffum atque veluti vagam per gentes, migrationem, accuratius perfequuti fuerunt. Dolendum vero fimul eft, ex Lipfienfi praefertim vrbe agroque, ceu fatali equo Troiano, Anno fuperioris faeculi, 1652. primum fubito prodiiffe feralem illam tot venuftiffimis foeminis luem, adeo,

a) In *Collect. Hallerian.* Differt. Med. pract. Tom. V. conf. cl. MOLINARII Difquifit. *de Exanthemat. Miliaribus*, pag. 14. et pag. 18. et WELSCH. *Curat. Med.* pag. 14. et Differtat. II. de *Aegogrcpil.* pag. 58.

adeo, vt inde quaſi κατ' ἐξοχὴν *Febris*, ſeu *Morbus Lipſienſis* vocaretur: qua tamen ancipiti admodum fama, lubentiſſime, credo, cariturum eſſet celeberrimum illud per orbem Apollinis iuxta Mercuriique Emporium. Sed quum mille alia bona ex illo, foecunda veluti foetura, iam olim emanarint, et in hunc vſque diem, in publica commoda, effundantur; tanto facilius nunc, ſpero, tolerabit leuiorem illam maculam, malam quoque illam febrem miliarem, ceu infelix lolium, inter laetiora ſata, ex ſeſe quondam originem quaſi duxiſſe. Licet enim haud prorſus negauerim, eam ipſam forte tum primum ſaeuas ſuas nocendi vires acrius frequentiusque ibi exſeruiſſe; mihi tamen, quod pace ſecus ſentientium, monitum hic ſit, generatim minus veriſimile videtur, pro incognito prorſus Veteribus nouoque plane morbo habendam eſſe iſtam quidem febrim miliariam. In veterum enim Medicorum Graecorum lectione aliquantulum verſatus, quod ſine iactantia dictum ſit, ſubinde haud obſcura, vt mihi quidem videtur, deprehendi paſſim veſtigia, iam dudum ipſis cognitam, perſpectamque, atque deſcriptam fuiſſe huius ipſius febris purpuratae ſeu *cenchrodis*, aut *miliariae*, naturam, indolem, originem, effectuſeuentuque ipſius ſimul non omiſſo. Sed inſtar omnium hic haud dubie erit ſummus noſter HIPPOCRATES ipſe, qui ipſum hunc Morbum Nou-antiquum, vt ita dicam, non euaneſcentibus veluti lineis obiter tantum adumbrauit; ſed vivis et ſpirantibus potius coloribus ita perſpicue depinxit, b):

Ἐγένοντο καὶ ἐν τοῖσι θερινοῖσι πυρετοῖσι περὶ ἑβδόμην, καὶ ὀγδόην, καὶ ἐννάτην, τρηχίσματα ἐν τῷ χρῶτι κεγχρώδεα, τοῖσιν ὑπὸ κωνώπων γινομένοισι μάλιστα ἴκελα ἀναδήγμασιν, ἐ πάνυ κνησμώδεα· ταῦτα διετέλει μέχρι κρίσιος. Ἄρσενι δὲ ἐδενὶ εἶδον τοιαῦτα ἐξανθήματα· γυνὴ δὲ ἐδεμία ἀπέθανεν, ᾗ ταῦτα ἐγένετο· βαρυήκοοι δὲ ἦσαν καὶ κωματώδεες. κ. τ. λ.

Hoc

b) Lib. II. *de Morbis Epidem.* Sect. III. Conf. et L. VII. *Epidem.* pag. 872. pag. 697. Tom. I. opp. per LINDEN.

Hoc est Latine:

Fiebant autem in Febribus aestiuis, circa septimam, et octauam, et nonam diem, asperitudines in cute miliares, culicum morsibus maxime similes, non valde pruriginosae. Hae perseuerabant vsque ad iudicationem. In nullo vero Masculo talia vidi exanthemata. Mulier autem nulla mortua est, cui haec fiebant. Erant tamen hae foeminae auditu graui et soporatae

Ecquis vero rerum medicarum vel leuiter tantum gnarus, his ipsis etiam obiter perlectis, statim non intelligat, febrem illam exanthematicam miliariam, foeminis praesertim familiarem, hic quidem accuratius esse delineatam et liquidius oculis ipsis expositam? Quod et acute iam perspexerunt, atque egregie docuerunt tres illi HIPPOCRATIS nostri Interpretes primarii et praestantissimi, VALLESIVS, inquam, c) FOESIVS, d) et PROSPER MARTIANVS, *) item et alii Medici aeterna laude florentes, vt inprimis WELSCHIVS, e) et SPONIVS, f) qui allegato prius hoc ipso HIPPOCRATIS loco, haec demum prudentissime subnectit. *Recentiores petechias, Maculas purpureas, exanthemata, et ecthymata vocare solent has cutis scilicet aspredines, culicum morsibus similes. Vnde immerito Febres malignas Antiquis incognitas fuisse, asserunt nonnulli.* Quibus accedat nunc denique magnus ille BALLONIVS, g) qui etiam ex parte, verum hic vidit, et pro more, paucis indicauit. Sed ne vllum amplius supersit dubium; en nunc paullo diligentius inter sese comparemus, si placet quidem, binos illos HIPPOCRATES maximos, HIPPOCRATEM nempe istum graecum vetustissimum, et HIPPOCRATEM nostratem Germanicum recentissimum, siue, quod idem profecto est, HOFFMANNVM, qui scilicet solito suo more, accuratissime et solidissime de his ipsis Febri-

bus

c) *Comment.* in istum Lib. II. *Epidem.* pag. 142.

d) *Annotat.* in illum locum, pag. 1021.

*) *Comment.* in hunc Lib. II. p. 308. sq.

e) Dissert. Medico-philosoph. II. *de Aegagropilis*, pag. 56. et pag. 57. add. eiusdem *Curat. Medicinal.* 2 Dec. I. pag. 15. sqq. praesertim autem *Curat. I. Decad.* VI. pag. 289. seqq. quae tota huc spectat.

f) In *Aphorismis Nouis*, pag. 136.

g) Lib. I. *Epidem.* pag. 99. et Lib. II. pag. 150.

bus purpuratis, et exanthematicis, siue miliaribus, quondam commentatus fuerat h).

Primo igitur HIPPOCRATES iste vetus obseruauit, *Exanthemata illa Miliaria erupisse circa diem septimum, aut octauum, aut denique nonum, et perdurasse vsque ad ipsam absolutam Crisin.* Neque aliter ipse HOFFMANNVS: *die tertio,* inquit, *aut quarto, a puerperio, interdum septimo, interdum etiam decimo quarto demum die, in conspectum prodit album hoc Exanthema.* Quorsum et respexit celeberrimus ille Aulae August. Viennens. Medicus, CHRISTOPH. MOLINARIVS, Fautor et Amicus noster honoratissimus in elegantissima sua Disquisitione, *de Miliarium Exanthematum indole et tractatione, p.* 45. HOFFMANNVS *ipse septimo, nonoque etiam die, illa exanthemata miliaria apparere affirmat,* et quae ibi sequuntur plura. Accedat denique his grauissimum experientissimi SAVVAGII testimonium i): *Multo mitior est Febris miliaris, in puerperis, si rubra quinto, septimo, vel nono die, demum erumpit.* Sed studio iam omitto plura alia, passim in Medicorum Libris, in eundem quidem sensum, occurrentia.

Secundo, pergit HIPPOCRATES: *sese in nullo viro conspexisse eiusmodi quidem Exanthemata miliaria.* Nec abit hic rursus HOFFMANNVS: *Febris purpurata, seu miliaris, foeminas magis, quam viros, maximeque puerperas corripit.* Et alibi rursus, cum quadam veluti limitatione *): *Neque vero puerperae duntaxat. sed et aliae Mulieres, quin Viri etiam ipsi interdum, huius morbi exanthematici tyrannidem experiuntur;* de quo et vid. laudatos modo Medicos, Nob. MOLINARIVM ac SAVVAGIVM.

Tertio denique, scitissime et exactissime ipsa illa Exanthemata describit HIPPOCRATES, per τρηχίσματα ἐν τῷ χρῶτι κεγχρώδεα, seu per *aspritudines miliares in ipsa cute obortas.* Quae ipsa ita quasi παραφράζει vberius, noster HOFFMANNVS: *Efflorescunt pustulae minimae,*

semen

h) *Medicin. Rat. Systemat.* Tom. IV. part. I. pag. 68. seqq. Tom. II. opp.

i) *Nosologia Methodica,* Tom. II. part. I. pag. 413.

*) In *Consultat. et Respons. Med* Cent. II. et III. Sect. IV. Cas. CXCIV. pag. 413. *Opp.* Tom. IV.

femen Milii amplitudine aequantes, numerofiffimae, cum corrugatione, afpritudine et ariditate cutis. Et ibidem paucis interiectis, adhuc luculentius: *Succedit cutis afperitas, et inftar anferinae, corrugatio, exfurgentibus innumeris puftulis, fiue albis, fiue rubris, fiue vtrisque, fibi inuicem appofitis, Milii femen figura et exiguitate, referentibus.* Iisdem fere verbis in eadem defcriptione τῶν τρηχισμάτων κεγχρώδεων, vtitur hic clariff. nofter MOLINARIVS, *pag.* 46. quare ifta iam exfcribere nolumus, inprimis quum hoc externum fignum in ipfa cute manifefto confpicuum, nemini non, etiam ex ipfo vulgo, notiffimum fit: Cuius et fupra, alio loco, licet paucioribus verbis, rurfus ita meminit HIPPOCRATES nofter k) ὁκόσα τρηχύνεται κεγχρώδεα, εἶτ' ἐφελκοῦται, *Quaecunque Exanthemata ad inftar Milii, exafperantur, deinde exulcerantur.* Cum quibus tamen Exanthematibus miliaribus neutiquam confundendus videtur notus ille veteribus ἕρπης κεγχρίας, ideo dictus, ὅτι φλυκταίνας μικρὰς ἐξ ἐπιπολῆς τοῦ δέρματος ἐγείρει κέγχροις ἐοικυίας, *quod fcilicet exiguas puftulas in cutis fuperficie excitat Milio fimiles,* vt loquitur PAVLLVS AEGINETA, l) item ibidem ORIBASIVS; et ACTVARIVS, de quo et videndus GALENVS m) vt et GARIOPONTVS, n) vbi tamen corrupte legitur, *Cancrias*, quod vero rectius mutat fummus REINESIVS, o) in *Cenchrias*, h. e. κεγχρίας, nempe ἀπὸ τῶν κέγχρων: Conf. et huc ex parte, CANGIVS, p) Plura vero de hoc *Herpete Cenchria*, feu *miliari*, legenda exhibet HAFENREEFFERVS q) vt alios iam taceam, quoniam res fatis nota.

Potius regrediamur, fi lubet, ad derelicta fuperius paulifper Exanthemata illa miliaria febrium critica, ab HIPPOCRATE noftro lucu- lentius

k) Lib. de Humidorum Vfu, pag. 605. Tom. I. Conf. huc FOESII *Oecon. Hippocrat.* et GALEN. *Comment.* II. in VI. *Epidem. Hipp.* Tom. IX. pag. 393. item SALMAS. *Exercitat. Plinian.* pag. 422. fq. contra CASAVB. et ATHEN. II. 13. pag. 108. fqq.

l) Lib. IV. cap. 20. pag. 64. b.

m) Lib. XIV. *de Method. Med.* cap. 17. pag. 340. Tom. X. et *ad Glauc.*

n) Lib. V. cap. 31. pag. 109. b.

o) Lib. III. *Var. Lect.* cap. 12. pag. 553.

p) *Gloffar. Med. et Inf. Latinit.* Tom. II. pag. 479.

q) Lib. I. *de Cutis Affectibus,* cap. 15. pag. 108. fqq. vid. et inprimis Cl. BERNARD, ad PALLADII Lib. *de Febribus,* cap. VI. pag. 23. feqq.

lentius descripta, imo depicta. Fuerunt nimirum ipso obseruante, bonae istae mulierculae, in quarum tenera cute malum illud Milium effloruerat, βαρυήκοοι καὶ κωματώδεες, seu *auditu graui affectae et in soporem pronae*, materia nempe illa miliari, seu exanthematica, neruis, ipsisque sensuum officinae grauius intus incumbente, eamque vehementius premente. Conf. huc et IV. *Epip. p.* 752. aut Sect. *de Aristophontis Filia.* Quales in eiusmodi Febribus miliaribus sopores et inexpugnabiles veluti dormiendi cupiditates, aut necessitates, vt CELSVS eleganter loquitur, ante ipsam Exanthematum eruptionem, pariter accurate saepius obseruarunt optimi isti de hac Febre Miliaria scriptores, nempe HAMILTON, ALLIONIVS, MOLINARIVS meus [r]), atque etiam HOFFMANNVS, qui tamen saepius pertinaces potius vigilias et inquietas noctes, quam quidem altos sopores, in eiusmodi aegrotis, quibus mox proditurae essent maculae istae miliares, animaduertit: quod et pariter obseruasse videtur in nonnullis aegris, HIPPOCRATES ipse, ita nempe mox haec addens: πρόσθεν ὀ κάρτα ἦσαν κωματώδεες, ᾗσιν ἔμελλε ταῦτα ἔσεσθαι, *Antea non valde in soporem procliues erant istae quidem foeminae, quibus illa exanthemata miliaria affutura essent.* Scilicet haec omnia symptomata saepius sunt diuersa, pro varietate nempe Naturarum, Temperamentorum, Temporum, aliarumque circumstantiarum, ab HIPPOCRATE ipso perquam sollicite ac diligenter, in *prognosticorum* praesettim Libris, adnotatarum.

Forsan vero, vt pergamus, ad hanc ipsam Exanthematum Hippocraticorum classem referendae esse videantur istae quidem maculae febriles, culicum morsibus similes, quas ab HERODOTO olim descriptas, in compendio veluti, legimus apud AETIVM AMIDENVM [s]), his verbis: κατ' ἀρχὰς τῶν πυρετῶν, ὀ τῶν ἀπλουστέρων, ἀλλὰ τῶν κακοχυμοτέρων, περὶ ὅλον τὸ σῶμα, μώλωπες γίγνονται, ἐμφε-

r) *De Exanthemat. Miliar.* part. I. p. 45. et passim in seqq. vid. et VALLES. in II. *Epidem.* p. 142.
s) Lib. V. c. 129. p. 96. b.

ἐμφερεῖς τοῖς ὑπὸ κωνώπων δήγμασιν. *In ipsis principiis Febrium non simpliciorum, sed a prauis humoribus magis inquinatarum, circa totum corpus vibices oriuntur, similes culicum morsibus.* In quo quidem HERODOTI loco admodum controuerso et variis explicationibus hucusque tentato ac vexato, B. iam HAHNIVS [t]), amicus olim noster et studiorum socius Lipſ. suauissimus, nunc eheu! desideratissimus, quaerebat quondam ipsas variolas; sed iudice excellentissimo WERLHOFIO [u]), elegantissimo et humanissimo ipsius aduersario, Amico quoque nostro, de quo gloriamur, aestumatissimo, ibidem non inveniebat: post similes quoque irritos conatus THOM. BARTHOLINI, AVGENII, PRIMEROSII, ZACVTI, SCHENCKII et aliorum, ab ipso cl. WERLHOFIO productorum et confutatorum; qui potius haec ipsa HERODOTI exanthemata ad petechiarum indolem referenda censet: in quam sententiam iam dudum quoque descendisse videtur eximius iste Medicus, IO. LANGIVS [x]), aliique post ipsum, plures [y]), quanquam in alia discedente REINESIO [z]). Sed quidquid horum sit: nobis certe haud prorsus a vero alienum, aut ipsi rationi contrarium videtur, vel sub ipsis his obscurioribus ac veluti indefinitis verbis, latere quoque forsan posse ipsam horum Exanthematum miliarium descriptionem; quod tamen aliorum iudicio merito relinquimus. Conf. interim, si placet, *Epist.* nostr. II. *de Anthrac. et Variol. Vett. Vom.* II. *Opuscul. Medico-philologicorum, p.* 14.

Sed HERODOTO item AETIO, eorumque dubia adhuc sententia, relictis, iam potius reuertamur ad ipsum HIPPOCRATEM nostrum, forsan aliquanto certiora in ipso reperturi. Nimirum, sicut ille in loco superiore, hactenus explicato, exanthemata critica in febribus

t) *Antiquitat. Variolar.* c. III. p. 35. sqq. conf. DRELINCVRTII Diss. *de Variolis et Morbill.* pag. 658. *Opusculor. Medicorum.*

u) In Disquisit. de *Variolis et Anthracibus*, pag. 28. seqq. conf. et ibidem adiecta *Dissertat. Epistol.* Cl. BEHRENS, *de Affect. a comestis Mytulis*, pag. 6.

x) *Epist. Med.* XV. Lib. II. p. 561.

y) Vid. huc inprimis WELSCHII *Curat. Med.* 2. *Decad.* I. *p.* 15. et *Curat.* I. *Decad.* VII. *p.* 288. seqq.

z) Lib. I. *Var. Lect.* c. 20. p. 78.

bribus foeminarum purpuratis, naturae beneficio, foras expulſa, accurate deſcripſerat: Ita nunc alio loco [a]), mox illuſtrando, alia e contrario, proponit exanthemata, ſymptomatica potius, aut arte caſuue, aut ab externa cauſſa, producta, et febre plerumque carentia. Inter Morbos enim feruida praeſertim aeſtate, ingruentes, numerat quoque ἵδρωα, ſeu, vt alii quoque ſcribunt, ἱδρῶα. Quae exinde IVLIVS POLLVX [b]) ad hunc ipſum HIPPOCRATIS locum tacite reſpiciens, rectiſſime interpretatur per ἐξανθήματα θερινά, ſeu *Exanthemata aeſtiua.* Quod vero quum non intelligeret ERASMVS noſter SCHMIDIVS, inſigne olim huius noſtrae Academiae ornamentum, male mutabat in ἔνθερμα ſeu peius, ἐθερμά, quod ipſi tamen, Viro alias graece doctiſſimo, ceu ἀνιάτρῳ, facile condonandum: Eo minus autem GORRAEO [c]), tanquam Medico; qui perperam iſta ἱδρῶα explicabat per *genitalium partium puſtulas, ſummam cutem occupantes et exulcerantes;* quum tamen ceu diſtinctum et ſingulare quid, iam praeceſſerint σηπεδόνες αἰδοίων, *pudendorum putredines;* manifeſto hinc indicio, τὰ ἱδρῶα longe aliud quid ſignificare, nec quidquam commune habere cum illis τῶν αἰδοίων σηπεδόσι.

Vix vero venia danda videtur illi ipſi elegantiſſimo alias CORNELIO CELSO [d]), vage nimis et obſcure haec ipſa ἱδρῶα conuertenti per: *quidquid ſudore hominem reſoluit,* atque ſic temere confundenti effectum cum ipſa cauſſa, quum ſcilicet puſtulae illae aeſtiuae non generent ſudores; ſed potius generentur ab ipſis nimiis ſudoribus, indeque ſint illorum magis effectus, quam cauſſa; praeterea quoque iſtud, *quidquid haminem ſudore reſoluit,* non ſemper, ſed interdum tantum, iſtas aeſtiuas papulas producit, pro diuerſitate nempe ipſorum corporum naturae, temperiei, ſanguinis, humorum, bilis, cutis, atque etiam idioſyncraſiae, ex quibus ſcilicet vnice pendet illa exanthematum eruptio, tempore aeſtatis, per copioſiores ſudores, corporum-

 que

a) *Aphoriſ.* 21. *Sect. III.*
b) *Onomaſt.* Lib. V. c. XXV. Segment. 202. p. 471. Tom. I.
c) *Definit. Med.* p. 189.
d) Lib. II. c. 1. p. 44.

que fatigationes, concitata. Bonum igitur CELSVM male hic assequutum esse veram huius vocis Hippocraticae significationem, rectissime inde concludit HIERON. MERCVRIALIS e), item DIETERICVS f) et FOESIVS g), cum aliis, quibus denique addantur, si placet, aut operae pretium videatur, quae nosmet ipsi nuperrime de hac manifesta CELSI nostri ἀβλεψίᾳ, in hunc locum adnotauimus h). Blandius scilicet ac modestius voco hic illum errorem ἀβλεψίαν, quoniam nempe infra ipse loco alio i), haec ipsa ἱδρῶα, omisso licet nomine, rectius appellauit *pustulas*, *quae ex sudore nascuntur*, hoc est, vt ipse noster HIPPOCRATES k) alibi loquitur, αἰθόλικας ἢ ἐξανθήματα ἐξ ἱδρώτων ἐξόδε, *pustulas ex sudorum exitu prognatas*: Adeo nempe CELSVS noster meliora saepius videt, et tamen prae nimia forsan festinatione, deteriora plus semel sequitur, vt alibi multis exemplis liquidius, opinor, demonstrauimus l). Quare ipso longe rectius ac felicius ista quidem ἱδρῶα, per *sudorum papulas*, latine reddidit PLINIVS m); sed alibi, paullo peius, vt videtur, aut obscurius, per *aestates* n), vt et recte animaduertit idem MERCVRIALIS, modo laudatus o). Tanto melius vero e recentioribus HIPPOCRATIS interpretibus optimis, IO. HEVRNIVS p) illa latine conuertebat per *pustulas miliarias*, de quo mox plura.

Sed luculentam istorum ἱδρώων descriptionem, quamuis non adiecto ipso hoc nomine, vt putabat quidem contra FOESIVS, sic nobis reliquit suauissimus ille eloquio, THEOPHRASTVS ERESIVS q): πολλάκις διὰ τὴν ἁλμυρίδα, τὴν ἀπὸ τȣ̃ ἱδρῶτος γινομένην ἐρεθισ-

e) Lib. *de Decorat.* c. XXII.

f) *Iatreo Hipp.* p. 547. ubi plura.

g) In *Oeconomia*, p. 170. et in hunc *Aphorism.* p. 1263.

h) Scilicet in subitis nostris *obseruat. criticis*, nouissimae CELSI Editioni, a Cl. KRAVSIO diligenter curatae adiectis, p. 756. sq.

i) Lib. V. c. 28. 15. p. 336.

k) Lib. *de Humidorum Vsu*, pag. 605. Tom. I. opp.

l) Nempe iisdem in *Obseruat. Celsianis*, vbique, et singulis fere paginis.

m) Lib. XXIII. c. 4.

n) Lib. XXVIII. c. 12.

o) Lib. VI. *Var. Sect.* c. 22. p. 131.

p) Ad illum *Aphorism.*

q) Lib. *de Sudoribus*, pag. 457. opp. per DAN. HEINSIVM.

ἐρεθισμῷ τινὶ κνισμώδει, καὶ ἐπάρσεις τινὲς ἰονθώδεις γίνονται, *saepe fit, vt propter salsuginem a sudore ortam, ex quadam irritatione pruriginosa, pustulae elatae exoriantur, varis fere similes.* Vbi et acute simul et diserte docet, quomodo eiusmodi exanthemata parua miliaria per nimios corporis labores, calores atque sudores, in aestate praesertim, frequentius generentur, ac per latius laxiusque tum aperta cutis ostiola, versus externam ipsius superficiem, vehementiore sanguinis aestuantis motu, propellantur. Et quoniam inprimis, sub flagrantissimo sole diutius ambulantibus, aut longius iter pedibus eundo, conficientibus huiusmodi pustulae efflorescere soleant, eas exinde singulari nomine, ἐνόδια, seu *viales*, aut in *Via natas*, vocatas fuisse, scite simul obseruat: quam tamen vocem, hac nempe peculiari significatione, in omnibus Lexicis graecis, ne ipsa quidem vasta et onerosa illa HENR. STEPHANI farcina hic excepta, frustra omnino quis quaesiverit, quod obiter iam notare liceat. Sed nec praetereunda hic perspicua illa et accurata harum quidem aestiuarum papularum descriptio, ab ipso GALENO [r]) proposita: τὰ δ᾽ ἱδρῶα, τῶν κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν ἐξανθημάτων ἐστὶν, ἑλκώδως τραχύνοντα τὸ δέρμα· καὶ γίγνεται, καθάπερ καὶ αὐτὸ τοὔνομα ἐνδείκνυται, διὰ τοὺς πολλοὺς ἱδρῶτας: *Sudamina autem, vel pustulae sudatoriae, e genere sunt Exanthematum, quae in cutis superficie efflorescentia, vlcerum more, cutem ipsam exasperant. Fiunt autem, quemadmodum et ipsum ostendit nomen, propter multos sudores.* Sed cuncta denique sat bene sic complexus est supra iam laudatus HAFENREFFERVS [s]): *Hydroa sunt pustulae exiguae, aquosae et tenui humore plenae, Milii magnitudine, subito, in corpore, hinc inde, in manibus tamen et pedibus frequentius, excrescentes, dolorisque plane expertes, ac subito, citra omne praesidii genus, euanescentes. Nascuntur ex sudoribus, sub Epidermide retentis, qui per latentes cutis meatus dissipari non potuerunt.* Verum vnum tantum his adhuc obiter hic adiicere liceat,

r) *Comment.* in hunc ipsum *Aphoris.* 21. *Sect. III.* pag. 166. Tom. IX. *Opp.* per CHARTER. part. II. pag. 92. conf. huc inprimis, IVL. CAES. BARICELLI Lib. III. *de Hydronosa Natura*, Cap. 4. p. 344. sqq. vbi plura.

s) Lib. I. *de Cutis Affectibus*, Cap. 13.

ceat, in gratiam maxime philologorum, *in quorum amoena castra, non tanquam transfuga; sed tanquam explorator, nonnunquam et ego cum voluptate, transire soleo, vt cum* SENECA loquar, *Epist.* II. pace tamen seueriorum Medicorum, ad haec talia vilia et scholastica studia, vt ipsis quidem sed nescio, quam bene, aut vere, videntur, morose nauseantium, quin etiam fastidiose stomachantium.

Solem nimirum Chaldaei, Syri atque Hebraei haec ipsa ἵδρωα, per quam eleganti, tropo, aut metonymia, subinde vocare בנות חמה *Filias caloris*, seu *aestus*, item בנות זעה *Filias sudoris*, vt et בנות קיץ vel קיט *Filias aestatis*, interdum et ליליא vel בנות לילה *Filias noctis*, quanquam per has, papulas illas nocturnas, ἐπινυκτίδας vulgo dictas, de quibus multa HIPPOCRATES, GALENVS, AEGINETA, CELSVS, *Lib.* V, *cap.* 28. et alii plures, potius intelligendas esse, probabilius videatur. Sed quoniam de hoc ipso scito Hebraeorum loquendi more metaphorico, alibi iam plura diximus; ideo haec pauca hic iam sufficiant t). Ex his igitur HIPPOCRATIS locis, paullo attentius hactenus consideratis ac diligentius explicatis, satis liquido nunc patescere merito arbitramur, ipsum illum grauissimum auctorem, iam sua tempestate, probe cognitam ac penitus perspectam habuisse singularem illam differentiam inter Exanthemata critica salutaria, ac naturalia, et symptomatica e contrario, siue fortuita, aut vi calidoque praesertim regimine, contra ipsius naturae indolem, cum pernicie extorta. Quorum et alibi, in libris potissimum *prognosticorum*, et *Epidemiorum*, passim luculenter meminit: Sic VI. *Epid. pag.* 806. dixit; φύματα κρίνοντα πυρετοὺς, et alibi ἐξανθήματα κρίνοντα καὶ κτείνοντα, elegantissima paronomasia, qualis et apud ARETAEVM legitur, *de Acut. morb. cur.* II, *p.* 112. quam vero vix licet pari venustate, latine exprimere, nisi his forsan modis: *Exanthemata laeta, et letalia, laetifica et luctifica, iuuantia et iugulantia, vitalia et fatalia*, et ita porro: Sed haec

t) vid. *Epist. nostr.* I. *de Anthracibus et Variolis Veterum* ad Cl. HAHN, auctius nuperrime recusa Vol. II. *Opusculor. Medico-philolog.* pag. 10. seqq.

haec obiter. Ex quibus vnum tantum memorabilem locum iam producere libet, inprimis quum non vſque quaque ſanus, quin potius foedis veluti puſtulis, obſitus, videatur. Sed en ipſa verba [u]): Καὶ εἰ φλύκταιναι, κακὰ, καὶ οἷσι ταρακτικά. Quae ita vulgo vertuntur a CORNARIO: *Et ſi puſtulae eſſent, malae erant; et quibus aluus turbata eſſet:* ſed ſententia hic potius ipſa turbata eſt, quam aluus, de qua nihil plane in ipſo graeco contexu legitur. Praeterea εἰ, et οἷσι haud recte hic ſibi opponuntur; ſed potius ſolito Graecorum more, pro οἷσι, iterum εἰ, ponendum eſſet, aut certe vtrobique οἷσι, vt nempe, in his ipſis Libris *Epidem.* ſaepiſſime loqui ſolet Noſter, et mox in antecedentibus. Denique etiam nulla iuſta eſt oppoſitio inter τὰ κακὰ, atque ταρακτικὰ, quae quippe fere idem ſignificant. Quare iam olim alibi [x]), locum hunc perquam obſcurum et de mendo merito ſuſpectum ita emendare tentabam: καὶ οἷσι φλύταιναι κακὰ, καὶ οἷσι περιεκτικά: *Et quibus puſtulae mala eſſent indicia; et quibus contra ſalutaria aut critica*, ſenſu perquam commodo ac perſpicuo. Τὸ περιεκτικὸν enim HIPPOCRATI ſoli fere admodum familiare, teſtibus EROTIANO, GALENO et aliis, idem ſignificat ac σωτήριον, aut κριτικὸν, *ſalutare*, vel *iudicatorium:* de qua ipſa voce, admodum adhuc controverſa, iam dudum alibi [y]) accuratius tractaui. Sed poſſet tamen, etiam ſeruata illa voce ταρακτικὰ, haud incommode legi, pro κακὰ, potius ἄκακα, vel ἀλεξίκακα, *ſigna minime mala*, aut *ſalutaria*, vel *malum depellentia:* Sed magis tamen propendeo in priorem coniecturam, οἷσι περιεκτικά. Niſi forte potius placuerit legere hic ἀπαλλακτικὰ, h. e. κριτικὰ, λυτικὰ, παυστικὰ, βοηθηκὰ, id eſt *opifera, ſedantia, morbique ſolutionem ac liberationem inducentia.*. Quo verbo ſaepius hoc quidem ſenſu, vſum eſſe HIPPOCRATEM, diligenter oſten-

u) Lib. VI. *Epidem.* Sect. VIII. p. 821. Tom. I. Opp. conf. et Lib. *de Locis in Homine* p. 389.

x) Lib. III. *Obſeruat. Criticar.* c. 25. pag. 270.

y) In *Epiſt. Med. Crit.* ad Cl. IO. FREIND, p. 35. ſqq. ſed auctius recuſa, Vol. II. *Opuſculor. Med. Philol.* Conf. IO. OPSOPOEI Not. ad HIPPOCR. *Opuſcula*, p. 593. ſeqq. et Cl. ADRIAN. HERING. *Obſ. Crit.* Cap. I. p. 9.

oſtendit in *Oeconomia*, FOESIVS, et DIETERICVS, in *Iatreo* HIPPOCR. *p.* 194. Conf. et SVIDAE, HESYCHII et aliorum *Gloſſaria*, item WESSELING. ad DIODOR. SIC. *Lib.* III. *p.* 190. *Tom.* I.

Mirum ergo, imo maximopere mirum vtique videtur, vel hac ipſa noſtra aetate, repertos eſſe magnae etiam famae Medicos, qui vetuſtiſſimam illam veriſſimamque diſtinctionem, inter Exanthemata vera *Critica*, et *Cretica*, vt ſic loquar, ſiue fallacia, aut ſymptomatica, vel vi, aut arte, aut medentis φιλοθέρμυ errore, contra naturam protracta, in diſcrimen confidenter nimis adducerent, et ſolis fere admiſſis his poſterioribus ſpuriis; priora ſalutaria et ipſius naturae beneficio, producta, plane ferrme in dubium vocarent. Sed malim celeb. potius TRALLES hic loquentem introducere; quam memet ipſum: en igitur grauia illius verba, aut iuſtas querelas [z]).

Sed obſtupeſco, Medicos Vienneṅſes celeberrimos acriter diſputare, et inter ſe conuenire non poſſe, ſintne Exanthemata vt plurimum factitia, calidisque Remediis et tali Regimini debita; vel et naturalia, et critica, atque ab ingenio ipſius Morbi pendentia?

Sic ergo mira rei nouitate, merito obſtupeſcit praeſtantiſſimus iſte Medicus: Ego vero hic potius obmuteſco; non, quod deſit plura dicendi materia; ea enim adhuc vberrime ſuppetit; ſed, quod nolim fruſtra denuo actum agere, atque de hoc ipſo arduo argumento iam alibi a me copioſius et exactius dicta, niſi fallor, faſtidioſe repetere *). Praeſertim, quum mihi iucundas inſuper commodasque ferias fecerit haec ipſa Diſputatio inauguralis doctiſſima, *de Exanthematum, quae cum Febri ſunt, differentia et Origine.*

z) In *Vexatiſſimo de Inſitione Variolarum, Argumento, Libro* eximio, p. 237. vt et inprimis ibidem, p. 302. conf. et ill. VAN SWIETEN, *Comment.* Tom. II. pag. 403. ſeqq.

*) Vid. huc, ſi placet, *Diſſertat.* noſtr. *Epiſtolar.* ad Celeb. MOLINARIVM, *de vera exanthematum Miliarium differentia, diuerſoque eorum effectu et euentu*, quae extat. Tom. II. *opuſculorum* noſtrorum, *Medico-Philologorum*, nuperrime editorum.

DE
CVLTV ISIDIS
DEAE ETIAM SALVTARIS ET MEDICIS SACRAE
APVD
VETERES GERMANOS
EXERCITATIO HISTORICO-PHILOLOGICA
AD
VIRVM ILLVSTREM ET ORNATISSIMVM
IO. GOTTLOB BOEHMIVM
SERENISS. ELECT. SAXON. CONSILIARIVM AVLICVM
ET HISTORIOGRAPHVM NEC NON HISTORIARVM PROF.
PVBL. IN ACAD. LIPS. CELEBERRIMVM,
AMICVM SVVM VETEREM, VERVM ET DILECTISSIMVM.

Quae diutius hucusque, intra priuatos nostros parietes, tanquam in portu aliquo tuto ac tranquillo, secura delituerat, ISIS haec mea, nunc demum, multos post annos, trepide sese, fragilemque suam ratem committere audet aperto dubioque variorum iudiciorum, aut praeiudiciorum pelago; ignara prorsus, an secundam fauoris benigni auram in puppi sit habitura, qua nempe blande acta, feliciter tandem exoptatum portum intrare possit; praesertim, quum omnem prope modum cultum, curam ac venustatem ipsi vbique deesse, probe sciam. Citius enim fere conscriptam, aut effusam potius esse hanc qualemcunque Commentationem, quam, vt ille ait, asparagi coquantur; ipse, SVAVISSIME AMICE, omnium optime nosti, qui, quum ante complures iam annos, de eodem argumento, ipse doctissime et elegantissime commentareris, tum mihi auctor suasorque potissimum fuisti, vt, quae mea, de *Iside* apud maiores nostros olim Culta, esset sententia, TIBI paucis declararem. Amicae ergo inuitationi TVAE morigerus, ex nundinis Lipsiensibus tum reuersus, protinus has meas leues coniecturas in chartam perituram conieci, et ad TE sine mora, misi: neque vero ipsas TIBI prorsus displicuisse, siue tunc blando ac fallaci praeiudicio, siue iusto seueroque iudicio

inductus fueris, iam non disquiro, mox affatim patuit ex humanissimis TVIS literis; maxime vero ex ipsis Commentationibus TVIS doctissimis, cum Eruditorum plausu ac suffragio, publice exceptis. Neque tamen mihi adeo vsque inepte placeo, aut ridicule domi plaudo, vt temere putem, me in explicando arduo hoc dubioque argumento, plus omnino vidisse, ac reliquos TACITI Interpretes solertissimos, qui ante me, in eodem scite illustrando, non sine laude, strenue occupati fuerint. Hoc tamen affirmare paene audeo, me in explicanda Gemma illa vetustissima venustissimaque peiresciana, forte nonnihil melius ac felicius coniecisse, ac PIGNORIVM, PETRVM DE LA SENA, BARTHOLINVM aliosque, qui Orum, aut Harpocratem, aut cunas denique pueriles, paene pueriliter, si dicere cum venia liceat, hic conspexerant, aut forte somniauerant. Ceterum vero, noli quaeso mirari, cur his *opusculis* nostris *medicis* adiunxerim hanc ipsam de *Iside Exercitationem Historico-criticam*, ceu argumentum peregrinum, vt videtur, et ab instituto meo alienum. Sed veniam tamen, aut excusationem inde forsan merebor, quod ipsa quoque *Isis* inter deas salutares et a Medicis ipsis cultas, olim sit relata, vt ex DIODORO SICVLO, PAVSANIA, EVSEBIO, STOBAEO, OVIDIO, TIBVLLO, et, ad illum, BROVCKHVSIO, aliisque, item et ex antiquis Inscriptionibus, apud GRVTERVM, FABRETTVM, REINESIVM atque MVRATORIVM, passim obuiis, clarissime patet: quin et ex ipso *Isidis* nomine haud penitus obscure colligitur, quod scilicet, mea certe opinione, ab Hebr. ישע *Iasa*, *saluauit*, *seruauit*, vnde ישע *Iesa*, *salus*, *auxilium*, satis apte deriuandum videtur, licet, non me latet, aliud visum sit aliis, vt pridem ostendi in Obseruationibus Criticis: adeo, vt hinc significatione, *Isis* idem fere sit, ac ipse IESVS, ex eadem scil. radice hebr. descendens, ceu notum; in quo vero longe certior sanctiorque salus nostra reposita est, quam quidem in vano illo ac profano *Isidis* nomine, aut numine. IPSE TV praeterea me saepius blande compellasti, vt hanc meam Diatribam publicae aliquando luci exponerem, ad Eruditorum scilicet nonnullorum istius quidem videndae dudum cupidorum, sitim

tandem

tandem ſedandam. Commodam ergo hanc occaſionem laetus arripui, atque hoc ipſum tenue ſchediaſma iſtis nempe *opuſculis medicis* inſerendum iudicaui: praeſertim, quum inſtans forte fatum mihi iam in ſenio decliui, immo praecipiti, conſtituto, haud ſane permittat, ſpes inchoare longas, reſque meas adhuc expediendas, iuſto diutius protrahere. Sed quidquid horum demum ſit; mihi interea ſat erit, honeſtis TVIS deſideriis ita amice morem gesſiſſe. Accipe igitur hoc exiguum quidem leueque documentum amicitiae noſtrae nec exiguae profecto, nec leuis, olim nempe *Francofurti ad Moenum*, in aedibus *Illuſtriſſimi Comitis* LOSII, communis noſtrum Maecenatis, laetisſimis auſpiciis inchoatae, et deinde, hic in *Saxonia*, longius per tempus, diligentius excultae et ſolidius confirmatae, mihique, quouſque per fata feſtinantia, adhuc forſan licebit, conſtanter fauere perge! Scribebam raptim, Wittebergae, d. 10 Februar. ipſo *die natali meo* LXXII. ſingulari munere coeleſti, mihi laetius exorto, Anno Salutis recuperatae, CIↃIↃCCLXVI.

EXERCITATIO SVBITANEA

AD

CORNEL. TACITI CAP. IX. DE MOR. GERM.

DE ISIDE,

DEA ETIAM SALVTARI ET MEDICIS SACRA,

OLIM

APVD SVEVOS

RELIGIOSE CVLTA.

Mirum profecto eſt, repertos eſſe viros quosdam cetera doctiſſimos, qui de Cultu Aegyptiae deae *Iſidos*, apud *priſcos Germanos*, ſpeciatim *Sueuos*, dubitarent; quum tamen clariſſima et manifeſtiſſima ſint illa TACITI Verba: *pars Sueuorum et Iſidi ſacrificat. Vn-*

de caussa et Origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum in modum Liburnae figuratum, docet aduectam religionem. Nempe *Aegypto* aduectam religionem, vt sensus suppleri debet, quem enim quaeso, fugiat, *Isidem* deam potissimum Aegyptiis fuisse cultam et summa in veneratione per omne aeuum, habitam? Quo vero iure, aut saltim colore, dubitare poterant doctissimi illi Viri *de Cultu Isidis apud Germanos*, quum et eosdem nostros maiores *Tuitonem* et *Manum*, puros putos nempe Deos Aegyptios, coluisse, iam supra commemorauerit idem TACITVS? Sapienter ergo, et vt solet, praeclare hanc in rem ita scribit summus Virorum SAM. BOCHARTVS, *) „Quando „TACITVS scripsit; *Celebrant Carminibus antiquis Tuitonem Deum Terra „editum, et filium Manum, originem Gentis Conditoresque:* vtrumque ac„ceptum ab Aegyptiis, a quibus in Diis maxime colitur *Theuth*, seu „Mercurius, tanquam artium et scientiarum repertor, et in homini„bus *Menas*, vel *Menes*, quem omnium hominum primum in Aegypto „regnasse asserunt. HERODOT. *Lib.* II. βασιλεῦσαι δὲ Αἰγύπτε πρῶ„τον ἀνθρώπων ἔλεγον Μῆνα, DIODORVS, *Lib.* I. Μετὰ τὲς Θεὲς „τοίνον πρῶτόν φασι βασιλεῦσαι τῆς Αἰγύπτε Μενᾶν; item AFRICA„NVS ex MANETHONE: Μήνης Θεινίτης ἐβασίλευσεν. Tale est, quod, „teste TACITO, *pars Sueuorum et Isidi sacrificat.* Et ad *Astartes* Deae „Phoenicum nomen alludit *Aestar*, vel *Easter.* Ea fuit *Dea Saxonum*, „cui Mense Aprili, sacrificarunt. etc.„ hactenus BOCHARTVS.

Si quis autem nunc quaerat, qua via ex longinquis et decoloribus illis Aegypti plagis aduecta fuerit turpis illa et pudibunda Religio *Isidis*, ad ipsos nostros *Germanos*; en Indicem et monstratorem satis certum, venerabilem et fide dignum, illustrem nempe Virum, PETRVM DAN. HVETIVM **) cuius haec sunt verba in *Libro* reconditae doctrinae *de Demonstratione Euangelica*: „Tum addit TACITVS: „*Vnde caussa et origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum „ipsum in modum Liburnae figuratum docet aduectam Religionem.* Vnde „vero aduectam? nempe ex Aegypto, vbi *Isis* colebatur, per Euxi„num pontum, atque inde per Danubium, in Sueuos, et ex illis, in „reli-

*) *Chan. L.* I. *cap.* 42. *pag.* 676.

**) *Propos.* IV. *cap.* 7. *pag.* 170.

„reliquam porro Germaniam.„ Atque inde fortaſſe eſt; quod in veteri Calendario, apud *Gruterum*, inter feſtos dies notatur *Iſidis nauigium.* Certe ad fontes Danubii penetraſſe Aegyptios, Oſiride Duce, teſtatur DIODORVS SIC. HERODOTVS vero, duce Seſoſtri, „Scythas et Thraces ſubegiſſe, in eorum regionibus trophaea ſtatuiſſe, perueniſſe ad Phaſin, et in Colchide partem exercitus reliquiſſe; at „EVSTATHIVS, Oſirin aratri vſum docuiſſe Tauros ſcythicam gentem.„ Haec laudatus HVETIVS.*) Quod vero hic dubitanter addit idem Vir illuſtris de die feſto *Iſidis* nauigio conſecrato, apud GRVTERVM, e veteri Calendario; id ſane longe liquidius et confidentius probare poterat ex LACTANTII *Lib.* I. *Inſtit. diu. cap.* 21. *Quod certus dies habetur in faſtis, quo* ISIDIS *nauigium celebratur: quae res docet, non tranaſſe illam, ſed nauigaſſe:* vbi SCIOPPIVS *in Notis*, obſeruat, teſte Cl. BVNEMANNO: „*Iſidi* quotannis, menſe Martio, nauigium dicatum „onuſtumque muneribus pelago commiſſum.„ Qua de re plura, apud IOS. SCALIGERVM. **) Nec illepida ſane aut ingenio omni deſtituta eſt cuiusdam IO. GEORG. IVNKERI coniectura, et ibidem in Notis laudata, qua putatur, veteris vrbis *Iſenaci*, ſ. *Eiſenach*, notiſſimum nomen idem eſſe ac *Iſidis nauigium*, *Is Nachen*, ſ. *Der Iſis Nachen;* ita et *Iſnechia*, Nauigii Genus eſt apud CANGIVM in *Gloſſar.* quem pariter vid. in *Naca.* Licet in alia opinione fuerit PAVLLINI, in *Hiſt. Iſnac. in Syntag. Antiq. Germ.* et nos cum ipſo. Conf. VOSS. *de Idolol. Lib.* I. *cap.* 38. *pag.* 142. vbi tamen leuiter errat, quod putat, *Ferrum* Germanis *Iſer*, vocari, quum dicere debuiſſet *Eiſen*, ſeu *Iſen*, vulgo, ceu notiſſimum. Ceterum nomina vrbium, *Islebii*, *Iſeburgi*, *Iſebergae*, aliarumque, pariter ab *Iſide* deducunt nonnulli Scriptores hiſtorici, atque chronici, quam tamen coniectu-

*) Conf. SPON, *Recherch. curieuſ. d'Antiquité*, *Diſſ.* XXI. *pag.* 302. inprimis autem cl. Abbat. FONTENV docta et ampla Exercitatio de *Iſide* apud Sueuos ſub Nauigii figura, olim culta, in *Memoir. de Literature*, *de l'Acad. Royale des Inſcript.* *Tom.* VII. *pag.* 129. *ſqq.*

**) *Lib.* II. aeterni operis *de Emend. Temp. pag.* 70. huc et vid. FVLGENT. *Mythol. Lib.* I. *cap.* 25 *pag.* 58. item GYRALD. *de Nauig. cap.* VIII. *pag.* 615. et *Not.* ad *Tacit.*

coniecturam nos iam in medio relinquimus. Interim hoc certum et exploratam est, *Isidis* simulachrum nauigiis, Cymbulis et Liburnicis, per omnes Terrarum partes angulosque circumuectam fuisse, priscis temporibus, vt nulla nempe regio in Terris immunis esset a foeda illa superstitione, aut vacua ab *Isidis* ridiculo et propudioso cultu. Hinc legi hic et notari merentur, quae hunc in sensum doctissime commentatus. PETRVS contra *de la Sena*, [a]) Vir cetera doctissimus, ad puerilia et cunas hic delabitur, putat enim sese in hoc nauigiolo lectuli puerilis similitudinem, et in iacenti inibi icuncula humana, infantem fasciis inuolutum liquido deprehendisse, cui leuissimae opinioni nullam vnquam habiturae fidem subscripsit etiam, quod iure quis miretur, Vir doctissimus CASP. BARTHOLINVS, Iun. [b]) simulque hanc ipsam Gemmam quasi mysticam affabre delineatam exhibuit; non quod veram omnino reputaret hanc omnis veri sterilem PETRI DE LA SENA sententiam, vti ego credo; sed potius, quod eam suo, quod tum prae manibus habebat, agrumento tractando egregie prorsus inseruituram intelligeret, quum nempe de puerperio Veterum commentaretur. Alias enim ne Argum quidem, quamuis centum armatum oculis, immo totum quantum oculeum quasi, in hac Gemma conspecturum crediderim infantem in cunis repositum et fasciis inuolutum. Cur enim quaeso hic infanti misello addita in fronte cornua? Cur idem in Cymba, seu Liburna repositus? Cur eiusdem habitus aut vestitus tam singularis, insolitus et peregrinus? quare appositae ex vtraque Nauigii parte auiculae? et quid denique huc faciat scarabaeus (vt mihi quidem videtur,) in Medio quasi suspensus? Sane haec omnia coniunctim sumta, omnes pueriles ineptias hic exulare iubent, et longe aliud altiusque grauiusque subesse; manifesto innuunt. Scilicet, licet ego nec aruspex, nec Hariolus, aut Oedipus sim; tamen mihi ex signis adiectis, in hac antiquissima et pretiosissima Gemma conspicuis, liquido, nisi fallor, videre videor ipsam

Aegy-

a) *In Cleombroto*, seu *de iis*, *qui in Aquis pereunt.*

b) In *Comment. ad Thom. Bartholini patris synopsin Antiquit. Veteris puerperii*, *pag.* 86.

Aegyptiorum *Iſidem in Liburna, aut Cymba papyracea repoſitam et per mare circumuectam, religionis gratia:* nempe Ἶσιν ἐν βάριδι παπυρίνῃ τὰ δὲ ἕλη διεκπλέουσαν, *Iſidem in Lembo papyrino paludes pernauigantem,* vt loquitur PLVTARCH. *Lib. de Iſid. et Oſirid. pag.* 258. et DIODOR. SIC. *Lib.* I. vel *Iſidem* בכלי גמא על פני מים *in naue papyracea in ſuperficie aquarum,* ſeu *Marium,* vt maximi prophetae verba ſupra laudata opportune hic, vt opinor, repetam, vel denique *ſignum Iſidis in modum Liburnae figuratum et Religionem aduectam,* vt cum TACITO noſtro ipſo commode ſatis, me iudice, loquar. Nunc, ne gratis haec et ſine omni veri ſpecie, aut probabilitate, hic afferantur; citato gradu libet ire per ſingula, et omnes figuras in hac Gemma aenigmatica viſui expoſitas ſtrictim explicare. *Iſidem* igitur ex mea quidem opinione, hic repraeſentari in nauicula recumbentem, non ſine omni veri ſpecie, probare et confirmare videntur 1) *bina* illa *Cornua* e fronte imaginis iacentis perſpicue admodum prominula: Talibus enim *Iſidis* capita ab Aegyptiis quondam fuiſſe exornata, aut deturpata potius, clare teſtatur AELIANVS: *Lib.* X. *de Nat. An. cap.* 27. vid. et SVIDAE *Lexic. voc.* Ἶσις. *Lib.* II. *cap.* 41. Αὐτὴν δὲ τὴν Ἶσιν Αἰγύπτιοι βουκέρων καὶ πλάττουσι, καὶ γράφουσι, *Iſin bubulis cornibus Aegyptii et fingunt et pingunt:* et dudum, ante eum, HERODOTVS ipſe: τὸ γὰρ τῆς Ἴσιος ἄγαλμα ἐὸν γυναικήϊον βουκέρεόν ἐστι, ſenſu nempe eodem. Vid. et inprimis LIBANII *Orat.* XI. *pag.* 353. item EVSEB. *Lib.* II. *praeparat. Euang. cap.* I. *pag.* 48. Hinc et PLVTARCHO *Iſis* κερασφόρος, ſeu *Cornigera,* apte vocatur: Et doctiſſimus quoque CASALIVS de *Veter. Aegypt. vit. cap.* XXI. *pag.* 67. *ſqq.* eiusmodi *Iſidis* κερασφόρου figuram fictilem in via Appia quondam repertam exhibet et explicat; melius autem poſt eum, CVPERVS, in *Harpocrate, pag.* 109. conf. et *pag.* 37. add. HVET. *de Demonſtrat. Euang. Prop.* IV. *pag.* 251. et MARSHAM. *Canon. chron. Sec.* I. *p.* 42. item IO. SPENCER. *de Legg. Hebraeor. ritual. Lib.* III. *cap.* 4. *p.* 828. et DEYLING. *Obſſ. ſac. part.* III. *Obſ.* VIII. *pag.* 67. item IAC. SPON. *Recherch. curieuſ. d'Antiquit. Diſſ.* 28. *pag.* 467. quippe qui et figuram ipſam non ſolum elegantius caelatam repraeſentat; ſed et longe doctius et co-

Xx piosius-

piosius explanat. *Isidis* porro iconem hic exhiberi, concludere forsan licet 2) ex *binis auibus* in vtraque Nauigii parte aut vtroque eiusdem cornu conspicuis, quas siue quis pro hirundinibus, siue potius pro accipitribus, aut vulturibus habuerit, quo et ipse imagine cristata inductus, magis propendeo; a scopo sane haud multum ipse aberrabit, vtrasque enim aues et vultures et hirundines, *Isidi* olim sacras fuisse, nemo fere est Eruditorum, qui nesciat, aut negare ausit. Atque de Vulturibus quidem clare AELIANVS, *de Nat. Animal. Lib.* X. *cap.* 22. Αἰγύπτιοι κοσμοῦσι δὲ τὴν τῆς Ἴσιδος κεφαλὴν γυπὸς πτεροῖς, καὶ τῶν προπυλαίων ὀρόφοις ὑπετόρευσαν γυπῶν πτέρυγας, *Aegyptii Vulturum pennis Isidis Caput et vestibulorum fastigia ornant:* qualem *Isidem* eiusmodi pennis vulturum aut accipitrum Caput exornatam, e Veteri monumento sistit et docte explicat CASALIVS, de *Vet. Aegypt. Rit. cap.* XXIII. *pag.* 74. *sqq.* vt et postea CVPERVS, aliique. De Hirundine autem eo minus dubitare licebit, quod *Isidi* sacra fuerit, quando illam ipsam Deam in einsmodi querulam stridulamque auem conuersam olim fuisse tradiderunt Veteres. PLVTARCHVS *Lib. de If. et Osirid.* perspicue: Αὐτὴν δὲ Ἶσιν γενομένην χελιδόνα φασὶ τῇ κίονι περιπέτεσθαι καὶ θρηνεῖν, *Ipsam autem Isidem hirundinem factam fuisse aiunt atque circa columnam volare et lugere.* add. BOCHART. *in Hieroz. Part.* II. *Lib.* I. *cap.* 10. *pag.* 62. Inde Hirundinem statuis et signis *Isidis* additam frequenter fuisse, recte adnotarunt PIERIVS VALER. KIRCHERVS, CVPERVS, GYRALDVS et alii plures, neque enim quenquam paullo humaniorum, puto, fugit haec Veterum fabula. Neque denique multum repugnauero, siquis aues illas pro *anseribus* habeat, (modo id ipsa figura permittat) quos et ipsos *Isidi* sacros fuisse, post alios, ostendit CVPERVS, in *Harp. pag.* 54. inprimis quum huc apprime faciat splendida Liburnae *Isidis* descriptio, apud LVCIAN. in *Votis, pag.* 493. ἡ πρύμνα μὲν ἐπανέστηκεν ἠρέμα καμπύλη, χρυσοῦν χηνίσκον ἐπικειμένη. *Puppis paullatim assurgit inflexa, imposito aureo Anserculo,* etc. Conf. PETRON. et ibi Interpretes. Sed properandum nunc ad signum *Isidis* Deae, 3) quondam fuit Vir omni laude superior, STEPH. LE MOYNE, in *Dissert. de*

Iehovah

Iehouah Iustit. nostr. Cap. IV. *pag.* 182. „Nauigio deferebatur *Deae Isi-* „*dis* simulachrum, quod patet ex *Plutarcho*, de Iside et Osiride, prae- „ficiebatur Mari, apud LVCIANVM, *in Dialogo Deorum;* Liburnae „et Nauigii figura repraesentabatur apud Germanos, memorante TA- „CITO; et illius Festum celebratur Mense Martio, hoc nomine no- „tatum in Veteri Calendario Rustico, *Isidis Nauigium.* Quae omnia „forsan fluxerunt ex miranda illa naue, quam Sesostris post innume- „ras suas peregrinationes, Numini Thebano consecrauit, referente „DIODORO SICVLO *Obseruat. ad Var. Sacr. pag.* 4. *sqq.* Idem ille Vir maximus alibi in maiore et immortali opere: „Quam Aegytii „*Isida* vocabant, et quam imagine formatam et effigiatam Naui per „varios Aegypti riuos, variis stationibus, singulis annis, deferebant. „Hinc Nauis *Isidis* repraesentatur in celebri illa Mensa Isiaca. Hinc „Nauigium *Isidis*, Baris *Isidis*, etc. de quibus videantur DIODORVS „SIC. *Lib.* I. *cap.* 15. *Porphyrius* apud IAMBLICH. THEODORIT. „*Serm.* III. *de Myster. Aegypt.* et PROPERT. *Eleg.* 9. *Lib.* III. etc.„ hactenus STEPH. LE MOYNE. Conf. huc inprimis CASSIODORI *Lib.* V. *Variar. Epist.* 17. *pag.* 332. et GYRALD. *de Nauig. cap.* XIV. *pag.* 635. *Tom.* I. *opp.* Contra hanc ipsam autem solennem Aegy-ptiorum consuetudinem et communem superstitionem mittendi *Isidis* Deae signa et idola in nauigiis, seu Liburnis e papyro Nilotica con-fectis, per maria, in vniuersum orbem, grauiter declamasse videtur grandisonus Vates, sanctus ESAIAS, *Cap.* XVIII, I. 2. הוי ארץ צלצל כנפים השלח בים צרים ובכלי גמא על פני מים h. e. *Vae Terrae vmbrae alarum aut vmbrosi Cnouphis, quae mittit imagines seu idola in nauibus papyraceis, per mare.* Quomodo locum hunc antea per-quam difficilem atque obscurum, rectissime interpretati sunt Viri summi, STEPH. LE MOYNE, c) STEPH. MORINVS, d) SELDEN. *de Diis. Syr. Synt.* II. *cap.* II. *pag.* 336. BOCH. *phaleg. L.* IV. *cap.* 2. *pag.* 212. et alii, quos deinde praeclare sequuti THEOD. HASAEVS

 et

c) *in Obs. ad Var. Sacr. pag.* 4. et *in Diss. de Iehou. Iustit. nostr. c.* 4. *p.* 180.

d) *in Orat. de Vtilitate Linguar. Orient. pag.* 48.

et Reu. DEYLINGIVS, [e]) vt ipsum CAMPEG. VITRINGAM [f]) taceam. Nam ארץ צלצל כנפים h. e. *Terra umbrae Cnouphis*, seu *umbrosi Cnouphis*, summa probabilitate, videtur esse Terra Aegypti, quia *Cneps*, *Kneph* seu *Knouphin* apud Aegyptios, ceu supremum Deum et omnium rerum creatarum opificem et gubernatorem conseruatoremque, olim religiosissime cultum fuisse, memoriae prodiderunt PLVTARCHVS, [g]) EVSEBIVS [h]) et alii plures, quas laudat TH. GALE, [i]) qui de hac ipse re pluribus disserit. Neque porro minus probabile est, כלי גמא *Vasa papyracea*, in hoc sacro loco esse naues, seu Liburnas e papyro Niliaca compactas et constructas, quando nempe, vt LVCANVS ait,

Conseritur bibula Memphitis Cymba papyro.

de quibus nauiculis papyraceis Niloticis plenius tractat MELCH. GVILANDINVS, peculiari Libro, [k]) כלי enim et vasa sunt, et naues, quomodo et Graecis τὰ σκέυη, prout id a Viris clarissimis supra laudatis liquido demonstratum fuit. Sed haec sunt alterius loci. Ex hac igitur sacro *Esaiae* loco per quam commode, me quidem iudice, illustrari posse videtur insignis Vetustatis et Venustatis Gemma Aegyptiaca, quam ill. possessor, NIC. FABR. PEIRESCIVS LAVRENTIO PIGNORIO, *Mensam* illam celebrem *Isiacam* expositurо, vtendam exhibuerat, in cuius ad eam Commentario, etiam delineata hodie conspicitur. Illius hic nos Ectypum repraesentamus, rudi quidem Minerua adumbratum; satis tamen accurate ad normam formamque sui Arche-

e) *in Diss. de Fletu super Thammuz, p.* 422. *Obseruat. sacris adiecta.*

f) *In magno Comment. in Esaiam.*

g) *Lib. de Isid. et Osiride.*

h) *Lib. III. de praep. Euang. cap. XII.*

i) *in Not. ad* IAMLICH. *de Myst. Sect. VIII. cap.* 3. *pag.* 301. add. CVPERI *Harpocrat. pag.* 35. Vid. inprimis doctissimam IAC. KOCHERI *diatribam de Etymo nominum Cnuphis*, *in Miscell. Obss. Crit. Nou. Ann.* 1741. *Tom. II. pag.* 129-148.

k) *de Papyro, Memb. VIII. p.* 242. *sqq.* vt et GYRALD. *Lib. de Nauig. cap. VII. pag.* 613. item SCHEFFER *de Re vehicul. Veterum*, vid. et CLEM. ALEX. *Lib. I. Stromat. pag.* 343. ibique *Comment.* et POTER.

Archetypi exaratum, licet maiore non nihil figura, vt eo magis oculis curiosis patere posſit.



Haec autem *Gemma Peireſciana* rarisſima, quia nempe pro ſolito more, carebat Inſcriptione, variis, vt fieri iure ambigua aſſolet, doctorum virorum interpretationibus ornata, niſi forte rectius onerata fuit. Ipſe LAVRENTIVS PIGNORIVS, in *Comment. ad Menſam Iſiacam*, hic ſeſe conſpexiſſe credit Orum, ſeu Harpocratem, in Baride forſan iacentem, virgata Veſte indutum, pedibus indiſcretis; haud degeneri quidem, ſed tamen haud veriſimili coniectura. Nempe ad *animal in medio Gemmae, quatuor alis expaſſis* conſpicuum reſpexit; quod ego quidem ex bicorni inprimis figura et ipſa corpuſculi ſtructura, pro *Scarabaeo* habeo. Nemo enim, puto, neſcit, quanta cum ſuperſtitioſa cura et veſana religione ab Aegyptiis, ſtolidisſima certe hanc partem gente, cultum olim ac veneratum fuerit iſtud animal triuio conceptum et educatum ſtercore, vt cum PHAEDRO loquar, imbelli quondam dextra oppugnato, ſed fortiore nuper egregie defenſo. Soli igitur, Lunae, Mundo, ceteriſque diis deabusque, et conſequenter et *Iſidi*, (quae, vt notum, omnium Deorum dearumque mater, hincque omnes quoque Deos deasque ſignificabat, vnde et Μυριώνυμος, et πολυώνυμος dicta, de quo vid. praeter alios plures, HVET. *Dem. Eu. pag.* 251. item GRVTER. FABRETT. et MVRATOR. *Inſcript.*) ſacrum fuiſſe hocce numen fimoſum quaſi et ſtercoreum, ſit venia dicto! pridem oſtenſum fuit ab HORAPOL-

LINE, [l]) CASALIO, [m]) PIGNORIO, [n]) KIRCHERO et aliis; ideo verba incaſſum profundere pudet iam pigetque in re clara nempe et nemini ambigua. Neque 4) multis probare opus eſt, *vaſculum* illud aut *receptaculum*, in quo vehitur hic recumbentis *Iſidis* ſimulachrum, *Cymbam* eſſe aut *Liburnam*, quum id ex ipſa nempe figura ad oculum pateat, et praeterea in hunc modum *Iſidis* nauigium, deſcriptum legatur apud LVCIANVM [o]) et APVLEIVM, IVLIVM FIRMICVM, aliosque, quorum loca opportune collecta in hanc rem exhibet diligentisſimus GYRALDVS, [p]) vt taceamus, quae iam ſupra nobis de *Iſidis* Liburnica copioſe dicta fuerunt.

Nihil ergo in hac antiquisſima *Gemma Iſiaca* explicandum amplius reſtat niſi ſingulare plane, peregrinum et *ſquamatim* quaſi *concinnatum veſtimenti genus*, quo indutum hic comparet *Iſidis* idolum. Sed nihil certi, quod hac de re dicam, iam ſuccurrit. Forſan tamen, ſi coniecturae quidem hic locus fuerit, ex hac ipſa veſte ſquamis ſcite ſibi ſuper impoſitis ornata, colligere liceat, *Iſidis Pelagiae* inprimis hic ſignum exhiberi, vnde veſtis quaſi ſquamoſa ipſi circumiecta haud inepte videri posſit. *Iſidem* enim *Pelagiam* quoque dictam et ſub hoc nomine cultam, et quod Nauigationum inventrix crederetur, et quod ipſius ſimulacrum pelago frequentiſſime circumvectaretur, res eſt ex PAVSANIA HYGINO, APVLEIO atque GRVTERI REINESII que Inſcriptionibus, aliisque monumentis plurimis notiſſima: id quod pluribus probat CASALIVS [q]) et inprimis CVPERVS, [r]) vt et GYRALDVS [s]): *Synta.* XII. *de Hiſtor. Deor. pag.* 385. *Tom.* I. *Opp.* et laudato iam *Libro de Nauigiis, Cap.* VIII. *pag.* 615. Inde et eiusdem ſignis et idolis ſitulas, vrnas et Gubernacula, aquarum nempe et marium item et nauigationum inſtrumenta, adiecta olim fuiſſe, e diuerſis monumentis antiquis, ob oculos clare poſuerunt modo laudati Viri

l) *Hieroglyph. Lib. I. cap. X.*

m) *de Vet. Aegypt. Rit. cap. XVIII. p.* 60. *ſqq.*

n) *ad Menſam Iſiac. pag.* 22. add. HERALD. ad *Arnob. pag.* 29.

o) *in Nauig. ſ. Vot. pag.* 493.

p) *Lib. XI. Metamorph. pag.* 259.

q) *Lib. de Nauigiis, Cap. VIII. p.* 615. *Tom. I. Opp.*

r) *de Vet. Aegypt. Rit. cap. XXIII.*

s) *in Harpocrat. pag.* 3. *et pag.* 151.

Viri praeſtantiſſimi CASALIVS, t) CVPERVS, u) item et SPONIVS, aliique plures. Quid igitur quaeſo, Naturae rei conuenientius, quam Deam Pelagiam hic ceu ſquamigeram et veſte e ſquamis apte diſpoſitis conſarcinata circum amictam repraeſentatam fuiſſe? inprimis, quum e Veterum fabulis inſuper conſtet, *Iſin* ipſam quondam, metu irruentium Gigantum, in flumen ſeſe proieciſſe atque in piſcem mutaſſe, ceu inter alia, refert HYGINVS, x) et ex eo GYRALDVS, NATALIS COMES et alii Mythographi. Niſi quis has quaſi ſquamas, potius pro vberibus habere velit. Ita enim MACROBIVS *Lib.* I. *Saturn.* XX. *Iſis eſt vel Terra, vel Natura rerum; hinc eſt, quod continuatis vberibus Corpus Deae omne denſetur.* Quod ſane non adeo improbabile videtur. Sed ſatis iam de explicatione Gemmae huius Peiteſcianae venerandae omnino antiquitatis et, vt ille ait, adorandae rubiginis: quae ſane nos praeter ſpem atque opinionem, longius ſeduxit, ac animo quidem primum deſtinaueramus. Interea, ſicut ex ſacro prophetae loco praeclaram lucem Gemmam iſtam accipere, ſupra aſſeruimus, et nunc ipſa re, niſi fallor, praeſtitimus: ita illam viciſſim ſacro iſti prophetae loco clariſſimum lumen accendere, nemo rerum harum peritus, facile, puto, negauerit: praeſertim vero ex iſta, TACITI noſtri locum hactenus illuſtratum, egregie prorſus explicari poſſe, dubio fere omni caret. Nullam enim aptiorem inſcriptionem, me quidem iudice, vel fingere quis poſſet ad illuſtrationem illis Gemmae praeter illam TACITI: *Iſidis ſignum in modum Liburnae figuratum, docet aduectam Religionem.* Sed de his hactenus. Deſinant ergo nunc amplius dubitare Viri quidam clariſſimi de Cultu *Iſidis Aegyptiacae* peregrinoque ſacro Memphitico apud priſcos noſtros *Germanos;* inprimis, quum tam clara et perſpicua ſint TACITI verba hanc quidem in rem, vt nullae prorſus ipſis offundi posſint tenebrae

t) *de Antiq. Aegypt. Rit. Cap. XXIII. pag.* 75. *ſqq.*
u) *in Harpocrate, pag.* 38. et *pag.* 45. *ſqq.* Conf. Mr. BANDELOT. de DAIRVAL, *de l'utilité des Voyages, Tom. I. pag.* 252. et *pag.* 262. et SALMAS. *Exercit. Plin. pag.* 873.
x) *Poet. Aſtron. Lib. II. cap.* 30. et *cap.* 41.

brae aut a finiſtra interpretatione, aut inani obloquendi et contradicendi pruritu. Quin potius ex his diſcent, idem de ſacris ſuis e longinquis et alio ſole calentibus regionibus aduectis, dicere quondam potuiſſe, veteres Germanos, quod de ſuis Romanis ita cecinit ingentis ſpiritus Vates LVCANVS *Lib.* VIII. 831.

Nos in Templa tuam Romana accepimus Iſin,
Semideosque Canes, et ſiſtra iubentia luctus,
Et quem tu plangens, hominem teſtaris Oſirin.

Conf. inprimis ARRIANI *Tactica*, *pag.* 75. Edit. NICOL. BLANCARDI et TERTVLLIAN. *Apologet. cap.* 6. *pag.* 7. et *Lib.* I. ad *Nat. cap.* X. *pag.* 47. item ARNOB. *Lib.* II. *aduerſ. Gentes*, *pag.* 91. et ibi ELMENHORST. *pag.* 105. et HERALD. *pag.* 123. Sed appellamus tandem, hem! tempus eſt, *Iſidis Liburnam* ad littus proximum, et longa quaſi nauigatione feſſi, in amico portu placide demum quieſcamus. Quoniam, vt ille ait, *in portu nauigare tutius.*

VIRGIL.

Adſumus, et portus delati intramus amicos.



INDEX



INDEX
RERVM MEMORABILIVM
IN
VTROQVE OPVSCVLOR. VOLVMINE
PASSIM
OCCVRRENTIVM.

A.

acrem

Z z fol.

N.

R.

Ra-

S.

Vitrum



ERRATA

ERRATA OPERARVM,

ITA CORRIGENDA.

Pag. 5. pro vtnus, lege *vanus*, p. 15. l. *ſocietas*, ib. *aegrotantis*, p. 17. *affectionibus*. p. 17. l. *ferrata*, pro ferrata. p. 20 l. αὐτοψίαν. p. 22. del. alterum *nec*. p. 23. leg. BAPT. p. 26. l. *Morgagno*. p. 28. l. *exterius*. ibid. l. *praeclaro*. p. 30. l. *ſicca*. p. 35. l. *pylori*, ibid. l. *Stegmayeri*. p. 36. l. *aliique*. p. 37. l. *Non*. p. 38. l. *flexuoſos*. p. 43. l. *illuſtr*. p. 47. l. *alter*, pro aliter. p. 52. l. *inerat*, pro inierat. ibid. l. *vaſculis*. p. 55. l. *ferrum*, pro ferme. p. 58. l. *vincendi*, pro viuendi, p. 60 l. *narrat*, ib. *Norfordo*, ib. *monebuntur*. p. 61. l. *Quo*, pro Quot. p. 62. l. ἡσυχάζοντα. p. 65. l. *ſic*, pro ſi. p. 69. l. *valeat*, pro valent. p. 70. l. *facinore*, p. 71. l. *tolerabilis*. p. eodem, l. *duros*, pro duos. p. 72. l. Καρκινομάχοις. p. 73. l. *diuae-aut dirae*. ibid. l. *Omni bonam*. p. 82. l. *Certa*. p. 84. l. βραδύτης. p. 85. l. *ſuae domui*. p. 87. l. TAN. pro NAT. ibid. *Arcemque*. p. 88. l. *argumenti*. ibid. l. IBI, pro VBI. p. 89. l. *e contrario*. p. 93. l. *ſata*, pro fata. p. 97. l. *bis*, pro his. p. 102. l. *Arcto*, pro Acto. p. 103. l. *perniciore*, ib. l. *funeſto*. p. 105. l. *damnabilis*. p. 112. l. *ſciuiſſe*, pro ſoluiſſe. p. 131. Not. l. *indicia*. p. 132. l. *locis Hipp*. p. 134. l. Μᾶζον, et mox μᾶζω. p. 135. l. *plura*. p. 143. Not. l. *diri*, pro diui. p. 145. l. *applicanda*. p. 147. l. *ineluctabilium*. ibid. l. *ſimile*. p. 150. Not. *Tragopodagra*. p. 157. l. *tabem*. p. 158. l. SOZOMEN. p. 166. l. *digna*, pro dignu. p. 176. l. *Begue*. p. 183. l. *conſtitiſſet*, pro Conſtituiſſet. p. 184. l. CORTICIS, et ſic etiam. p. 193. et p. 196. p. 186. l. *novem*, pro nouam. p. 188. l. *omni*, pro omnis. p. 199. l. *Catalogo*. p. 202. l. *Delfgaia*, ibid. Not. l. *ſit*, pro fit. p. 206. in Not. l. ἀγγεῖα, pro -γεα. p. 208. Not. l. ἐλάσσω, ibid. l. *Extirpatione*, et mox, *legantur*. p. 211. l. *hypochondrium*. p. 213. Not. l. ἰητρῶν, p. 214. l. *grauitas*, pro grauidas. p. 223. leg. *euomentis*. p. 225. Not. del. ſemel *fol*. 77. b. p. 229. Not. l. *exprobratione*. p. 234. l. *flatuum*, pro ſtatuum. p. 238. Not. l. *a nullo*, et mox, *ſimul*. p. 239. Not. *emerim a*, ibid. *modeſte*, pro ſta. p. 240. del. ſemel *ſuis*. ib. l. *Antonino*, et in Not. *ac ſic*. p. 244. l. *ſuaueolentes*, pro ſua violenter. p. 245. l. *geminam*, pro genuinam, ib. l. *videatur*. p. 247. l. θελήσειεν. p. 249. Not. l. *Memorab*. p. 250. l. κατακρ. p. 256. Not. l. *varios*. p. 257. l. ζωγρεῖ. p. 260. l. αἴσθησιν, ib. l. *omnes*. p. 263 l. ἐπιτείνομ. p. 266. pro altero latrina, l. *Iatrina*, p. 272. l. *occupanda*, p. 276. Not. l. *Ruſſici*. p. 277. l. Ὀλέθρια, p. 278. l. τε ζώων. p. 287. l. *praeſertim*. p. 294. poſt voc. *improbabilem*, addendum omiſſum, *fuit emendatus*. p. 297. l. *et fidem*. p. 298. Not. l. *plura*, et mox, *laudari*. p. 299. l. *poſſunt* p. 301. l. *ob ſuam*. p. 302. l. *ſecus nequit*, ib. l. *ſtaminum*, et mox. in Not. l. *inueſtiuntur*. p. 309. l. *laeuem*. p. 313. l. *ſteatomota*. p. 314. l. *quem forſan*, p. 321. l. *in*. p. 323. l. νάρθηξιν. p. 326. l. ἰσχνότητα. p. 328 l. *credidiſſem*. p. 329. l. *auſus*, pro vſus. p. 331. l. *quidam Parabol*. p. 342. l. *Belloſtium* et *Clericum*. p. 335. l. *ſubclaudo*. p. 345. del. ſemel *fuiſſe*, ibid. l. *potius*, pro portius. p. 346. l. *dubitationem*, ibid. l. ῥίζαι. p. 350. l. ἀνθράκων. p. 351. l. *ſic*, pro ſit. pag. 352. leg. *rationibus*. p. 355. l. *intulit*. p. 362. l. *pudore ſero*, pro ſuo, ibid. l. *interea*. p. 363. l. *Certe*, pro Certi. ibid. l. *illa loca*. p. 368. l. *interim* p. 376. l. ἐξίσωσον. p. 382. l. SOPING. p. 387. Not. l. SALMAS. p. 392. l. *praecepimus*. p. 396. l. τοῦτος, pro τούτης. p. 402. l. κλύζειν, et mox χρῄζοι. p. 405. l. σκληρὰ, pro σκλησὰ. p. 410. l. admittit. p. 411. l. diſtent. p. 417. l. ἐρεθιζόμενος. p. 448. l. Bochartus, ibid. Rutgerſius. p. 453. l. ſagaciſſimi. p. 455. l. προκεκυφότες. p. 467. l. D pſaci. p. 477. λαυρομήλη. p. 483. l. adhibitus. p. 496. l. μᾶζον. p. 506. l. chariſſimus. p. 510 l. controuerſiis. p. 532. l. producere. p. 535. l. ἢ στρόφιν. p. 547. l. δυσοργησία. p. 549. l. πολυωρίαν. p. 555. l. נכמרו. p. 562. l. obſecro, pro *obſeruo*. ibid. mox l. ἑλμινθογονίας.

ERRA-

ERRATA

VOLVMINIS SECVNDI.

Pag. 4. leg. Quidquid. ibid. *Coifliniana.* p. 10. leg. βλαστοὶ, pro ὑλαστοὶ. p. 11. leg. veritati, pro vero. p. 19 leg. ἐκπτώσεις. p. 26. l. profternemus. p. 28. leg. acuit. p. 40. leg. nimium, pro *vlmium.* ibid. l. ἀπίστων. p. 41. transpofita fic leg. *Burman. ad Petron. et Poftel. ad Homer.* etc. p. 42. l. Euftathius. p. 44. leg. pectine. p. 46. l. Cerda. ibid. διαπέφυγον. p. 47. tranfpofita fic leg. *Vita feminam in tam nitida domo - - delitefcere.* deinde ponatur: *Conf. Athen. Lib.* XII. *Plutarch. Stob.* etc. pag. 50. l. ῥιζῶν. pag. 56. leg. τὸν. pag. 60. leg. ἀλκτήριον. ibid. l. iuuenculae. pag. 61. l. ῥίζῃ. pag. 64. poft *Wedel.* pone *Salmafio*, item *Couleio.* p. 69. l. Mythographis. ib. leg. de Deorum lingua et mox leg. eam intelligat. p. 70. leg. factum. pag. 72. leg. Daufqueium. ibid. leg. μόλοι. pag. 76. leg. Gonfal. pag. 79. leg. Choniates. pag. 80. leg. ἑρμῆν. ibid. εἰς, pro ἐιο. pag. 81. leg. ἐιορἀασθαι. ibid. οἱ, pro ὅς. pag. 84. leg. Gundlingiana. pag. 92. leg. Lib. I. de Legg. pro de fqq. pag. 98. leg. defin. med. pag. 103. leg. φύσις. pag. 104. leg. Rorarius. pag. 109. leg. Deufing. pag. 115. leg. illuftrans. pag. 116. leg. ἀτρεκέως, et ibid. exemplis. pag. 118. leg. δυνάμεις. pag. 119. leg. et Θεῖον. pag. 121. leg. eadem elementa. pag. 122. leg. ἐπικρατήσειεν. pag. 124. leg. dec. Ornat. pag. 134. leg. ὄψει καὶ ψαύσει. pag. 144. lep. vfam. pag. 147. leg. debeat, pro *debent.* pag. 151. leg. שאבש pag. 152. leg. Πυῤῥων. et ibid. mox, μηνυτής. pag. 153. leg. νυχθεῖσα. pag. 164. leg. perit, pro *parit.* pag. 167. leg. Platonem. pag. 171. leg. κόσμῳ. pag. 175. leg. putidam. pag. 177. leg. Medicis. pag. 187. leg. non, pro nona. pag. 191. leg. Λεξει, pro Δέξει. pag. 197. leg. Lemofius. pag. 202. leg. Viam, pro *iam.* pag. 203. leg. Hippocrateum. pag. 204. leg. ἀνακαλούμενον. pag. 212. leg. vrfit, pro *vrgit.* pag. 216. leg. diaftolen et fyftolen, fiue ictum et percuffionem. pag. 221. leg. οὖν, pro οὐκ. pag. 225. infra leg. Nat. pro *Plut.* pag. 229. leg. Andernacus. pag. 240. leg. Editiones. pag. 243. leg. plerique. pag. 254. leg. praedicamus. pag 258 leg. ἀμειψιῤῥυσμιῶν. ibid. leg. verbo. pag. 260. leg. loricae. pag. 264. leg. Pauwius denique, pro illo monftrofo *Pamodenius.* ibid. leg. φύσεως. pag. 271. leg בתמצית pag. 283. leg. praxagora. pag. 301. leg. feliciter. pag. 314. leg caufae. ibidem leg. auidiffime. pag. 315. leg excruciatum. pag. 323. leg. Quin et. pag 324. leg. arctius. pag. 325. leg. feffas. pag. 326. leg. rata habent. pag. 331. leg. Epidem. ibid. leg. Κακοφυμοτέρων. pag. 335. leg. Epidermide. pag. 235. leg Solent, pro *folem.*